ACTA
APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

AN. ET VOL. LXXXIV

TYPIS VATICANIS
M-DCCCC-LXXXXII

y

An. et vol. LXXXIV 7 Ianuarii 1992 N. 1

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSTITUTIO APOSTOLICA

SOLIMOES SUPERIORIS

In Brasilia praelatura Solimöes Superioris attollitur ad gradum dioecesis eodem servato nomine.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Constat praelaturam Solimöes Superioris, positam in amplissimis finibus Brasiliae, hisce praesertim temporibus missionariorum laboribus atque consociata aliarum Ecclesiarum opera haud parva religiosa et civilia incrementa esse consecutam. Qua re, cum Venerabiles Fratres Adalbertus Dominicus Marzi, olim Administrator Apostolicus « sede vacante » atque Evangelista Alcimarus Caldas Magalhäes, Episcopus Praelatus electus eiusdem praelaturae, Conferentia Episcoporum Brasiliensium audita, ab hac Apostolica Sede postulaverint ut eadem Ecclesia ad gradum ac dignitatem dioecesis eveheretur, Nos, probe scientes eiusmodi optato assentiri Venerabilem Fratrem Carolum Furno, Archiepiscopum titulo Abaritanum et in Brasilia Apostolicum Nuntium, de consilio Congregationis pro Episcopis,

admotis precibus libentes annuendum esse censemus, potissimum rati quod est petitum animarum saluti illius dilectae catholicae communitatis valde esse profuturum. Apostolica igitur Nostra potestate praelaturam, quam diximus, attollimus ad gradum honoremque dioecesis, servatis et iisdem finibus, quibus nunc ipsa terminatur, et eodem nomine Solimöes Superioris. Insuper quae sequuntur decernimus ac iubemus. Constitutae dioecesis sedes in urbe «Tabatinga» erit, cathedra autem Episcopi in paroeciali templo ibi exstante, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis « do Perpetuo Socorro » dicato, quod ad gradum ac dignitatem cathedralis aedis evehimus propriis cum iuribus, insignibus et honoribus. Templum vero in urbe « Sâo Paulo de Olivença» positum, hucusque dignitate praelaticiae ecclesiae insignitum, titulo ac dignitate concathedralis aedis decoramus. Dioecesis Solimöes Superioris suffraganea quidem erit metropolitanae Ecclesiae Manaënsi, cuius proinde Archiepiscopi iurisdictioni metropoliticae Episcopum pro tempore Solimöes Superioris subicimus, iisdem iuribus, privilegiis honoribusque insignitum atque oneribus obligationibusque adstrictum, quae Praesulum Ordinariorum locorum propria sunt. Insuper consultorum Collegium ibidem constituatur, qui Episcopo valido sint auxilio. Statuimus etiam ut congruae sustentationi Pastoris novae dioecesis provideatur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus ceterisque bonis temporalibus, quae hactenus ad eandem praelaturam pertinuerunt. In iis, quae ad Seminarii aedificationem ac moderationem spectant, serventur iuris communis statuta, ratione praesertim habita normarum regularumque Congregationis de Institutione Catholica; suoque tempore selecti seminarii alumni philosophicis ac theologicis imbuendi disciplinis necnon sacerdotes sua studia completuri, Romam, ad Pontificium Collegium Pium Brasiliense mittantur. Quod autem attinet ad dioecesis regimen, administrationem bonorum, Administratoris dioecesani, sede vacante, electionem, iura et onera fidelium aliaque id genus, quae sacri canones praescribunt ad amussim observentur. Iubemus praeterea ut dioecesi rite constitutae clerus praelaturae eo ipso adscriptus maneat. Insuper Venerabilem Fratrem Evangelistam Alcimarum Caldas Magalhäes, memoratae praelaturae Ordinarium, ab ipso vinculo solutum, ipsius dioecesis Solimöes Superioris Episcopum ac Pastorem confirmamus. Haec, quae praescripsimus, committimus perficienda Venerabili Fratri Carolo Furno, quem diximus, vel, absente eo, illi, qui negotia curat Apostolicae Sedis in Brasilia; eisdem tribuentes necessarias opportunasque facultates quemlibet alium delegandi virum, ad effectum de quo agitur, modo is sit in ecclesiastica dignitate constitutus, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis sincerum peractae exsecutionis exemplar mittendi. Has denique Litte-

ras Nostras nunc et in posterum ratas esse firmasque volumus, contrariis quibuslibet rebus haud quaquam obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo quarto mensis Augusti, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo primo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

£8 BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Franciscus Ohiaurri, *Proton. Apost.*

Loco 83 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 288.274.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Beata Virgo Maria, titulo « Nuestra Señora de los Remedios » invocata, Patrona caelestis Tlalnepantlanae archidioecesis confirmatur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Quandoquidem duos abhinc annos dilectissimi Ecclesia Tlalnepantlana ad metropolitanae Sedis dignitatem maiorem est Nostra voluntate feliciter provecta atque ipse eius Archiepiscopus Metropolita Emmanuel Pérez-Gil González iisdem hisce diebus vicesimum quintum episcopatus sui natalem est fauste commemoratus nihil sane duplici huic communitatis illius honori deesse visum est nisi ut sollemni tandem ritu caelestis ei apud Deum Patrona constituatur. Cum igitur quinque iam saecula proprio in sacello fervido cultu venerationeque cotidiana circumdetur manu facta imago Beatissimae Virginis Mariae, suavissimo sub titulo honoratae « Dominae Nostrae a Remediis », addecere censuit idem Venerabilis Frater eandem Iesu Christi amatissimam Matrem illo videlicet nomine tot continua invocatam annos edici instituique supernam metropolitanae illius archidioecesis Advocatam, quo certius confirmetur saecularis populi fides et quo firmius custodiatur tantae pietatis actionisque catholicae patrimonium. Nos quoque memores ipsius anniversariae memoriae quinti saeculi ab illato illuc christiano nomine praevidemus iam hinc non modo marialem observantiam plurimum auctum iri verum etiam omnis religionis

usum et impetum novas in posterum vires ex tali nominatione publica declarationeque esse deducturum. Sententiam propterea Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum ratam habentes, qua electionem dicti Ordinarii Tlalnepantlani primum confirmavit, renuntiamus libentes Virginem Mariam Sanctissimam vulgari titulo appellatam « Nuestra Señora de los Remedios » nunc ac deinceps caelestem coram Omnipotenti Deo archidioecesis metropolitanae Tlalnepantlanae patronam, universis simul concessis liturgicis iuribus et privilegiis secundum regulas « de Patronis constituendis » necnon normas Instructionis « de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis, n. 30 ». Dum salubérrimos huius consilii Nostri effectus eundem inter clerum ac populum fidelem ominamur, mandamus plane ut hae Litterae Nostrae penitus adserventur tam in praesentia quam in ventura tempora, quibuslibet rebus minime quidem obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Septembris, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 287.785.

II

Parochiale templum Sanctae Maxellendis, in urbe Caudry intra fines archidioecesis Cameracensis extans, ad Basilicae Minoris gradum evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Plus iam integrum feliciter saeculum ecclesialis communitatis Cameracensis aedes parochialis in urbe Caudry Sanctae Maxellendis sacra magno cum studio fideliumque concursu petitur tamquam piorum itinerum meta, quin immo magis vel spiritalis renovationis fons ac fidei confirmandae praecipuus locus. Nec deest eidem templo artis et architecturae sacrae praestantia qua videlicet plurimum fovetur sacramentorum dispensatio et ipsius martyris Sanctae cultus convenienter circumdatus Ut igitur centesimus a dedicato illo delubro annus rite extolleretur ac quasi quaedam corona dignitatis eidem adderetur loco, unde in posterum efficacius accenderetur christifidelium pietas inibi maiorque perciperetur fructuum spiritalium proventus, Venerabilis Frater Iacobus Delà-

porte, Archiepiscopus ipse Cameracensis, provido nimirum consilio ab hac flagitavit Sede Apostolica ut, si visum ita esset, memorata ecclesia pleno iure eveheretur ad Basilicae Minoris gradum liturgico suo usui plane congruum. Quandoquidem vero Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum tum illius petitionis causas prorsus probari sibi edixit tum studiose idem templi Cameracensis decus commendavit, nihil gratius Nobis superesse videtur neque antiquius quam illud corroborare decretum et omni potestate Nostra apostolica constituere harum nempe Litterarum virtute ut praedicta aedes Sanctae Maxellendi dicata intra eiusdem commemoratae archidioecesis fines ad honorem tollatur Basilicae Minoris utque simul iura singula et liturgica privilegia talium Basilicarum propria affatim illuc adiungantur, secundum normas videlicet et regulas huc spectantes Decreti « de titulo Basilicae Minoris » anno MCMLXXXIX promulgati die ix mensis Novembris. Dum vehementer profecto exoptamus ut aucta sic iam huius Sanctuarii pulchritudo et excellentia plus plusque adeuntium istud hominum proficiat saluti aeternae praesentique spiritali commoditati, volumus hasce Litteras Nostras plenam suam tam nunc quam deinceps exserere vim omnesque suos sortiri effectus, contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Septembris, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri decimo tertio.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ©Sigilli
In Secret. Status tab., n. 287.852.

III

Intra fines dioecesis Ecclesiensis paroeciale templum in insulana urbe v. d. « Sant'Antioco » exstans ipsique Sancto Antiocho martyri dicatum titulo Basilicae Minoris insignitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Sancti Antiochi perantiqua in urbe, quae ad dioecesim Ecclesiensem pertinet, paroeciale templum Sancto Antiocho dicatum exstare ibidemque episcopalem olim sedem Sulcitan-Eccle-

siensem fuisse pro comperta re habetur. Quoniamque pariter constat sacram eiusmodi aedem, in qua tum xi exeunte saeculo tum ineunte xn ampliore quidem facta corpus ipsius Sancti quem diximus magna cum veneratione adhuc asservatur, non modo vetustate rerumque memoria eminere, verum etiam, quod pluris sane interest, aetate nostra a compluribus Sardis fidelibus Christianae pietatis causa frequentari, idcirco aliquam censemus vel maiorem nunc ei tribuendam esse laudem. Ipse profecto Venerabilis Frater Ioannes Cogoni, Episcopus Ecclesiensis, per litteras die xxv mensis Martii datas anno MCMLXXXIV expromens sua et cleri populique vota, a Sancta hac Sede petivit, ut memoratum templum praestabili decoraretur titulo Basilicae Minoris. Quapropter, cum de ea iam re secundum facultates a Nobis factas viderit Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, nunc Nos, qui et eiusdem Congregationis sententiam ratam facimus et semper in spiritale Christifidelium bonum enixe intendimus et cleri eorum solliciti curam studiumque confirmari volumus, vi et potestate Nostra Apostolica per has Litteras perpetuumque in modum dilaudatum paroeciale templum Sancto Antiocho dicatum ad gradum Basilicae Minoris evehimus eique iura et liturgica privilegia tradimus eiusdem Basilicarum ordinis propriis, iis tamen servatis, quae per Decretum « de titulo Basilicae Minoris » anno MCMLXXXIX statuta sunt die ix mensis Novembris. Item has Litteras Nostras nunc et in posterum religiose omnino exerceri iam volumus suosque etiam effectus habere, contrariis quibuslibet haud obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Septembris, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco 83 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 287.853.

IV

Nuntiatura Apostolica in Albania erigitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Commodioribus iam exstantibus condicionibus, quo solidiores redderentur necessitudinis rationes, quae inter Apostolicam Sedem intercedunt et Albaniensem Nationem, legationis offi-

cium ad elatiorem gradum evehere censuimus. Id quidem, ad fidelium profectum cessurum arbitramur. Itaque prudenti excussoque consilio, harum Litterarum vi Nostraque auctoritate, Apostolicam illic Delegationem ad statum Nuntiaturae Apostolicae attollimus, quae sedem habebit in urbe Tirana, cunctis pariter additis iuribus, privilegiis, honoribus, praerogativis et indultis quae ad id genus Pontificias Legationes pertinent, praesertim ad regiones illas, quae a Congregatione pro Gentium Evangelizatione curantur et a Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus, contrariis quibuslibet rebus minime obsistentibus. His autem statutis, magna Nos tenet spes res ibidem feliciorem ingressuras cursum, unde experiantur cives religionis humanitatisque progressum et congruentem prosperitatem.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Septembris, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco 83 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 219.346.

V

Templum Sanctae Engratiae et Martyrum Caesaraugustanorum ad Basilicae Minoris gradum provehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Difficilius quidem est creditu quam celeber semper fuerit quamque sit etiamnum venerandus locus ille communitatis catholicae Caesaraugustanae, ubi quarto videlicet ineunte ipso saeculo Sancta Engratia sociique Martyres pro fide firmiter mortem oppetiverunt, ubi praeclari dein Episcopi Ecclesiaeque erant commorati scriptores, ubi memorabiles omnino denique Sancti ac Sanctae Dei, quin immo et populorum Reges Reginaeque, pari semper pietate inibi Sanctorum Martyrum percoluerunt reliquias. Monumentum interea Hispaniae Nationis est idem factum templum neque Nos ipsi oblivisci poterimus umquam quanto animi Nostri adfectu motuque novem abhinc annos praesentes innumerabilium ibidem Martyrum exuvias honoraverimus primo in Nostro itinere apostolico ad dilectam Hispaniae Ecclesiam. Non modo igitur sumus vehementer

laetati, verum diu etiam eramus praestolati, quoad eadem aedes paroeciae iam dioecesanae maiorem aliquam sibi ascisceret dignitatem, id videlicet decus loci expetente Ordinario. Cum ideo Venerabilis Frater Elias Yanes Alvarez Archiepiscopus ipse Antistes Caesaraugustanus, praevidens novam eiusdem illius sanctuarii dedicationem, a Nobis flagitavisset ut peculiaris honor liturgicus ei adderetur pontifìcia auctoritate, nihil dubitavimus intimis obsequi sensibus illi postulationi. Hodie propterea plurimum Nos iuvat consilium hac in re Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum comprobare singulaque acta et harum litterarum vi constituere ut dioecesanae paroeciae templum, Sanctae Engratiae sacrum necnon Martyribus Caesaraugustanis dicatum, intra memoratae archidioecesis fines ad decorem provehatur Basilicae Minoris cui simul cuncta accedant iura et privilegia sacris ex canonibus huic Basilicarum generi congruentia. Eodem tamen praecipimus tempore ut accurate ea universa adserventur quae ad decretum « de titulo Basilicae Minoris » die ix mensis Novembris anno MCMLXXXIX in lucem datum adserventur oportet, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xn mensis Septembris, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri decimo et tertio.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco 83 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 288.557.

VI

Beata Virgo Maria sub titulo Sancti eius Nominis Patrona Insularum Salomonicarum confirmatur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Concelebrantes cum universa hodie per terras communitate ecclesiali catholica praeclarum ipsum suaveque semper resonans Beatissimae Virginis Mariae nomen iuvat Nos eodem prorsus tempore ante oculos constituere Venerabiles in episcopatu Fratres Ordinarios eorumque dilectissimos greges apud Insulas Salomónicas quippe qui eandem praecelsam Iesu Christi matrem eodem videlicet sub titulo Sancti Nominis Mariae appellatam maxima sibi pietate planaque animorum et vo-

luntatum consensione publicam detegerint coram Deo Omnipotenti caelestem Patronam. Nuperius enim regionis illius Antistites merita agnoscentes Societatis Mariae primis in missionariis opificibus inter eas Insulas atque efficacitatem tun marialis cultus tum memoratae Societatis omni in ibidem missionali adhuc opere decreverunt in primis decere talem aliquando institui, talem deinceps excoli ante gratiae thronum Advocatam. Ab hac proinde Apostolica Sede poposcerunt ut electio illa rite confirmaretur. Accepta igitur Nos sententia Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam libenter habemus, de apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, Beatissimam Virginem Mariam sub titulo sancti eius Nominis apud Deum Insularum Salomonicarum Patronam edicimus statuimusque, cunctis additis iuribus ac privilegiis liturgicis secundum normas « de Patronis constituendis » ac regulas pariter Instructionis « de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis, n. 30 ». Quam optabilem rem decernentes Nos firma cum spiritalium fructuum inde exspectatione volumus has Litteras Nostras religiose usque servari suosque in posterum sortiri effectus, contrariis quibusvis causis haudquaquam obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xu mensis Septembris, Nominis Mariae festivo, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 287.786.

VII

Templum Conceptioni Immaculatae Beatae Mariae Virginis dicatum, quod intra fines dioecesis Richmondiensis exstat, ad gradum Basilicae Minoris evehitur.

IOANNESPAULUSPP.il

Ad perpetuam rei memoriam. — Vere tamquam fidei Catholicae angularis lapis in perantiqua communitate ecclesiali Richmondiensi eminet sublimis sacra aedes Sanctissimae Virginis Mariae sub Conceptionis Immaculatae titulo, quae non solum primis illius ecclesiae annis est in pristina

sua forma aedificata, verum omnium prima ibidem Genetrici Dei dicata, dogmate eiusdem illius veritatis sollemniter pronuntiato. Praeterea suas iam tunc explebat partes, sicut etiamnum praeclaras explet, christifidelibus originis Africae promovendis eolligendisque. Tot ergo eius meritis erga christianae fidei confirmationen iis in locis ac disseminationem tam diu communiter agnitis, is unus huic templo deerat decor, scilicet Basilicae Minoris, veluti laetitiae quaedam et praestantiae corona. Quapropter rem prorsus consentaneam nuper petere visus est Venerabilis Frater in Episcopatu, Valterus Franciscus Sullivan, Ordinarius dioecesis Richmondiensis, cum aedem illam hoc singulari nomine exornari apostolica Nostra potestate vellet. Neque Nos dubitantes huius petitionis causas probatissimas esse fateri, perquam libenter ratum habemus id omne, quod hac in re iam Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum effecit sanxitque, et Nostram apostolicam adhibemus auctoritatem ut harum virtute Litterarum perpetuosque in annos paroeciale templum, Mariae Virginis Conceptioni Immaculatae dedicatum, sive vulgari sermone « St. Mary of the Immaculate Conception », intra Richmondiensis dicionis fines ad liturgicum gradum Basilicae Minoris evehatur et cunctis simul augeatur iuribus ac privilegiis quae sacros ad canones ceteris huius modi templis congruunt, dummodo singula ea adserventur quae Decretum « de titulo Basilicae Minoris » die x mensis Novembris anno MCMLXXXIX evulgatum servari iubet, contrariis quibusvis rebus minime ostantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xvni mensis Septembris, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco £8 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 288.784.

VIII

Sanctuarium in urbe Derthonensi situm idemque Beatae Mariae Virgini dicatum, quam « Madonna della Guardia » vocant, inter Basilicas Minores refertur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Antiquis iam temporibus exstitisse scimus sacrum aedificium caelesti Matri dicatum, quod deinceps coluerunt

tum Benedictini tum Franciscalis Ordinis sodales, inter quos celebratus annumeratur Bernardinus Senensis, et proxime eximius sacerdos Aloisius Orione. His quidem spectatis rebus necnon religionis rationibus, libentes Venerabilis Fratris Aloisii Bongianino, Episcopi Derthonensis, postulatis esse obsecundandum existimavimus, qui, sua vota significans et suorum fidelium, efflagitavit ut sanctuarium Derthonae situm et ipsum Beatae Mariae Virgini dicatum quam « Madonna della Guardia » appellant in catalogo recenseretur Basilicarum Minorum. Quocirca plane ea comprobantes quae hac de re statuit Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, Apostolica usi Nostra auctoritate, sanctuarium quod supra memoravimus inter Basilicas Minores adscribimus, omnibus item tributis privilegiis et iuribus, quae ad id genus spectant sacras aedes. Teneatur deinde Decretum « de titulo Basilicae Minoris », die ix mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, quibuslibet minime obsistentibus contrariis rebus.

Si quidem demun loci celebritate antehac sanctuarium hoc frequentabatur, deinceps aucta dignitate maiore quodam fervore arbitramur et certiore fiducia adituros illuc fideles providam Matrem deprecaturos.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die v mensis Octobris, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 291.523.

ALLOCUTIONES

I

Ad Patres Cardinales in extraordinario Consistorio congregatos habita.*

Venerabiles ac dilecti Fratres,

Paschali hac procedente feliciter hebdomada, congredimur nos funditus nimirum permeati hoc mysterio fidei nostrae maximo, unde est Ecclesia ipsa aliquando exorta. « Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni ».[1] Suae

* Die 4 m. Aprilis a. 1991.

[1] *Lc* 24, 34.

videlicet resurrectionis die ingressus ille est cenaculum obseratis ianuis ubi Apostoli deversabantur, quibus deinde et manus suas ostendit ac latus,[2] signa nempe redemptionis nostrae, et insufflavit iis dicens: « Pax vobis! Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... Accipite Spiritum Sanctum ».[3]

Ineunte igitur congressu nostro oportet has Domini Iesu voces omnem suam nobis renovare vim. Nos oportet in Cenáculo iterum ante Christum consistere qui nos quoque mittit eundemque nobis Spiritum impertit quem Apostoli receperunt. Spiritus quidem hic est sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et timoris Domini. Eum ipsum nos ducere oportet.

Vos autem, venerati carique Fratres, nominatim ac particulatim vocamini ut cum Episcopo Romano sollicitudinem communicetis omnium Ecclesiarum quas illius « ministerium Petrinum » complectitur. Advenistis enim huc ex collegiali communitate Episcopatus universalis Ecclesiae et inter vos peculiare iam efficitis Collegium.

Collegium scilicet istud plus mille annos numerat necnon permagna erga totam Ecclesiam merita. Si vero munus vestrum meritumque est ante omnia confirmare ordinatam in Sede Petri Romana successionem, simul certe impendent vobis eadem officia et curae quibus ille Petri successor tenetur. A primis ergo initiis ministerii Nostri pro Ecclesia saepius occasiones quaesivimus ut iudicia et consilia vestra exquiramus de gravioribus Ecclesiae negotiis, quoniam prorsus confidimus auctoritati ac praeparationi vestrae, at potissimum huic Christi Ecclesiaeque amori cuius participes estis.

Notissimae iam dudum vobis sunt quaestiones in quibus praesens hoc Consistorium versari debet. Magnum sane pondus illae secum inferunt, quatenus doctrinam fidei ipsam ac morum tangunt eodemque tempore pastoralem Ecclesiae industriam multis in locis afficiunt. Sunt maximi sane momenti causae, quod ad Ecclesiae munus ac missionem attinet; sed respiciunt simul hominis dignitatem eiusque iura quibus privari non potest; verum eaedem quaestiones spectant obliqua via ad totam hominum aetatem venturam secundum fines ac modos nationum integrarum.

« Mors et vita duello conflixere mirando », in paschali canimus Liturgia. Etenim contentio inter cultum mortis et cultum humanum vitae amorisque continuata persistit. Hoc autem Consistorio nostro utentes recte cupimus honorem ita singularem ei tribuere qui est « Dux vitae »; dum Paschatis mysterio vitam et veritatem coniungimus atque omnibus viam com-

[2] Cf. *Io* 20, 19-20.
[3] *Ibid.* 20, 21-22.

monstramus quae ipse Dominus Iesus esse numquam desinit novis semper saeculis et aetatibus.

Sedi denique Sapientiae, Matri colendae resuscitati Domini, congressionem nostram collocutionemque fidentes commendamus.

II

Ad eos qui XLI conventui de rebus socialibus in Italia interfuerunt.*

Signori Cardinali,
venerati Fratelli nell'episcopato,
e voi tutti, fratelli e sorelle, impegnati nell'animazione cristiana delle realtà sociali!

1. A voi rivolgo il mio saluto cordiale, unito al più vivo compiacimento per la ripresa delle Settimane Sociali, vanto dei cattolici italiani. Con la presente iniziativa si attua un proposito emerso al Convegno ecclesiale di Loreto del 1985. Ciò che allora apparve auspicabile ha assunto oggi connotazioni di singolare attualità. Oggi più di allora i cattolici avvertono l'urgenza di approfondire le ragioni della loro comune speranza in vista di un'azione concorde a servizio del progetto di Dio su questa umanità che s'appresta a varcare la soglia del terzo millennio.

Qual è il progetto di Dio sulla nostra storia? Sulla storia di questa nuova Europa che si va faticosamente ridefinendo? Su quest'Italia in Europa?

Per il credente la risposta non ha dubbi: è un progetto di libertà, di solidarietà, di pace, perché è un progetto che poggia sulla ricostituzione in Gesù Cristo dell'unità della famiglia umana, disgregata dal peccato. Il credente sa che, dalla morte e risurrezione di Cristo, ogni uomo trae titolo ad esser parte del « popolo nuovo » pellegrinante nella storia verso la Patria definitiva, ove « non ci sarà più né Giudeo né Greco, né schiavo né libero, né uomo né donna, ma tutti saranno uno in Cristo Gesù ».[1]

È in questa prospettiva che voi vi interrogate sui vostri compiti di figli della Chiesa operanti in questa terra nella quale la Provvidenza ha voluto porre il centro del nuovo Popolo di Dio e dalla quale, nel corso dei secoli, si è irraggiato in modo tanto efficace verso le altre Nazioni d'Europa e del mondo il messaggio evangelico.

* Die 5 m. Aprilis a. 1991.

[1] Cf. *Gal* 3, 28.

2. Nella vostra comune riflessione voi invocate e vi aprite ai doni dello Spirito Santo: questo è il senso del vostro convenire, ciò che gli conferisce importanza e che lo renderà fecondo di frutti copiosi.

L'Europa, oggi, ha bisogno di essere ripensata alla luce delle sue più vitali tradizioni, delle più antiche e autentiche aspettative dei suoi popoli, che affondano le loro radici nella fede in Gesù Cristo.

Questa fede, per tanti anni, ha sostenuto la speranza di libertà di moltissimi nostri fratelli, rischiarando la lunga notte dell'oppressione.

Ora lo storico muro è caduto, una porta è stata aperta, ma altre ancora resistono ed altre si tenta di richiudere nuovamente con la coercizione e persino con la violenza.

Eppure il nuovo corso, che è appena iniziato, ha potuto avviarsi perché i popoli hanno tenacemente chiesto di esprimere liberamente le proprie convinzioni e di impegnarsi concretamente in una collaborazione che consentisse a ciascuno di porre le proprie risorse a servizio del bene di tutti.

La forza morale e le speranze, che hanno animato questi nostri fratelli in mezzo a tante sofferenze, non devono ora cedere il passo alla tentazione dello scoraggiamento per le nuove difficoltà o alle suggestioni di nuove forme di prevaricazione sul proprio simile, ma stimolare con nuovo vigore alla ricerca del bene comune e all'attuazione di una più piena giustizia sociale anche mediante un nuovo diritto internazionale e nuove incisive testimonianze di solidarietà. Ciò può supporre anche un ripensamento più generale circa il ruolo degli Stati nazionali rispetto al processo di integrazione europea ed una revisione delle loro istituzioni democratiche e partecipative.

3. Nessuno sforzo può portare validi ed efficaci cambiamenti, se non è fortemente ispirato e coerentemente sostenuto da una grande volontà di bene, da un anelito profondo verso la verità della persona umana e dalla società che essa è chiamata a costruire.

La ricerca e l'indicazione di questa verità, che dà senso alle persone e alle istituzioni, è il primo compito dei cattolici verso se stessi e verso gli altri membri della comunità. La Dottrina Sociale della Chiesa, che ha avuto cento anni fa nella *Berum novarum* una sua formulazione tanto ricca ed incisiva, offre principi di riflessione e criteri di azione che chiedono di essere coraggiosamente testimoniati e concretamente attuati.

Carissimi fratelli e sorelle, non esitate a ridiscutere propositi e progetti alla luce delle nuove prospettive che la Provvidenza ha aperto dinanzi a voi con i recenti avvenimenti. Sappiate valutare ogni elemento con la sapienza antica che deriva a voi dal Vangelo attraverso la ricca tradizione

culturale europea che in esso ha la sua principale fonte di ispirazione. Nel passato gli europei hanno esportato nel mondo i loro valori, la loro scienza, la loro abilità produttiva: oggi il mondo attende ancora da essi un nuovo contributo di saggezza attinto a quella cultura millenaria che la linfa cristiana ha saputo maturare nel corso dei secoli.

La storia ha reso gli europei esperti di divisioni dolorose e tragiche: la fede cristiana li deve aiutare a ritrovare i percorsi dell'intesa e della pace. La solidarietà è la risposta di civiltà che essi sono chiamati ad offrire ai popoli che invocano ancora libertà e autodeterminazione per poter compiere un cammino di sviluppo e di progresso nel rispetto dei diritti fondamentali della persona.

4. Al processo di cambiamento, che ha conosciuto di recente una così forte accelerazione, gli europei devono assicurare un'anima religiosa e culturale che ne garantisca l'avanzamento nella direzione dei valori che lo hanno ispirato e provocato.

Sono queste le prospettive dell'autentico futuro dell'Europa, un futuro che, mentre s'illumina dei bagliori del grande passato, attende di essere preparato nei rivolgimenti faticosi dell'ora presente grazie all'impegno generoso di tutti.

L'accoglienza degli immigrati che hanno culture e religioni diverse, il dialogo ecumenico, lo sforzo comune dell'Est e dell'Ovest per un progresso globale attraverso una nuova cultura della convivenza, sono impegni non eludibili. Il mio compiacimento per la ripresa delle Settimane Sociali nasce dalla fiducia che esse possano diventare una sorta di laboratorio culturale grazie al quale la comunità cristiana sia aiutata a leggere le « res novae » del nostro tempo, contrassegnato da profonde trasformazioni in ogni settore della vita, per trarne indicazioni atte a favorire la comune crescita verso traguardi di civiltà veramente degni dell'uomo.

5. Nel presente sistema economico di libero mercato la solidarietà è spesso delegata alle buone intenzioni e alla discrezionalità personale. Le conseguenze sono sotto gli occhi di tutti: s'assiste, di fatto, ad una corsa sfrenata verso l'accrescimento dei beni materiali che spesso non s'arresta neppure di fronte alle più palesi violazioni dei diritti della persona e della famiglia. Per questo la Chiesa proclama che il profitto non può essere il criterio di fondo della vita economica né l'obiettivo finale di una civiltà che voglia fregiarsi della connotazione di umana.

Resta tuttavia il problema dell'individuazione di strumenti giuridici e tecnici capaci di rendere concretamente operante, al di là della spontaneità

individuale, la solidarietà personale e sociale secondo quelle prospettive di sussidiarietà su cui la Dottrina Sociale della Chiesa da tempo insiste.

Occorre, poi, ripristinare nella coscienza comune la giusta gerarchia dei valori, che i tempi moderni hanno fortemente scosso e a volte persino sconvolto. I beni materiali esercitano un grande fascino sull'indigenza, l'abbondanza è il sogno della privazione, ma non è di sole cose che l'uomo vive, né può vivere solo per le cose. La povertà spirituale, che deprime le speranze personali e collettive e indebolisce il pensiero dell'Occidente opulento, ci richiama con urgenza al dovere di una ritessitura di quell'ordito di valori che appare spesso sfilacciato e consunto nelle nostre stesse comunità cristiane.

In definitiva, è l'adesione personale a Gesù Cristo che dev'essere intimamente rinnovata e consolidata. Ciò suppone un impegno di piena docilità allo Spirito da parte dei credenti, che si riconoscono creature di Dio e sanno di aver tutto ricevuto gratuitamente da un Padre infinitamente buono, imperscrutabilmente grande nell'amore. Scegliere la sobrietà per sé e orientarsi alla condivisione con gli altri è decisione che normalmente può essere assunta solo in quell'« orizzonte di senso » che la fede in Dio, Creatore e Padre, conferisce all'esistenza umana.

6. Sapranno i cattolici essere all'altezza degli storici compiti che li attendono? Sapranno essi, in particolare, impegnarsi per l'attuazione di una autentica solidarietà che rispetti e traduca nei fatti il principio di sussidiarietà, promovendo istituzioni compiutamente democratiche, grazie alle quali a ciascuno sia consentito di realizzarsi secondo la propria vocazione?

La posta in gioco è alta: le oligarchie, da una parte, e il predominio dei molti che prevaricano sui pochi dall'altra, sono rischi reali per l'Europa. L'unica via per evitarli è quella indicata dal Cristianesimo che invita a considerare il proprio simile non come un concorrente con cui competere, ma come un fratello a cui affiancarsi per edificare un mondo più giusto e più solidale.

In quest'Europa che torna ad essere polo di attrazione per tanti popoli, crocevia di culture, spazio di libertà, i cristiani devono testimoniare la loro fede con rinnovata energia, adoperandosi nella elaborazione di una strategia della solidarietà che valga ad instaurare e consolidare legami di autentica fraternità.

Il ripristino delle Settimane Sociali costituisce per i cattolici italiani una preziosa occasione per presentarsi con un loro specifico contributo ai fratelli delle comunità cristiane dell'Europa e del mondo.

Ringrazio il Comitato scientifico che ha coordinato il grande lavoro di preparazione di questa XLI Settimana Sociale. A tutti i relatori esprimo il mio apprezzamento per il contributo di riflessione offerto in questi giorni e, nell'invocare su di loro, sui presenti e su quanti hanno collaborato al buon esito dell'iniziativa l'abbondanza delle ricompense divine, a tutti imparto di cuore la mia Benedizione.

III

Exeunte extraordinario Consistono habita.*

1. « La pietra scartata dai costruttori è divenuta testata d'angolo ».[1] La liturgia pasquale esprime con queste parole del Salmo una verità centrale della fede. La Chiesa crede che Dio costruisce nel mondo il suo Regno. La costruzione poggia sulla pietra angolare. Il mistero pasquale è la rivelazione di questa pietra, su cui Dio stesso costruisce il suo Regno. Il fatto che gli uomini abbiano scartato questa pietra rivela ancora più chiaramente che Dio stesso è il costruttore del Regno, il quale si realizza però negli uomini ed attraverso gli uomini, nonostante le loro contraddizioni; il Regno di Dio, infatti, è la loro ultima eterna vocazione.

Questa realtà trova la sua drammatica espressione proprio nel mistero pasquale: durante la settimana scorsa e, particolarmente, durante il Sacro Triduo, la liturgia lo ha attestato in modo speciale. Del resto, lo attesta sempre, ogni giorno, in ogni celebrazione eucaristica, mettendo in evidenza la verità su Cristo, che è la testata d'angolo. Scartato dai costruttori, Cristo si è manifestato come Colui sul quale poggia pienamente tutta la costruzione del Regno di Dio nel mondo.

2. Il dramma del rifiuto di Cristo è come l'essenza degli eventi che hanno avuto luogo a Gerusalemme durante le feste pasquali.

Il Salmo lo attesta con le seguenti espressioni: «Mi avevano spinto con forza per farmi cadere, ma il Signore è stato il mio aiuto ».[2]

Queste parole del Salmo alludono al Cristo. È lo stesso Cristo che «nel giorno dopo il sabato » entra nel Cenacolo di Gerusalemme, mentre le porte erano chiuse.[3] Dopo l'esperienza della morte umana e del sepolcro Egli è

*** Die 7 m. Aprilis a. 1991.**

[1] ***Sai* 117(118), 22.**

[2] ***Ibid.* 117(118), 13.**

[3] **Cf. *Gv* 20, 19.**

tornato a vivere. Agli Apostoli riuniti mostra « le mani e il costato », in cui sono le tracce della crocifissione. Colui che vive è stato veramente condannato a morte e inchiodato in croce sul Golgota. Si trovano in Lui tutti i segni della pietra scartata dagli uomini.

L'evento pasquale del Cenacolo è forse la teofania più piena; ne è conferma soprattutto l'episodio della seconda apparizione, quando Tommaso, prima scettico, toccando i segni della crocifissione, confessa la sua fede con le parole: « Mio Signore e mio Dio ».[4]

È questa la teofania più piena: il Dio rivelato nell'uomo; rivelato a prezzo della Croce; rivelato grazie al dominio sulla propria morte umana. Il Dio rivelato nel suo mistero trinitario: il Padre, il Figlio e lo Spirito Santo!

3. Che cosa è la fede? Cristo risponde a Tommaso: «Perché mi hai veduto, hai creduto: beati quelli che, pur non avendo visto, crederanno ».[5]

Che cosa è la fede? La fede è il contrario dell'incredulità, in quanto si contrappone a chi tenta di scartare la pietra angolare che è Cristo. La fede è, quindi, accettare il Regno che Dio sta costruendo nel mondo su Cristo, su questa unica testata d'angolo.

Che cosa è la fede?

La liturgia di questa seconda domenica di Pasqua, detta in Albis, dà a questa domanda una risposta in cui si racchiude tutta la logica della Pasqua di Cristo: della Croce e della Risurrezione. La Liturgia risponde con le parole tratte dalla Lettera di san Giovanni, le quali contengono in sé un profondo riflesso di ciò che Giovanni, insieme con gli altri Apostoli e con Tommaso, ha potuto sperimentare nel Cenacolo di Gerusalemme.

Ecco le parole di Giovanni: «Chiunque crede che Gesù è Cristo, è nato da Dio... Tutto ciò che è nato da Dio vince il mondo: e questa è la vittoria che ha sconfitto il mondo: la nostra fede ».

« E chi è che vince il mondo se non chi crede che Gesù è il Figlio di Dio? ».[6]

« Mio Signore e mio Dio ».[7]

4. La Pasqua, la Pasqua di Cristo, costituisce questo momento particolare in cui si decide il problema della fede e dell'incredulità: accettare, oppure rifiutare il Regno che Dio costruisce nel mondo sulla pietra angolare, che è Cristo.

[4] *Gv* 20, 28.
[5] *Ibid.* 20, 29.
[6] *1 Gv* 5, 1. 4-5.
[7] *Gv* 20, 28.

Le parole di Giovanni vogliono forse indicare che la fede significa rifiuto del mondo? L'Apostolo parla della vittoria e non del rifiuto. La vittoria avviene sul « mondo » che cerca di imporsi all'uomo come unica dimensione e fine della sua esistenza, come, in certo modo, «un assoluto» che non esiste.

Il fatto che il mondo non è l'assoluto, né la dimensione definitiva dell'uomo, lo prova soprattutto la realtà della morte. Non può essere assoluto ciò che è mortale, distruttibile, transitorio. Cristo, per mezzo della sua vittoria sulla morte, ha rivelato l'assoluto che è Dio. La risurrezione è la definitiva teofania. « Tutto ciò che è nato da Dio vince il mondo ».

5. Questa vittoria, al tempo stesso, è la più profonda accettazione della creazione, cioè del mondo: del mondo creato da Dio per amore; del mondo redento da Cristo. Non c'è «un amore più grande di questo: dare la vita... »[8] per la propria creatura.

Il Concilio Vaticano II si è incaricato proprio di compiere un rinnovamento della fede pasquale della Chiesa: « Con la sua risurrezione, costituito Signore, Egli, il Cristo, cui è stato dato ogni potere in cielo e in terra, tuttora opera nel cuore degli uomini con la virtù del suo Spirito, non solo suscitando il desiderio del mondo futuro, ma per ciò stesso anche ispirando, purificando e fortificando quei generosi propositi con i quali la famiglia degli uomini cerca di rendere più umana la propria vita e di sottomettere a questo fine tutta la terra. Ma i doni dello Spirito sono vari ».[9]

6. Siamo riuniti qui, venerati e cari Fratelli nell'episcopato, membri del Collegio Cardinalizio, proprio per rispondere alle esigenze di questa fede pasquale.

Mentre la liturgia ci fa ricordare il Cristo risorto, riunito nel Cenacolo con gli Apostoli, è con particolare gioia che noi pure siamo adunati in questa concelebrazione, tutta permeata della luce e della letizia pasquale.

Ringrazio di cuore i Fratelli Cardinali per la loro presenza a questa liturgia eucaristica dell'ottava di Pasqua e per l'apporto che hanno dato in questi giorni, nei quali abbiamo riflettuto insieme su alcuni problemi che impegnano oggi la Chiesa e interpellano la nostra responsabilità di fronte a Dio e all'umanità.

7. Il Concistoro straordinario, che vede riuniti tutti i Cardinali attorno al Successore di Pietro, è sempre un evento importante, del quale dobbia-

[8] *Ibid.* 15, 13.

[9] *Gaudium et spes,* 38.

mo ringraziare il Signore, datore di ogni bene. Esso non mancherà, ne siamo certi, di recare alla Chiesa un nuovo stimolo nel suo incessante impegno di evangelizzazione di tutte le genti e nell'assidua cura pastorale di ogni cristiano, divenuto con il battesimo membro del Corpo mistico di Cristo. Il cristiano, infatti, — come afferma la Costituzione Pastorale *Gaudium et spes* — « è assillato dalla necessità e dal dovere di combattere contro il male attraverso molte tribolazioni... ma, associato al mistero pasquale, come viene assimilato alla morte di Cristo, così andrà anche incontro alla risurrezione, confortato dalla speranza... Per Cristo e in Cristo riceve luce quell'enigma del dolore e della morte, che al di fuori del suo Vangelo ci opprime. Con la sua morte Egli ha distrutto la morte, con la sua risurrezione ha fatto a noi dono della vita, perché anche noi, diventando figli nel Figlio, possiamo pregare esclamando nello Spirito: Abba, Padre! ».[10]

Venerati Fratelli Cardinali e voi tutti, cari Fratelli e Sorelle: « Questo è il giorno fatto dal Signore: rallegriamoci ed esultiamo in esso! ».[11]

Amen!

IV

Ad Praesides episcopalium Conferentiarum Romae congregatos habita.*

1. Con tutto il cuore saluto voi, cari Fratelli nell'episcopato, che a nome ed in rappresentanza delle rispettive Conferenze episcopali siete venuti a Roma, per studiare insieme importanti problemi concernenti la Sede Apostolica.

Ho accolto volentieri la proposta di questa iniziativa, suggerita dai miei collaboratori, e vi ringrazio per la vostra disponibilità e per il contributo dei vostri consigli e delle vostre proposte, che sono tanto più validi in quanto provengono dalla ricca e illuminata esperienza di Pastori sparsi in tutto il mondo.

Questa iniziativa è incoraggiata dall'esempio della Chiesa primitiva, nella quale troviamo una delle prime espressioni concrete di comunione tra le Chiese particolari e la Chiesa universale: intendo alludere alle collette organizzate da san Paolo nelle Chiese da lui fondate a favore della Chiesa Madre di Gerusalemme.[1]

[10] *Ibid.* 22.
[11] *Sal* 117(118), '24.

* Die 9 m Aprilis a. 1991,
[1] Cf. *Gal* 2, 9-10; *1 Cor* 16, 1-4; *2 Cor* 8, 1-24; *At* 11, 30.

È questo, infatti, il senso del convegno di questi giorni e di quanto in esso avete trattato: permettere alla comunione ecclesiale, che unisce tutte le componenti del Corpo Mistico di Cristo in un vincolo reale e organico, di esprimersi anche nella dimensione di caritatevole e solidale aiuto materiale.

Esso è chiesto affinché la Curia Romana possa servire meglio e compiere più facilmente la sua missione e la sua diaconia alla Chiesa intera.

Alla base dell'aiuto chiesto alle Chiese particolari c'è anche una esigenza di giustizia, alla quale alludeva san Paolo quando, riferendosi alla colletta in favore dei poveri della Chesa di Gerusalemme fatta dalle comunità di Macedonia ed Acaia, affermava: « L'hanno voluto perché sono ad essi debitori; infatti, avendo i pagani partecipato ai loro beni spirituali, sono in debito di rendere un servizio sacro nelle loro necessità materiali ».[2]

Se è vero, infatti, che la comunione è vincolo di fede e di carità, che stabilisce legami che vanno al di là delle norme giuridiche, essa ha pure bisogno di concrete espressioni di quella sollecitudine che ogni Vescovo deve avere per la Chiesa universale e quindi per gli altri organismi centrali che operano a beneficio dell'intera Comunità ecclesiale.

Il contributo economico alla vita e all'azione della Santa Sede va visto altresì come esigenza di condivisione dei beni, al fine di esprimere concretamente l'unità del *Corpus Ecclesiarum.*

2. Nei tempi passati, anche quando non esisteva più uno Stato Pontificio, le modeste entrate della Santa Sede bastavano a coprire le spese. In questi ultimi tempi, invece, con le nuove esigenze pastorali e di servizio, e con la necessità di retribuire secondo i principi della giustizia sociale i collaboratori, aumentati notevolmente di numero al fine di rispondere alle nuove necessità della Sede Apostolica, si sono accresciuti i bisogni finanziari in proporzione tale che non è più possibile farvi fronte, neppure destinando a questo scopo le offerte dell'Obolo di San Pietro.

Alle necessità del governo centrale della Chiesa si assommano quelle, anch'esse in continuo aumento, di intere popolazioni e Chiese particolari, al limite di estrema indigenza, che hanno diritto ad attendersi un gesto concreto di carità dal Papa, cui corrisponde l'altissimo compito di « universo caritatis coetui praesidere ».[3]

A nessuno di voi sfugge quanto sia indispensabile rispondere alle iniziative di promozione e di studio, richieste dalla situazione della Chiesa e del mondo, e non dovervi rinunciare a causa della mancanza di mezzi econo-

[2] *Rm* 15, 27.

[3] Cf. *Lumen gentium,* 13.

mici. È vero che dobbiamo procedere con rigorosi criteri di austerità e di povertà, ma, allo stesso tempo, dobbiamo provvedere quanto è indispensabile per lo svolgimento del lavoro, pur affidandoci alla Provvidenza, che non lascerà mancare il necessario alla Chiesa e a chi ha il compito di guidarla.

3. In questi due giorni voi siete stati informati sui principali aspetti dell'organizzazione economica della Santa Sede e sulle esigenze finanziarie che l'attività della Curia Romana comporta. Avete potuto chiedere chiarimenti ed ottenere spiegazioni, come anche esprimere riflessioni e proporre suggerimenti che saranno attentamente valutati dai Dicasteri interessati.

La riunione di questi giorni può segnare l'inizio di nuovi importanti sviluppi della comune sollecitudine di tutti i Vescovi affinché siano assicurati i supporti materiali necessari per il servizio della Santa Sede alla Chiesa universale e alla umanità tutta se vi farete portavoce di queste istanze in seno alle vostre Conferenze episcopali, in modo che i Vescovi possano ricercare e trovare le soluzioni più appropriate.

In ogni epoca tale sollecitudine è stata contrassegnata da spirito di solidarietà e di condivisione, e si è manifestata con forme di attuazione rispondenti alle particolari esigenze ed alla mentalità del tempo. Il nuovo Codice di Diritto Canonico, frutto del Concilio Ecumenico Vaticano II, indica ora a noi, anche in questo, una via sicura su cui procedere nelle presenti circostanze.

A voi, venerati Fratelli ed a tutti i Vescovi delle vostre Conferenze episcopali — che riceveranno da voi un'opportuna informazione circa questa riunione, e che anzi saranno chiamati a continuarla ed a portarla a positiva conclusione — va il mio fraterno augurio di bene, che accompagno con una particolare Benedizione Apostolica, che ora di cuore imparto a voi e a tutti i fedeli delle vostre Comunità diocesane.

Ad academicas Auctoritates, docentes alumnosque Pontificiae Universitatis Urbanianae.*

1. Saluto e ringrazio il Signor Cardinale Jozef Tomko, Gran Cancelliere di questa Università, Prefetto della Congregazione per l'Evangelizzazione

* Die 11 m. Aprilis a. 1991.

dei Popoli, per le parole rivoltemi e per tutto ciò che egli compie per animare l'attività missionaria della Chiesa. Per sua natura la Chiesa è missionaria finché vive nel tempo, avendo ricevuto dal Signore il compito di illuminare tutti gli uomini, annunciando il Vangelo ad ogni creatura.

Saluto e ringrazio il Rettore Magnifico dell'Università Urbaniana, i Signori Cardinali ed i Vescovi presenti, i componenti del Corpo accadèmico, i rettori, formatori e studenti dei cinque Collegi dipendenti, del Collegio Urbano, i moderatori degli Istituti Missionari, i cooperatori ed il personale di ciascuna comunità.

Un grazie particolare va a Monsignor José Saraiva Martins, che ci ha ricordato i contenuti dell'Enciclica *Redemptoris missio.*

A tutti sia pace nel Signore risorto, che ci comunica la sua vita e ci rende partecipi della sua missione.

mancano tra i Gesuiti apostoli coraggiosi che si distinguono per il dinamismo ed il vigore apostolico propri di sant'Ignazio. Non mancano servitori umili e docili della Chiesa, capaci di cogliere i segni dei tempi e di dedicare ogni energia alla nuova evangelizzazione. Non mancano costruttori infaticabili di concreta solidarietà fra gli uomini e maestri di autentica dottrina.

Ma da dove nasce tale freschezza spirituale se non dalla continua e sincera adesione a Cristo?

« Voi chi dite che io sia? », continua a domandare Gesù. E come Pietro, come gli Apostoli, come Ignazio di Loyola, ogni Gesuita, interiormente spinto dallo Spirito Santo, deve rispondere fiducioso e convinto: « Tu sei il Cristo, il Eiglio del Dio vivente! ».

5. « Beato te... perché né la carne né il sangue te l'hanno rivelato, ma il Padre mio che sta nei Cieli ».[11]

Beato te, Ignazio di Loyola, e beato ogni fedele tuo seguace! Il Vangelo, nei versetti che seguono il testo poc'anzi ascoltato, racconta come da allora Gesù cominciò a parlare ai discepoli delle sofferenze che avrebbe incontrato sino alla passione e alla morte in croce. E diceva chiaramente che la croce sarebbe stata compagna indivisibile di chi avrebbe voluto seguirlo, specialmente dei suoi amici, invitati ad una condivisione di vita più profonda.

Come non ricordare, in proposito, la celeste visione che sant'Ignazio ebbe l'autunno del 1537 alle porte di Roma, nella cappella della Storta? L'Eterno Padre, accogliendo la sua preghiera, lo metteva con i suoi compagni al servizio di Gesù, ma di Gesù che portava la croce; confortandoli però con la promessa della sua protezione: « Ego vobis Romae propitius ero », vi sarò propizio a Roma.

« Chi vuol venire dietro a me, rinneghi se stesso, prenda la sua Croce e mi segua» (Canto d'ingresso).

Ecco la sorgente dell'insegnamento e dell'esempio del vostro Fondatore!

Lasciatevi conquistare da Cristo Gesù! Sia questo lo sforzo di ogni giorno, l'impegno di ogni istante della vostra esistenza.

Con lui potrete guardare fiduciosi verso l'avvenire ed il vostro apostolato sarà fruttuoso ed efficace. Con lui non temerete di combattere la buona battaglia del Vangelo.[12] Reputerete, infatti, tutto una « perdita di fronte alla sublimità della conoscenza di Cristo Gesù ».[13]

[11] ***Mt* 16, 17.**

[12] **Cf. *Colletta.***

[13] ***FU* 3, 8. Prima lettura.**

6. Riscoprite, carissimi fratelli e sorelle, il genuino carisma ignaziano, così come è tramandato ed attualizzato nelle Costituzioni e nelle decisioni ed orientamenti delle Congregazioni Generali, approvati dalla Santa Sede.

Vivete la vostra consacrazione in modo esemplare ed austero. « Sant'Ignazio vi chiede di essere uomini di orazione — ricordavo all'inizio dell'ultima vostra Congregazione Generale — per essere anche maestri di orazione ed insieme uomini di mortificazione, per essere segni visibili dei valori evangelici. L'austerità della vita povera e semplice sia segno che l'unico vostro tesoro è Cristo ».

Dedicatevi all'apostolato con ardore e sagacia, nella cura pastorale dei fedeli, nell'attività specificamente missionaria con i non cristiani, nella nuova evangelizzazione.

Amate la Chiesa; sia senza ombra la vostra filiale adesione al suo Magistero, anche quando bisogna osare di andare controcorrente in un mondo che rigetta spesso i valori della vita e della giustizia, della pace e dell'amore quali Cristo ha insegnato.

7. « Rimanete in me ».[14]

Chi resta in Cristo, Via, Verità e Vita, porta molto frutto.

Ma come dimorare in Cristo, se non lo conosciamo, se non lo seguiamo?

Beato è, allora, « l'uomo che medita la Legge del Signore giorno e notte » (Salmo Responsoriale).

Beato è chi proclama la propria fede come Pietro, come Ignazio di Loyola e conserva in sé la Parola guardando a Maria, che « serbava tutte queste cose nel suo cuore ».[15]

Maria, Regina e Madre della Compagnia di Gesù, dinanzi alla tua immagine 450 anni fa sant'Ignazio e i suoi compagni empero Ja loro solenne professione religiosa. Dinanzi a fé anche oggi i sugi figli spirituali rinnovano il dono oli se stessi a Cristo e alla Chiesa.

A Cristo, il Figlio del Dio vivente!

Alla Chiesa, edificata su « questa pietra » e contro la quale « le porte degli inferi non prevarranno ».[16]

Rimanete in me!

Amen!

[14] ***Gv* 15, 4-5. Acclamazione al Vangelo.**

[15] ***Le 2,* 51.**

[16] ***Mt* 16, 18.**

NUNTII TELEVISIFICI

I

Feria VE in Passione et Morte D.ni nostri Iesu Christi.*

1. Dalla lettera agli Ebrei: « Il sangue di Cristo, che con uno Spirito eterno offrì se stesso senza macchia a Dio, purificherà la nostra coscienza dalle opere morte, per servire il Dio vivente ».[1]

2. Dall'Enciclica sullo Spirito Santo *Dominum et Vivificantem:* « Le parole della Lettera agli Ebrei ci spiegano ora in quale modo Cristo "offrì se stesso senza macchia a Dio", e come ciò fece "con uno Spirito eterno". Nel sacrificio del Figlio dell'uomo lo Spirito Santo è presente ed agisce così come agiva nel suo concepimento, nella sua venuta al mondo, nella sua vita nascosta e nel suo ministero pubblico ».[2]

Le stesse parole dimostrano, inoltre, « come l'umanità, sottomessa al peccato nei discendenti del primo Adamo, in Gesù Cristo è diventata perfettamente sottomessa a Dio ed a lui unita e, nello stesso tempo, piena di misericordia verso gli uomini ».[3]

Cristo stesso nella sua umanità si è aperto senza alcun limite all'azione dello Spirito-Paraclito che fa scaturire dalla sofferenza l'amore che salva.

3. « Il Figlio di Dio Gesù Cristo, come uomo, nell'ardente preghiera della sua passione, permise allo Spirito Santo, che già aveva penetrato fino in fondo la sua umanità, di trasformarla in un sacrificio perfetto mediante l'atto della sua morte, come vittima di amore sulla Croce. Da solo egli fece questa oblazione... Nella sua umanità era degno di divenire un tale sacrificio, poiché egli solo era "senza macchia". Ma l'offrì "con uno Spirito eterno"... Lo Spirito Santo agì in modo speciale in questa assoluta autodonazione del Figlio dell'uomo, per trasformare la sofferenza in amore redentivo ».[4]

« Per analogia si può dire che lo Spirito Santo è "il fuoco dal cielo", che opera nel profondo del mistero della Croce... discende, in un certo senso, nel cuore stesso del sacrificio che viene offerto sulla Croce... egli consuma questo sacrificio col fuoco dell'amore, che unisce il Figlio col Padre nella comunione trinitaria ».[5]

* Die 29 m. Martii a. 1991.

[1] Cf. *Ebr* 9, 14.

[2] *Dominum et vivificantem,* 40.

[3] *Ibid.*

[4] *Ibid.*

[5] *Ibid.,* 41.

4. Cari fratelli e sorelle, pellegrini del Venerdì Santo che partecipate alla Via Crucis nel Colosseo romano, fedeli di Roma e del mondo, presenti in questo luogo o uniti a noi grazie alla radio e alla televisione!

Qui si conclude la celebrazione del Giorno della morte di Cristo; giorno in cui si fa presente, in modo tutto particolare, la redenzione del mondo. Sulla Croce è sconfìtto il potere del male ed in ogni uomo sofferente, perseguitato, stanco e sfiduciato la speranza rinasce.

Silenzioso e abbandonato, il Crocifisso consuma nell'amore il sacrificio della salvezza per noi. Dal suo sangue sgorga la vita; nel mistero della Passione trionfa la misericordia dell'Altissimo.

Croce della nostra salvezza,
tu porti appeso il Signore del mondo!

«Benedetto sia Dio, Padre del Signore nostro Gesù Cristo... nel quale abbiamo la redenzione mediante il suo sangue, la remissione dei peccati ».[6]

Dopo la risurrezione, compiuti i giorni della Pasqua, il Risorto entra a porte chiuse nel Cenacolo e mostra agli Apostoli i segni della crocifissione; soffia su di loro e dice:

« Ricevete lo Spirito Santo; a chi rimetterete i peccati saranno rimessi ».[7]

« Il sangue di Cristo, il quale con uno Spirito eterno Offrì se stesso senza macchia a Dio »,[8] purificherà nella potenza di tale Spirito le nostre coscienze sino alla finé del mondo.

Gloria a Te, Parola di Dio!
Gloria a Te, Cristo immolato per noi!
Il tuo amore ha redento il mondo
e sempre lo salva!
Amen!

II

Die Paschatis missus.*

1. « Questo è il giorno fatto dal Signore »-[1]
Come pellegrini, siamo in cammino verso questo giorno
lungo tutta la storia, sin dall'inizio della creazione:
« In principio Dio creò il cielo e la terra.

[6] *Ef* 1. 3.. 7.
[7] *Ov* 20, 22-23.
[8] *Eh* 9, 14.

* Die 31 m. Martii a. 1991.
[1] *Sai* 117(118), 24.

La terra era informe e deserta
e le tenebre ricoprivano l'abisso
e lo spirito di Dio aleggiava sulle acque ».[2]
Siamo pellegrini verso questo giorno
attraverso tutto il creato visibile:
attraverso il cosmo, attraverso le galassie,
attraverso il nostro sistema solare, attraverso la terra.
Siamo pellegrini attraverso la storia dell'uomo,
nella quale agisce l'invisibile Spirito:
10 Spirito di Dio,
« il vento che soffia dove vuole ».[3]
11 giorno « fatto dal Signore »
è il giorno della manifestazione della sua potenza.

2. Verso questo giorno, noi, la Chiesa
— Popolo di Dio disseminato sulla terra —
camminiamo insieme a Cristo
seguendo la via del suo Vangelo,
seguendo tutto ciò che Egli « fece e insegnò »[4]
fino a questo vertice della Pasqua,
quando assunse su di sé totalmente
la nostra umanità insieme col peccato.
Lui, che non ha conosciuto peccato,
ha assunto su di sé il peccato,
divenendo per noi peccato
Lui senza peccato.[5]
Avendo preso su di sé anche la morte,
discese nella tomba umana ai piedi del Golgota:
« con uno Spirito eterno offrì se stesso
senza macchia a Dio ».[6]
Lo Spirito, che sin dal principio aleggiava sulle acque,
divenne sul Golgota fuoco per bruciare il Sacrificio
— e il fuoco significa Amore.

3. Abbiamo seguito le orme di Cristo,
abbiamo percorso le vie delle sue parole

[2] *On* 1, 1-2.
[3] Cf. *Gv* 3, 8.
[4] Cf. *At* 1, 1.
[5] Cf. *2 Cor* 5, 21.
[6] *Eb* 9, 14.

e dei segni da Lui operati.
Sul Golgota siamo restati attoniti,
e quando è sopraggiunta l'ultima notte,
abbiamo vegliato presso la tomba.
Ha vegliato la Chiesa che è in Roma.
Ha vegliato la Chiesa sparsa in tutta la terra.
Ed ecco, si è aperto davanti a noi il Giorno.
« Il Giorno fatto dal Signore »
nella storia dell'universo e nella storia dell'uomo.
Questo Giorno spunta dalla notte di veglia.
E il Giorno in cui Dio ha rivelato
di essere il Dio dei viventi e non dei morti.[7]
E lo ha rivelato proprio là
dove la morte dell'Uomo era stata sigillata
come un fatto definitivo e irreversibile.
« Diventerò, o morte, la tua morte »:
queste parole la Liturgia mette
sulle labbra di Cristo.[8]
Davvero, questo è « il Giorno fatto dal Signore »,
proprio da Lui.
L'uomo non sarebbe stato capace di farlo.
Forse anche per questo cerca di accantonarlo,
forse anche per questo lo evita,
forse è per questo che dubita.

4. Ma questo Giorno dura.
Dura in modo più irreversibile di ogni morte umana.
Dura come la Promessa e come il Nuovo Inizio.
Dura nella potenza dello Spirito che, in principio,
aleggiava sulle acque del cosmo nascente,
diventate, oggi, l'Acqua
che zampilla dal fianco trafitto di Cristo,
e si riversa nel cuore degli uomini assetati
come Amore che non muore e non passa,
perché ha in Lui la sua eternità:

[7] Cf. *Mc* 12, 27.
[8] Cf. *Ant. Vespri* del Sab. Santo.

esso — l'amore — diventerà pure misura definitiva
del « giorno fatto dal Signore ».
« Rallegriamoci ed esultiamo in esso ».[9]

5. Sì, questo è giorno di Luce, di Forza e di Speranza
che fa indietreggiare le tenebre
minaccianti la terra.
Tenebre che anche di recente hanno oscurato
la comunità degli uomini:
quando s'è scelta l'aggressione e la violazione
del diritto internazionale;
quando s'è preteso risolvere le tensioni tra i popoli
con la guerra, seminatrice di morte;
quando dal Baltico al Mediterraneo,
ed in altre aree del mondo,
s'è levata invano la voce dei popoli,
anelanti al rispetto della propria identità
e della propria storia;
quando non tutto s'è fatto
per fronteggiare l'inesorabile minaccia della carestia,
che ha colpito intere popolazioni africane,
come ad esempio nel Sudan e in Etiopia,
o per arrestare in quello stesso Continente,
in particolare in Angola, Mozambico, Liberia e Somalia,
guerre e guerriglie che stremano popoli
già in condizioni precarie.

6. Ma Cristo vince le tenebre e rivela all'uomo
la piena dignità della sua vocazione.
Risorgi con lui, umanità del nostro tempo!
Potrai, allora, accogliere con amore la vita,
dal suo sbocciare al naturale tramonto.
Impedirai con vigore lo sfruttamento del povero.
Dirai no al commercio lucroso delle armi,
che sostituirai con progetti di autentica solidarietà,
al servizio integrale dell'uomo.
Presta ascolto, umanità del nostro tempo,
all'aspirazione a lungo trascurata di popoli oppressi,

[9] *Sal* 117(118), 24.

come quello palestinese, quello libanese, quello curdo,
che reclamano il diritto di esistere
con dignità, giustizia e libertà,
legittime richieste per anni invano reiterate.
Non temere di consentire ad Ogni persona
la libera professione della sua fede religiosa.
Penso anche a te, diletta comunità cattolica d'Albania,
rimasta fedele al Vangelo di Cristo;
riprendi coraggio,
cammina verso stagioni di frutti copiosi!

7. Da questo luogo, cuore della Chiesa,
dove giungono grida di dolore
e imploranti appelli all'aiuto,
mi rivolgo a voi, responsabili delle Nazioni,
in quest'ora diffìcile della storia:
ascoltate la voce dei poveri!
Soltanto su un ordine internazionale
in cui diritto e libertà siano per tutti indivisibili,
può fondarsi la società da tutti auspicata.
Aiutate i popoli che in Africa, in Asia, in America Latina
aspirano a società più libere e democratiche!
Sia totale il rispetto per l'uomo,
nel quale brilla l'immagine di Dio!
Ogni offesa alla persona è offesa a Dio,
che con l'essere umano ha stretto solida e fedele alleanza.

8. Questo è il « Giorno fatto dal Signore ». Alleluia!
Riprendete speranza,
fratelli e sorelle del mondo intero!
Con Cristo, nostra Pasqua, tutto è possibile!
Cristo avanza nel nostro futuro!
Nel suo nome vi saluto,
con Lui tutti vi benedico!

NUNTIUS SCRIPTO DATUS

Ad Secretarium Generalem O.N.U, missus.

A Son Excellence
Monsieur Javier Pérez de Cuellar
Secrétaire général de l'Organisation des Nations Unies

Comme vous le savez, les 4 et 5 mars derniers, j'ai voulu réunir les Patriarches des Eglises catholiques du Moyen-Orient et les Représentants des Episcopats des pays qui étaient les plus impliqués dans la récente guerre du Golfe. Cette rencontre avait été convoquée en vue de favoriser un échange d'informations et une évaluation des diverses conséquences négatives du conflit, ainsi que de rechercher ensemble les initiatives les plus opportunes permettant d'y remédier.

Ce fut avant tout une rencontre de Pasteurs, unis par la préoccupation commune face à la conjonture et à l'avenir des communautés chrétiennes du Moyen-Orient, qui, comme on le sait, sont minoritaires au sein de sociétés à majorité musulmane ou juive.

La première intention qui est apparue a été celle de poursuivre et de développer le dialogue entre les chrétiens et les musulmans et entre les chrétiens et les juifs, dans le ferme espoir qu'il porte à une meilleure connaissance réciproque, à une mutuelle confiance et à une collaboration concrète, permettant à toutes les communautés d'exprimer librement leur foi et de participer de plein droit à la construction des sociétés dans lesquelles elles se trouvent.

De plus, s'est manifestée la conviction qu'un dialogue inter-religieux sincère, se déroulant dans un climat d'authentique liberté de religion, pourra contribuer notablement à la poursuite de la justice et à la garantie de la paix, dont la région du Moyen-Orient a tant besoin.

Les Patriarches et les Evêques n'ont pas manqué de se référer au rôle de la Communauté internationale et ont exprimé leur grande estime à l'égard du Secrétaire général de l'Organisation des Nations Unies. Ils pensent que dans la période actuelle, postérieure à la guerre du Golfe, il faudra avoir beaucoup de bonne volonté et déployer de grands efforts pour affronter tous les problèmes: ceux qui ont surgi ou qui ont été accrus lors du conflit, et ceux qui existent depuis longtemps dans la région et qui demeurent sans solution.

Les Pasteurs des Eglises catholiques du Moyen-Orient et de l'Occident sont confiants en l'œuvre de l'Organisation des Nations Unies et ils souhaitent que les négociations pour une paix juste dans le Golfe ne comportent ni humiliation pour quiconque, ni punition pour quelque peuple que ce soit. En même temps, ils espèrent que, par le moyen de l'Organisation des Nations Unies et de ses organismes spécialisés, la sensibilité et la solidarité internationales ne manqueront pas à tous ceux que la guerre récente a mis en situation de nécessité.

Naturellement, au cours de la réunion, les autres grands problèmes du Moyen-Orient ont été évoqués, in particulier ceux qui concernent le peuple palestinien et le peuple libanais, et qui demeurent dans toute leur dramatique réalité, en dépit des nombreuses résolutions de l'Organisation des Nations Unies. Les Pasteurs attendent un engagement international énergique afin de suivre au plus vite un chemin concret vers la solution de ces problèmes, de façon que tous les peuples de la région voient reconnus leurs droits et leurs légitimes aspirations, et qu'ils puissent vivre harmonieusement en paix.

Les Patriarches et les Evêques ont également porté leur attention sur la Ville de Jérusalem, dans la crainte que les pourparlers politiques espérés au sujet des autres problèmes de la région ne fassent diminuer l'intérêt envers la Ville Sainte et ses caractéristiques, et que les exigences qui en découlent ne soient pas dûment prises en compte.

Au nom des participants à la réunion et des communautés qu'ils représentaient, je vous confie, Monsieur le Secrétaire général, ces espérances et ces préoccupations, certain que votre sensibilité et votre profonde connaissance des problèmes contribueront à ce qu'elles soient présentes à l'esprit de tous ceux qui, en ce temps de recherche de la justice et de consolidation de la paix, ont la lourde responsabilité de guider le destin des peuples.

Que Dieu bénisse votre personne et votre mission!

Du Vatican, le 21 mars 1991.

IOANNES PAULUS PP. II

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

i

RUREMUNDEN.

DECRETUM

Canonizationis Servae Dei Clarae Fey, Fundatricis Congregationis Sororum a Paupere Iesu Infante (1815-1894).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Parentes, cum vitam filiis contulerint, prolem educandi gravissima obligatione tenentur et ideo primi et praecipui eorum educatores agnoscendi sunt » (CONC. OECUM. VAT. II, Decl. de educatione Christiana *Gravissimum educationis,* 3)..... .

Interdum quidem accidit ut parentes non possint aut nolint necessaria educatione suos instruere filios, gravia ita damna inferentes ipsis filiis, societati et Ecclesiae. Non raro tamen Providentia viros ac mulieres suscitavit qui, caritate impulsi et sincera boni communis cura, pueris et iuvenibus, auxilio indigentibus et formatione, veluti parentes facti sunt.

Etiam serva Dei Clara Fey, cum amore et materna sedulitate iuventuti pauperi atque derelictae educandae se tradidit, ita vitiis et lacunis medens familiarum et societatis, quae in officinarum provehendarum rationem immissa, dum rerum corporearum progressioni favebat, non multum faciebat aut nihil pro opificum filiis qui, scholarum et locorum educationis expertes, sibi ipsis relicti erant et insidiosissimis commissi deerrandi pericu-

lis. Serva Dei, ut gravi eiusmodi statui rerum socialium subveniret, se totam Christi ministerio dedidit ad bonum egentium puerorum, ita ad effectum deducens Evangelii verba: « Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit » *(Mt* 18, 5) et: « Quandiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis » *(Mt* 25, 40).

Serva Dei est Aquisgrani orta die 11 mensis Aprilis anno 1815 a Petro Aloisio Fey et Catharina Schweling, qui fide, pietate et caritate in pauperes eminebant. Eodem die baptizata, sunt ei nomina indita Maria Aloisia Christina Clara, quo nomine est ferme appellata.

Die 14 mensis Iunii anno 1827 primum ad eucharisticam mensam accessit et die 7 mensis Iulii eodem anno sacramentum accepit Confirmationis.

Quinquennis orbata patre, est a matre educata, quae eam Dei amorem docuit et timorem, beneficentiae exercitium et officii conscientiam.

Institutione provecta, pro temporibus, instructa est, primum apud quasdam loci *Seilgraben* Sorores, dein apud S. Leonardi scholam, quae, a laicis recta, ad puellas nata erat amplo ordine ortas. Ibi praeceptricem habuit Aloisiam Hensel, conversam ad Ecclesiam catholicam, pastoris novatoris filiam, veram spiritus magistram, quae indelebile in discipulis fecit vestigium. Ludi tempore acto, est a matre directa ad domesticos labores et in quadam schola plumariam et suendi artem didicit. Interea in opera caritatis incumbebat pro familiis et pueris egenis. Iuventutis urbis suae difficultatibus socialibus et religiosis commota, anno 1837 cum aliquibus sociis se dedere coepit pueris pauperibus docendis et formandis. Anno 1842 convictus domum aperuit pro puellis et anno 1844, domo sua semel relicta, cum duabus sodalibus in conventum S. Dominici dèmigravit, ubi initium fecit Congregationis Sororum a Paupere Iesu Infante, quam canonice approbavit Coloniensis Archiepiscopus die 28 mensis Ianuarii anno 1848, et Apostolica Sedes in perpetuum anno 1888. Anno 1850 Serva Dei professionem religiosam fecit et electa est antistita generalis; quod munus ad mortem usque sustinuit.

Ea sedulo et prudenter moderante novum Institutum celeriter auctum est membris et operibus. Non defuerunt diversi generis et originis difficultates, sicut saepe in operibus Dei accidit. Namque Serva Dei fortiter obsistere debuit publicis auctoritatibus, quae se interponere postulabant educationi, quam Instituta religiosa impertiebant. Tempore, quo «Kulturkampf», qui dicebatur, saeviebat, coacta est omnes claudere domos, una excepta, in quam sorores aegrotae et grandes natu congregatae sunt. Se abdidit (anno 1878) in Nederlandiensem vicum *Simpelveld,* in dioecesi Ru-

remundensi situm, cum sororibus cumque suis orphanis, ibique magnum exstruxit conventum, domum principem constitutum. Amissio operum, quae in Germania erant, Suppleta est dilatatione ad alias europaeas nationes. Graves difficultates venerunt etiam a duabus nobilibus religiosis, potentibus eas patronis adiuvantibus, quae Congregationis indolem mutare nisae sunt eiusque regimen sumere in locum Servae Dei. Haec conspiratio ad irritum cecidit, quoniam sororum communitas coniuncta mansit et erga Conditricem fidelis; quae exemplo suo, praeceptionibus, benignitate et procurationis firmitudine eas accurate solidaque formatione spiritali et ad disciplinam pertinente instruxerat.

Quae Serva Dei sorores docebat, ex eius vitae experientia proficiscebantur exque assidua cura quam, a iuventute, adhibuerat de Christo sequendo deque caritatis testimonio. Mulier natura et gratia multis praedita dotibus, omnes facultates suas regni Dei servitio suppeditavit, prompte, alacriter et laetanter vocationi respondendo et egregie munus suum explendo pro suis sororibus proque egentibus pueris, ad quos formandos normas consiliaque dedit singularis sapientiae et novitatis.

Eius ad perfectionem evangelicam iter eiusque apostolatus semper fide illustrata sunt, quam abundanter alebat Sacrarum Litterarum meditatione, sueta cum Deo coniunctione, pia sacrorum participatione, fructuosa sacramenti paenitentiae frequentatione, pietate eucharistica et mariali, assidua precatione, magnorum mysticorum scriptorum lectione.

Tota mente totoque corde Deum amavit et, cum in eo et pro eo vivere vellet et agere, eius voluntatem diligenter facere conabatur et in eius gloriam sine exceptione laborare. Exemplo fuit in divinis mandatis observandis, Ecclesiae praeceptis, votis religiosis et sui instituti regula.

Magna est usa caritate erga proximum, praesertim erga sorores suas, pueros pauperes, aegrotos, senes, dolentes; comiter et affabiliter illos excipiebat, qui eius auxilii indigebant; in his personas molestas et inimicos. Qua erat humilitate, totam spem suam in Domino collocaverat et in divina Providentia, et etiam in casibus acerbioribus magnae dedit specimen quietis interioris ac prudentis fortitudinis, quamvis ingenii esset anxii et suspensi. Plenum erga Dei voluntatem obsequium et sedulam curam ostendit in exercendis omnibus virtutibus ultimo quoque vitae tempore, cum est valetudo extenuata ipsaque multis affecta doloribus. Sororibus precantibus et flentibus pie de vita decessit die 8 mensis Maii anno 1894.

Sanctitatis fama, quam sibi viva pepererat, post eius mortem crevit non solum in Congregatione a Paupere Iesu Infante, sed etiam extra eam: quam ob rem Episcopus Ruremundensis canonizationis Causam inchoavit.

Ab anno 1916 ad annum 1924 processus ordinarius informativus celebratus est, cui processiculus rogatorialis romanus (annis 1917-1920 habitus) et trevirensis (annis celebratus 1919-1920) adiuncti sunt. Apud eandem Curiam Ruremundensem instructus est processus ordinarius additionis annis 1933-1934. Decretum super Causae Introductione die 11 mensis Augusti anno 1958 promulgatum est, et decretum super non cultu die 3 mensis Februarii anno 1961. Est deinde celebratus processus apostolicus super virtutibus in specie ab anno 1963 ad annum 1967, cuius validitas est agnita per decretum die 16 mensis Iulii anni 1976 editum. *Positione* ad finem adducta, sunt iuxta normas virtutes perspectae. Die 29 mensis Maii anno 1990, secundo cum exitu, actus est Consultorum Theologorum Congressus, cui praefuit Rev.mus Antonius Petti, Fidei Promotor. Postmodo Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria diei 26 mensis Februarii anni 1991, Causae Ponente Em.mo Cardinali D. Simone Lourdusamy, Servam Dei Claram Fey heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Clarae Fey, Fundatricis Congregationis Sororum a Paupere Iesu Infante, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 14 mensis Maii A. D. 1991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

II

SANCTI CLAUDII

DECRETUM

Canonizationis Servae Dei Annae de Xainctonge, Fundatricis Societatis a S. Ursula de Dôle (1567-1621).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Vos praesertim, virgines consecratae, in mundo ubi nimius amor sui et voluptatis conquisitio suam vellent statuere legem, estote pudicitiae, abstinentiae, pietatis custodes. Iesus, qui amori coniugali totam attribuit plenitudinem quae eius est propria, reiectionem etiam huius amoris laudavit, cum id fit pro Amore infinito et pro servitio fratribus commodando » (CONC. OECUM. VAT. II, *Nuntius ad mulieres: AAS* LVIII [1966], p. 14).

Etiam Serva Dei Anna de Xainctonge rebus omnibus renuntiavit ut corde indiviso Christum sequeretur et humanae christianaeque educationi se dederet puellarum et mulierum eius temporis, quae, propter humilem condicionem et paupertatem apte formari non poterant, ut suum in societate et in Ecclesia convenienter munus expièrent.

Serva Dei Divione orta est, probabiliter die 21 aut 22 mensis Novembris anno 1567, a Ioanne de Xainctonge, publici legumlatorum coetus regionis consiliario, et Margarita Colard, qui et nobiles erant et Ecclesiae sincere studiosi. Parentibus moderantibus et Patribus Societatis Iesu, solida est instructa religionis et mentis formatione, et celeriter perfectionis christianae et apostolatus est iter ingressa. Multas puellas atque mulieres, videns derelictas, omnis consentanei subsidii expertes, statuit pro eis facere, quae iam sodales Societatis Iesu pro iuvenibus et viris faciebant. Pro certo habens se Dei voluntatem interpretari, statuit discedere ab urbe sua, quae sub dicione atque imperio erat regis Galliae, ut suum iniret opus in vicina urbe Dola, quae ab Hispaniae rege gubernabatur. Hoc consilium, quod Serva Dei magna cum persuasione et constantia tenebat, est ab eius patre et a municipibus existimatum patriae nationis detrectatio: qua re est diu

atque acerbe vexata. Cum patris permissum non obtinuisset, die 29 mensis Novembris, anno 1596, aetate undetriginta annorum, domo defugit latenter et Dolam pervenit, ubi, a sodalibus Societatis Iesu adiuta, suum inchoavit apostolatum. Pater autem, suo nisus gradu, omnibus est usus rationibus ut eam ab instituta via deduceret eique aliquamdiu vel confessionis et Eucharistiae sacramenta negarentur bisque eius vocatio a quibusdam Religiosis iudicaretur, qui, praeter eius exspectationem, certum responsum dederunt. Demum Serva Dei Dolae mansit et operis sui initium fecit, nulla ultra patris molestia affecta. Anno 1606 Archiepiscopus Bisuntinus per suum Vicarium generalem institutionem permisit Societatis a Sancta Ursula, quam Serva Dei voluit, ut scholae disciplinas et religionem puellas doceret et mulieres cuiusvis aetatis erudiret, pauperes praecipue. Ut suae Religiosae, quae tunc sola nuncupabant castitatis et perseverantiae vota, eas, quibus assidebant, adirent in loca ubi vivebant, noluit eas vinculo obstringi clausurae, et firmiter sane, quod illis temporibus insolitum erat; utque institutio vere gratuita esset et pro pauperibus, suam Communitatem vetuit convictores excipere. In novo Instituto, quod est publice ab Ordinario approbatum die undetricesimo mensis Maii, anno 1614, Serva Dei, Antistitae munere repudiato, novitiarum magistra facta est, in se recepta cura vitae spiritalis Sororum et quodammodo officio rectricis surpremae cursus scholastici et socialis Communitatis. Bona fama Societatis et Matris Annae diffusa, pluribus in urbibus aliae sunt exstructae Domus, quae, ex Conditricis voluntate, sui iuris erant.

Quamvis identidem humiliter obstitisset, ab anno 1617 ad annum 1620, Antistitae est munere iuncta domus principis Dolanae. Eo temporis spatio potuit imprimis Religiosarum formationem perficere, magis benignitate usa quam severitate et caritatem ac veniam inculcando; potissimum rigida erat contra invidiam et livorem contraque ea, quae animorum divisiones gignerent. In omnes quidem sed praecipue in aegrotas officiosa fuit, pro quibus nec curis nec incommodis parcebat. Ut novitiarum et Religiosarum vitae spiritali consuleret, quasdam conscripsit «Instructiones»— anno 1747 editas — quae norma sunt tuta, sapiens et aequa ad pietatem et ascesim persequendam. Sed quod praestantissimum Serva Dei discipulis suis et Sororibus sodalibus reliquit, exemplum vitae fuit, omnino intentae in voluntatem Dei fideliter faciendam inque exercendas virtutes. Vivae et solidae fuit fidei, qua multas superavit difficultates ac pro Dei gloria et animarum salute laete et perseveranter laboravit et passa est. Sibi persuasum habens divinam gratiam esse necessariam ad progressus faciendos in Christi imitatione et ad utilitaten proximo afferendam, animam semper cum Domino

coniunctam servavit, a peccato longinquam et a terrestribus bonis alienam. In precatione assidua erat, in meditatione aeternarum veritatum, in fervida divinorum mysteriorum participatione, in pia et longa Eucharistiae adoratione. Peculiarem coluit pietatem erga SS. Trinitatem, erga Christi passionem, Virginem Mariam et Angelum custodem. Providentiae et praemii aeterni fiducia lux fuit, quae totam eius illustravit vitam, maxime tempora difficiliora et acerbiora. Propter Dei amorem sine exceptionibus ex sua vixit vocatione, propositum observavit sui Instituti proprium, quod ex vita contemplativa et activa constabat; paupertatem explicavit, humilitatem, sensuum castigationem et prompte est gratiae bonis instinctibus obsecuta. Caritas in Deum caritatis in proximun fons fuit, praesertim erga Sorores suas et puellas atque mulieres, pro quarum formatione et profectu indefatigabilis fuit. Cum patientia et fortitudine varios tulit morbos, quibus est a iuventute affecta quique contulerunt ad eam reddendam Deo acceptiorem et Christi corpori mystico utiliorem. Gravi morbo implicata mense Septembri anno 1619, multa cum animi tranquillitate, pace et continua cum Deo coniunctione mortem exspectavit. Ultimis acceptis sacramentis, pluries nominibus Iesu et Mariae pronuntiatio, die 8 mensis Iunii anno 1621 quiete in Domino obdormivit.

Sanctitatis fama, quam sibi viva comparaverat quaeque in morte se aperuit, etiam subsequentibus annis perrexit, sed canonizationis Causa, propter rationes ad eam non pertinentes, solummodo inchoata est superiore saeculo exeunte. Apud Curiam episcopalem Sancti Claudii annis 1893-1894 instructus est processus ordinarius informativus, quem secutus est processus additicius (annis 1895-1897). Anno 1898 editum est decretum super scriptis, et die 24 mensis Novembris anno 1900 decretum super Causae Introductione. Dein duo celebrati sunt processus apostolici, nempe super fama sanctitatis in genere (annis 1903-1904) et super virtutibus et miraculis in specie (annis 1911-1924). Postea Causa concredita est Officio Historico Sacrae id temporis Rituum Congregationis, quod instrumenta Dei Servam contingentia colligenda curavit et critico studio inquirenda. De hoc labore faustas sententias elocuti sunt Consultores Historici in sessione diei 17 mensis Maii anni 1972. Positione confecta de virtutibus consultun est. Die 27 mensis Februarii anno 1990, faventi cum exitu, est actus Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris, cui praefuit Rev.mus Antonius Petti, Fidei Promotor. Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria diei 26 mensis Februarii anni 1991, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Gagnon, agnoverunt Servam Dei Annam de Xainctonge heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Annae de Xainctonge, Fundatricis Societatis a S. Ursula de Dote, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum idem Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 14 mensis Maii A. D. 1991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. & S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

SENOGALLIEN.

DECRETUM

Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Crucifixae Satellico, monialis professae Ordinis S. Clarae in Monasterio S. Luciae Montis Novi (1706-1745).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius, Maria Cleophae, et Maria Magdalene » *(Io* 19, 25). Ex quo die in cruce est

Redemptionis sacrificium consummatum, quicumque in Christo est baptizatus, invitatur ut cum Maria matre Iesu stet ante mysterium crucis et cum amore novae vitae gratiae principium confiteatur, quod his verbis Apostolus Paulus exprimit: « Christo confixus sum cruci: vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus » *(Gal* 2, 20).

Eiusmodi muneris splendidum testimonium et vitae christianae respondens exemplum singulares virtutes nobis proponunt, quas exercuit Venerabilis Serva Dei Maria Crucifixa Satellico, Ordinis S. Clarae Asisinatis decus.

Venetiis orta die 31 mensis Decembris anno 1706 et die 9 mensis Ianuarii baptizata anno 1707 vocataque Elisabetha Maria, diligenter est a parentibus Petro ac Lucia Mander necnon ab avúnculo D. Francisco Mander edu^cata, qui sacerdos probus erat, in cuius domo ea una cum parentibus habitabat. Praecocis ingenii, puellula iam ostendebat vehementem in Iesum amorem et in Virginem Mariam, sed et magnum peccati timorem, et candide affirmabat: « Monacha fieri volo et, si poterò, sancta ».

Persuasum habens se a Deo vocari ad statum religiosum, statuit cohortationi assentiri monacharum Clarissarum oppidi Montis Novi (quod hodie vocatur Ostra vetus). Anno 1720 ad monasterium se contulit, ubi, quamvis accepta esset tamquam educanda, in crescente cupidine se Deo consecrandi, quodam modo communitati se insertam putabat, siquidem precationem communem participabat, virtutum religiosarum, quas omnes monachae magni faciebant, exemplo erat, et munere fungebatur exsecutionis cantuum et organo personandi in sacris.

Die 13 mensis Maii anno 1725, post quinque annos exspectationis patientis et fiduciae plenae, est ad vestitionem admissa nomine capto Maria Crucifixa. Novitiatum peregit, suis sanctitatis propositis confirmatis, et sollemnem emisit professionem die 19 mensis Maii anno 1726. Deinde, praeter officia magistrae cantus et organi moderatricis, varia explevit munia, et ex suo humilitatis et fraternae caritatis spiritu¿. omne aliud, quod potuit, sororibus sodalibus tulit auxilium. Anno 1742 soror Maria Crucifixa electa abbatissa, administrationis munus cum sapientia et prudentia, cum firmitudine et caritate est exsecuta, inter sorores se ostendens caritatis fraternae fautricem et de earum vita spiritali necnon de earundem corporeis necessitatibus sollicitam; et ita communitatem ad laudabilem regularis observantiae gradum evexit.

Virtutes inde ab ingressu in monasterium ab ea exercitae forti cum voluntate et constantia cunctae communitati exemplo erant ac stimulo, adeo ut omnium sororum opinione concordes fuerint, in processibus canonicis hoc vel simili modo declaratae: « Soror Maria Crucifixa semper sibi consti-

tuit rationem vitae omnino religiosae et divini cultus actibus deditae, illamque sine intermissione continuavit, quin immo ea in dies magis magisque crevit in christianarum et religiosarum exercitio virtutum, ex quo fuit inter nos educanda... Praeceptorum Dei, Ecclesiae, votorum et Regularum atque Constitutionum monasterii observantissime fuit; numquam est in ea transgressio notata... Modesta fuit, misericors, pietatis studiosa, in infirmitatibus patientissima. In deprecationem maxime incumbebat effecitque, non solum cum abbatissa fuit, sed omni tempore, ut haec eadem nos etiam observaremus ».

Peculiari cum evidentia in eius vita spiritali virtutes théologales fulgebant. Adoratio, qua in precationibus suis expresse divinas Sanctissimae Trinitatis Personas colebat, continua Crucis mysteriorum memoria, fervens uti illa, qua seraphicus eius Pater Franciscus flagrabat, cotidiana adoratio et communio eucharistica et continua coniunctionis cum Deo conquisitio in deprecatione inque ceteris negotiis, eius indicant altam fidem atque spem quae in animum eius fortitudinem et constantiam in vita spiritali infundebat.

Suum in Deum indivisum amorem segnificabat sicut «Summum Bonum » eum contemplando; diu noctuque longis se precibus tradendo; res adversas et dolores patienter accipiendo et contra terribiles temptationes contendendo, quae ei non defuerunt, ut eas redderet occasiones victoriae ex malo ad gratiae incrementum.

Contemplabatur passionis Domini mysterium, ad quem se conformabat austeras agendo paenitentias et se ipsam neglegendo; item eucharisticum contemplabatur mysterium, quod ei appetitum iniciebat sacrum convivium participandi cotidie mirifica cum pietate. Virginem Mariam venerabatur filiali cum cultu, cuius divinam Maternitatem honorabat et in virtutibus, in amore erga Dominum eam imitabatur.

Ex Dei amore oriebatur et amor Servae Dei in proximum, quandoquidem non solum omnem adhibebat curam ut bonum quaereret communitatis et singularum Sororum, praesertim aegrotarum, sed insuper benigne tractabat et multa cum affabilitate tum monasterii agrícolas, tum alios pauperes, quibus stipem largiendam curabat.

Eius vitae evangelicae testimonium apparebat ex fideli oboedientiae religiosae observantia, proposito nisa solum et semper Dei voluntatem faciendi, in auctoritate manifestam a Domino Ecclesiae tributa; ex custodia castitatis consecratae, quae ei hanc inspirabat precationem: « Fili Sanctissimae Mariae, te adoro unicum animae meae bonum, huius animae amatorem studiosum»; ex exercitio evangelicae paupertatis, quam didicerat ex

exemplis S. Francisci et Sanctae Clarae, quamque ea sic interpretabatur: « Personae religiosae solum habent peccatum, de quo dolent, sed nihil aliud huius mundi ».

Serva Dei est etiam a Spiritu donata muneribus gratiae singularibus, quibus, sicut confessores et Sorores affírmabant, signa externa adiungebantur, qualia erant facultas loquendi cum scientia de fidei quaestionibus, visiones et caelestes sermones atque eventus nonnulli prodigiosi, eius precationibus tributi. Sed his peculiaribus donis ea numquam adhaesit, cum perfectionem religiosam christianarum virtutum exercitio quaerere et consequi vellet. Passa quoque est terríficas temptationes et vexationes, diabólicas habitas, quae tamen numquam eius excusserunt virtutem, per fidem semper victricem.

Triennio regiminis communitatis ad finem adducto, soror Maria Crucifixa, per causam infirmae valetudinis Sororibus suasit ut de proposito désistèrent eam denuo eligendi. Phthisis enim signa, quae iam mense Martio comparuerant eiusdem anni 1745, irreparabiliter est in peius mutata. Serva Dei cum gaudio arcessitum ad aeternitatem accepit et, sanctis confirmata Sacramentis, tranquille animam Deo reddidit die 8 mensis Novembris anno 1745, undequadraginta annos nata. Viginti egerat annos vitae religiosae in monasterio, per quos eius vita spiritalis omnibus est dives facta virtutibus, et praesertim ardenti caritate, qua facta est Sponso suo Crucifixo similis.

Servae Dei fama sanctitatis post mortem in universam Senogalliensem dioecesim diffusa; postea se extendit ad totam regionem et Venetias, familiae Satellico patriam. Qua re anno 1752 Episcopus dioecesanus processus ordinarii informativi initium fecit, qui anno 1766 conclusus est. Post longum indagationis et explicationum tempus, Causa introducta est apud Sacram Rituum Congregationem per decretum a Papa Pio VII die 22 mensis Februarii anno 1806 approbatum; quod, calendis Septembribus, decretum secutum est super non cultu anno 1807.

Dein instructus est processus apostolicus super virtutibus, anno 1807 inchoatus et anno 1821 perfectus. Omnium processuum auctoritas decreto die 20 mensis Maii anni 1826 agnita est. Positionis super virtutibus elaboratio duobus peracta est temporibus: altera enim pars est Sacrae Rituum Congregationi exhibita anno 1915; altera Congregationi de Causis Sanctorum anno 1985. Disceptatio super virtutibus est prospero cum exitu a Consultoribus Theologis acta in Congressu Peculiari die 29 mensis Novembris anno 1990 habito, cui praefuit Promotor Fidei Rev.mus Antonius Petti. Deinde Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria diei 9 mensis Aprilis anni 1991, Causae Ponente Cardinali Andrea Maria Deskur,

agnoverunt Venerabilem Servam Dei Mariam Crucifixam Satellico heroum more virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Crucifixae Satellico, monialis professae Ordinis S. Clarae in Monasterio S. Luciae Montis Novi, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum idem Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 14 mensis Maii A. D. 1.991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus PP. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 11 Septembris 1991. — Cathedrali Ecclesiae Seguntinae-Guadalaiarensi Exc.mum P. D. Iosephum Sánchez González, hactenus Episcopum titularem Rubicensem et Auxiliarem Archiepiscopi Ovetensis.

die 17 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Zamorensi Exc.mum P. D. Ioannem Mariam Uriarte Goiricelaya, hactenus Episcopum titularem Marazanensem et Auxiliarem Episcopi Flaviobrigensis.

die 7 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Orurensi Exc.mum P. D. Braulium Sáez García, O.C.D., hactenus Episcopum titularem Tacapitanum et Auxiliarem Episcopi Orurensis.

die 8 Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Horaeensi R. P. Catalinum Claudium Giménez Medina, e Schönstatt Patribus.

die 21 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Bergomensi Exc.mum P. D. Robertum Amadei, hactenus Episcopum Savonensem-Naulensem.

die 26 Novembris. — Metropolitanae Ecclesiae Beneventanae Exc.mum P. D. Seraphinum Sprovieri, hactenus Archiepiscopum Rossanensem-Cariatensem.

die 30 Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Equizetensi Exc.mum P. D. Ioannem Baptistam Herrada Armijo, O. de M., hactenus Episcopum-Praelatum Calamensem, quem constituit Auxiliarem Archidioecesis Antofagastensis.

die 3 Decembris. — Metropolitanae Ecclesiae Brisbanensi, Exc.mum P. D. Ioannem A. Bathersby, hactenus Episcopum Cairnensem.

die 4 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Guaruliensi R. D. Aloisium Gonzaga Bergonzini, Vicarium generalem Sancti Ioannis in Brasilia.

— Praelaticiae Ecclesiae Ayaviriensi R. D. Ioannem Godayol Colom, Societatis sancti Francisci Salesii sodalem, hactenus Collegii eiusdem Societatis in urbe Arequipa Moderatorem.

die 7 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Pitilianensi Soanensi-Urbetelliensi Exc.mum P. D. Iacobum Babini, hactenus Episcopum titulo Tubunensem in Mauretania et Auxiliarem dioecesis Arretinae Cortonensis-Biturgensis.

— Cathedrali Ecclesiae Pratensi R. D. Gastonem Simoni, Vicarium generalem dioecesis Fesulanae.

— Cathedrali Ecclesiae Savonensi-Naulensi R. D. Dantem Lafranconi, e clero Comensi, apud Seminarium maius eiusdem dioecesis Theologiae Moralis doctorem.

die 10 Decembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Montis Viridis, R. D. Ioannem J. Glynn, e clero archidioecesis Bostoniensis atque Ordinariatus Militaris Americae Septemptrionalis cancellarii vicarium, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Iosephi Thomae Dimino, Ordinarii Militaris in Foederatis Civitatibus Americae Septemptrionalis.

— Metropolitanae Ecclesiae Hartfortiensi, Exc.mum P. D. Danielem A. Cronin, hactenus Episcopum Riverormensem.

die 11 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Carolinapolitanae, R. D. Vernon Fougère, Vicarium generalem dioecesis Antigonicensis.

die 14 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Arecibensi R. P. Ignatium Mallona, Congregationis Passionis Iesu Christi sodalem, hactenus curionem paroeciae urbis cui nomen Lares in dioecesi Arecibensi.

die 18 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Zaratensi-Campanensi Exc.mum P. D. Raphaelem Eleutherium Rey, hactenus Episcopum titularem Hiltensem et Auxiliarem Mendozensem.

— Coadiutorem Iguatuvinum Exc.mum P. D. Iosephum Doth de Oliveira, hactenus Episcopum Coadiutorem Palmopolitanum.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 15 Aprilis 1991. — Episcopum Coadiutorem Exc.mi P. D. Marcelli Bam'ba Gongoa, Episcopi Bondoënsis, R. P. Philippum Nkiere Kena, Congregationis Immaculati Cordis Mariae sodalem.

die 31 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Varriensi Exc.mum P. D. Edmundum Iosephum Fitzgibbon, S.P.S., hactenus Administratorem Apostolicum eiusdem dioecesis et Episcopum titularem Foritraianensem.

— Cathedrali Ecclesiae Portus Harcurtensis Exc.mum P. D. Alexium Obabu Makozi, hactenus Episcopum Lokoianum.

A Sancta Sede obtento permissu ad normam M. P. « Sanctitas clarior », Archiepiscopus Mediolanensis Causam introduxit et processum cognitionalem celebravit (annis 1980-1986), cui additur est processus rogatorialis Bergomensis (annis 1980-1983 actus); eorum auctoritas agnita est per decretum die 14 mensis Novembris anno 1986 editum. Apparata Positione inspectae sunt pro normis virtutes. Mensis Decembris die 14 anno 1990, exitu cum secundo, factus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris, cui praefuit Fidei Promotor Rev.mus Antonius Petti. Patres Cardinales porro et Episcopi, in Congregatione Ordinaria diei 18 mensis Iunii anni 1991 collecti, Causae Ponente Exc.mo Domino Ottorino Petro Alberti, Archiepiscopo Calaritano, professi sunt Servam Dei Ioannam Beretta nuptam Molla virtutes théologales, cardinales et adnexis heroum in modum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod eum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Ioannae Beretta nuptae Molla, matrisfamilias, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Iulii A. D. 1991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

Ii. « S .

& Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas Sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 14 Decembris 1991. — Titulari episcopali Ecclesiae Maurianensi R. D. Petrum Solió, Moderatorem spiritus et professorem Theologiae moralis in Seminario maiore archidioecesis Spalatensis-Macarscensis, quem deputa vit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 21 Decembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Montensi in Mauretania R. D. Henricum Salina, Abbatem Ordinarium Abbatiae S. Mauritii Agaunensis.

die 24 Decembris. — Metropolitanae Ecclesiae Vilnensi Exc.mum P. D. Audrys Juozas Backis, hactenus Archiepiscopum titularem Metensem et Pro-Nuntium Apostolicum in Hollandia.

— Cathedrali Ecclesiae Kaisiadorensi Exc.mum P. D. Juozas Matulaitis, hactenus Episcopum titularem Sicilibbensem et Administratorem Apostolicum « ad nutum Sanctae Sedis » eiusdem dioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Panevézensi Exc.mum P. D. Josephum Preiksas, hactenus Episcopum titularem Egnatiensem et Administratorem Apostolicum « ad nutum Sanctae Sedis » eiusdem dioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Vilkaviskensi Exc.mum P. D. Juozas Zemaitis hactenus Episcopum titularem Tabaicarensem et Administratorem Apostolicum « ad nutum Sanctae Sedis » eiusdem dioecesis.

die 27 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Campifontis, Exc.mum P. D. Ioannem A. Marshall, hactenus Episcopum Burlingtonensem.

die 30 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Tiburtinae Exc.mum P. D. Petrum Garlato, hactenus Episcopum Praenestinum.

die 4 Ianuarii 1992. — Cathedrali Ecclesiae Leonensi Exc.mum P. D. Raphaelem García González, hactenus Episcopum Tabasquensem.

— Cathedrali Ecclesiae Tlapensi, noviter erectae, R. D. Alexium Zavala Castro, Vicarium episcopalem pro regione pastorali cui nomem vulgo « ei Bajo » in archidioecesi Moreliensi.

die 7 Ianuarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Limatensi R. D. Marcum Culej, Vice-Rèctorem in Seminario maiore archidioecesis Zagrebiensis, quem deputa vi t Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 8 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Patensi Exc.mum P. D. Ioannem Bosco Oliver de Faria, hactenus Episcopum titularem Feraditanum Maiorem et Auxiliarem archidioecesis de Pouso Alegre.

die 9 Ianuarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Aecanae R. D. Christianum Werner, e clero dioecesis Sancti Hippolyti, Academiae Militaris Neostadiensis Decanum, quem deputavit Coadiutorem Ordinariatus Militaris Austriae.

die IS Ianuarii. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Diocletianensi R. D. Laurentium Baldisseri, e clero archidioecesis Pisanae, quem deputavit Nuntium Apostolicum in Republica Haitiana.

— Titulari episcopali Ecclesiae Bitensi R. D. Ioannem Vargas Aruquipa, Vicarium generalem dioecesis Coroicensis.

die 17 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Cauriensi-Castrorum Caeciliorum R. D. Cyriacum Benavente Mateos, Vicarium generalem dioecesis Placentinae in Hispania.

die 18 Ianuarii. — Praelaturae territoriali Coxinensi Exc.mum P. D. Osorium Bebber, O. F. M. Cap., hactenus Episcopum Tubaraoënsem.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Sabato, 4 **Gennaio** 1992, **S. E. il Signor** YARO YUSUF MAMMAN, **Ambasciatore di Nigeria presso la Santa Sede.**

Venerdì, 10 **Gennaio** 1992, **S. E. il Signor** MUFLEH **R.** OSMANY, **Ambasciatore del Bangladesh presso la Santa Sede.**

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Martedì, 7 **Gennaio** 1992, **S. E. il Signor** SILVESTRE SIALE BILEKA, **Ministro della Giustizia e del Culto, Inviato Personale del Presidente della Repubblica della Guinea Equatoriale.**

Venerdì, 10 **Gennaio** 1992, **S. E. il Signor** ABDUS-SALAM JALLOUD, **Primo Ministro di Libia.**

Venerdì, 10 **Gennaio** 1992, **S. E. il Signor** STOYAN GANEV, **Vice-presidente del Consiglio dei Ministri e Ministro degli Affari Esteri della Repubblica di Bulgaria.**

Sabato, 11 **Gennaio** 1992, **l'eccmo Corpo Diplomatico accreditato presso la Santa Sede.**

Giovedì, 16 **Gennaio** 1992, **le LL.EE.** EDDA CECCOLI **e** MARINO RICCARDI, **Capitani Reggenti della Repubblica di San Marino.**

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

15 gennaio 1992. Mons. Lorenzo Baldisseri, Arcivescovo tit. eletto di Diocleziana, *Nunzio Apostolico in Haiti.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

20 dicembre 1991. I Signori Dott. Alberto Savastano e Dott. Francesco Silvano, *Consultori della Prefettura degli Affari Economici della Santa Sede, « in aliud quinquennium ».*

23 » » P. Marcel Chappin, S. I., e Mons. Michael Di Teccia Farina, *Consultori della Pontificia Commissione per la Conservazione del Patrimonio Artistico e Storico della Chiesa.*

» » » P. Damian Synowiec, O. F. M. Conv., *Consultore della Congregazione delle Cause dei Santi.*

» » » L'Em.mo Signor Cardinale Nicolas de Jesús López Rodríguez; S. E. mons. Tarcisio Bertone, Arcivescovo di Vercelli, *Membri della Congregazione per il Clero.*

» » » Gli Em.mi Signori Cardinali Giacomo Biffi, Ernesto Compio Ahumada, Franjo Kuharic, Martín Marcelo González, Henryk Roman Gulbinowicz, Jean-Marie Lustiger, Franciszeck Macharski, Miguel Obando Bravo, Salvatore Pappalardo, Raúl Francisco Primatesta, Antonio Ribeiro, Eugenio de Araújo Sales, Jaime L. Sin, Hyacinthe Thiandoum; Le LL.EE. i Monsignori Oskar Saier, Antanas Vaicius, Pablo Jaime Galimberti di Vietri, *Membri della Congregazione per il Clero, « in aliud quinquennium ».*

1 gennaio 1992. Mons. Alberto Zanotti, *Capo Ufficio nella Sezione Rapporti con gli Stati della Segreteria di Stato.*

2 » » Mons. Tommaso Mariucci, *Segretario aggiunto del Pontificio Consiglio della Cultura;* P. Bernard Ardura, O. Praem., *Sotto Segretario del Pontificio Consiglio della Cultura.*

9 » » S. E. Mons. Giuseppe Uhac, Arcivescovo tit. di Tharros, *Membro del Pontificio Consiglio della Pastorale per gli Operatori Sanitari.*

20 gennaio 1992. L'Em.mo Signor Cardinale Pietro Palazzini, *Presidente « ad interim et ad annum » della Corte di Cassazione dello Stato della Città del Vaticano;* gli Em.mi Signori Cardinali Simon D. Lourdusamy ed Edouard Gagnon, *Giudici della Corte di Cassazione dello Stato della Città del Vaticano « ad annum ».*

21 » » L'Em.mo Signor Cardinale Eduardo Martínez Somalo, *Prefetto della Congregazione per gli Istituti di vita consacrata e le Società di vita apostolica.*

22 » » S. E. mons. Michael Louis Fitzgerald, M. Afr., Vescovo tit. di Nepte, *Segretario del Pontificio Consiglio per il Dialogo Inter-Religioso, « in aliud quinquennium ».*

24 » » L'Em.mo Signor Cardinale Antonio Maria Javierre Ortas, *Prefetto della Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti.*

NECROLOGIO

17 dicembre 1991. Mons. Simon N'Zita, Vescovo em. di Matadi *(Zaire).*

21 » » Mons. Francesco Han Ting-pi, Vescovo di Hungtung *(Cina).*

» » » Mons. Luíz Gonzaga da Cunha Marelim, Vescovo em. di Caxia do Maranhäo *(Brasile).*

» » » Mons. Pierre Kervennic, Vescovo di Saint-Brieuc et Tréguier *(Francia).*

30 » » Mons. Domenico Luca Capozi, Arcivescovo em. di Taiyuan *(Cina).*

31 » » Mons. Edilberto Dinkelborg, Vescovo di Oeiras-Floriano *(Brasile).*

2 gennaio 1992. Mons. Michael J. Moloney, Vescovo em. di Banjul *(Gambia).*

8 » » Mons. Miguel Roca Cabanellas, Arcivescovo di Valencia *(Spagna).*

9 » » Mons. Constantino Maradei Donato, Vescovo em. di Barcelona *(Venezuela).*

10 » » Mons. Edward T. O'Meara, Arcivescovo di Indianapolis *(Stati Uniti d'America).*

An. et vol. LXXXIV 7 Martii 1992 N. 3

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabilis Dei Serva Clara Bosatta in Beatorum catalogum refertur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Haec mulier perfecta, Dei fortitudine accincta, cuius lucerna in nocte non exstinguitur. Deus luce vultus sui sustentat eam: non vacillabit (cf. *Prov.* 31, 17-18; *Ps.* 45, 6).

Venerabilis Dei serva Clara Bosatta, sanctitatis primus flos exstitit religiosae familiae, quam Beatus Aloisius Guanella condidit et ea una ex lampadibus habetur quae lucem Dei in populum christianum effundunt. Cum sint haec in Ecclesia, illud confirmatur, Deum minime relinquere sibi hominum genus, quod contra Ipse colit et manifeste adiuvat per sanctos continenter exsurgentes.

Soror Clara, saeculari nomine Dina, Filiarum S. Mariae Providentiae, in oppidulo Pianello Lario nata est, intra Comensis dioecesis fines, die xxvn mensis Maii, anno MDCCCLVIII. Tres annos nata, patre orbata, matre amanter curante et praesertim sorore maiore natu Marcellina, adolevit, quae exinde una cum Aloisio Guanella Filiarum S. Mariae Providentiae Institutum condidit. XIV agens annum recepta est Collegio Sororum Canossianarum Gravedonae, ubi sex annos mansit velut alumna aeque ac ministra, cum pactum pro habitatione et mensa pretium solvere non posset, ipsaque ho-

norem et dilectionem propter suas virtutes et ad opus promptitudinem sibi conciliavit.

Avebat ipsa religiosa inter Canossianas annumerari, at variis de causis recepta non est earum Instituto. Ei idcirco pagus originis repetendus fuit, ubi patri confessario obtemperans sororique Marcellinae S. Cordis ad Hospitium est admissa, ut senibus adesset et puellis parentibus orbatis. Hic die XXVII mensis Iunii anno MDCCCLXXVII una cum Marcellum sorore duabusque aliis iuvenibus, Deo se dicavit vota nuncupans religiosa.

In S. Cordis Hospitio, Venerabilis Dei Serva mirabili quodam cum fervore sibi demandata officia praestitit veluti administra, infirmaría, magistra, educatrix, altera a moderatrice. Omnibus erat ipsa exemplo mirabili operositatis, deditionis, praeceptorum observantiae atque assiduae fervidaeque precationis. Eadem opera ministerium suum proferebat apostolicum in paroecia ad Immaculatae Filias formandas studium conferens, catechesim curans, pueros Oratorii atque aegrotos invisens. Omnia videlicet haec perficiebat, quamvis imbecilla haudque firma valetudine frueretur.

Anno MDCCCLXXXV, una cum reliquis Sororibus ad oppidulum Ardennum destinata est, ut aliud opus caritatis incoharet, inter tot difficultates et aerumnas quae eiusdem magis affecerunt incommodam valetudinem. Mense Maio anno MDCCCLXXXVI translata est Comuni tanquam princeps moderatrix Domus excitandae Divinae Providentiae, quae deinceps Mater erit Domus cunctorum operum Guanellianorum. Hic vitam suam contrivit iuvenem in assiduo opere, in deditione ac summa paupertate, obvenientibus nempe interioribus aerumnis iisdemque mysticis, quas ad Dei voluntatem penitus se conformans Soror Clara suscepit, quasque ipsa nulli extrario revelavit, praeter spiritalem patrem, Beatum scilicet Guanella. Ad nativum pagum translata, id est Pianellum Larium, die xx mensis Aprilis anno MDCCCLXXXVII vita concessit, gravibus aegritudinibus tum corporis tum animi Christi cruci affixi conformitate et SS. Virginis Perdolentis toleratis.

Sanctitatis fama manente, apud Curiam Comensem anno MCMXII canonizationis causa incohata est. Processibus deinceps canonicis celebratis, ad iuris normas virtutes inquisitae sunt et ipsae comprobatae. Itaque Nobis coram, die i mensis Septembris anno MCMLXXXVIII, decretum prodiit quo agnovimus exercuisse Claram Bosatta heroum in modum théologales virtutes, cardinales et cum iisdem coniunctas. Eandem interea apud Comensem Curiam, annis MCML-MCMLI, processus canonicus de mira credita sanatione celebratus est, quae Venerabilis Dei Servae intercessioni adscripta est, quaeque anno MCMXLVI accidit. Eventu ex cusso Ianuarii die xxn anno MCMXCI promulgationem decreti de miro sivimus.

Statuimus tandem beatificationis ritum die xxi mensis Aprilis subsequentis peractum iri.

Hanc igitur hoc die inter sacra diximus formulam:

« Nos, vota fratrum nostrorum Brunonis Foresti, Episcopi Brixiensis, Alberti Houssiau, Episcopi Leodiensis, et Alexandri Maggiolini, Episcopi Comensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servae Dei Annuntiata Asteria Cocchetti, Maria Teresia Ioanna Haze et Clara Dina Bosatta Beatorum nomine in posterum appellentur, earumque festum die ipsarum natali: Annuntiatae Asteriae Cocchetti die vicesima tertia Martii, Mariae Teresiae Ioannae Haze die septima Ianuarii, et Clarae Dinae Bosatta die vicesima Aprilis in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Haec quidem humilis Ecclesiae alumna, cotidiana suetaque perficiens, praeclaras attigit virtutes. Ipsa vero omnibus fidelibus qui nunc sunt quique identidem tempestates et vitae procellas subeunt demonstrare potest quae sit via ingredienda ut facilius commodiusque ad metam perveniatur. Magna igitur huius rei capimur admiratione et solacio, quandoquidem universis opportunitas offertur in simplicibus operibus Dei amore peractis haud mediocrem adipiscendi perfectionem et meritorum copiam.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxi mensis Aprilis, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

68 ANGELUS SODANO, *archiep.*
Prosecretarius Status

Loco ® Sigilli
In Secret. Status tab., n. 287.030

II

Venerabili Servae Dei Mariae Teresiae Haze Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Videbunt in quem transfixerunt » *[Io* 19, 37).

Venerabilis Serva Dei Maria Teresia Haze in Christo crucifixo supremam vidit Dei amoris in humanum genus significationem. Ut huic responderet amori, vitam suam Domino consecravit et eius membrorum servitio, praesertim debiliorum, dolentiorum et pauperiorum. Ita, verborum memor Evangelii: « Quandiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis » *(Mt* 25, 40) iacturis non pepercit, ut proximo utilis esset per alacre operum misericordiae spiritalium et corporalium exercitium.

Venerabilis Serva Dei Leodii orta est die xxvin mensis Februarii anno MDCCLXXxri ex familia christiana et opulenta, et baptizata est nomine capto Ioanna. Post felicem pueritiam, propter temporum nequitiam fuit ei fugiendum in exteras nationes una cum suis simulque multa obeunda pericula ac acerbitates et aegritudines patiendae, e quibus patris mors. In patriam reversa, quoniam cum sorore Ferdinanda volebat se Deo consecrare Institutum Religiosum ingrediendo, sed id facere non potuit ob suae nationis leges civiles. Domi manens, deprecationi se dedidit, bonis operibus, arti acu pingendi atque assiduitatem matri praebendo, cui ad mortem usque adfuit.

Caritate impulsa, cum sorore scholam aperuit gratuitam in paupere Leodiensi vico, a propinquis et amicis reprehensa. Interim crescebat in ea appetitio Christo serviendi in egenis et ei se iungendi votis religiosis; qua re die VIII mensis Septembris anno MDCCCXXXIII Congregationem Filiarum a Cruce condidit, quae initio se tradiderunt apostolatui educationis et deinde etiam aegris in ipsorum domibus curandis, orphanis, puellis ex infamia eripiendis, mulieribus in carceribus inclusis. Eodem die cum primis sodalibus professionem religiosam fecit et nomen sumpsit Mariam Teresiam. Novi Instituti primordia multis sunt difficultatibus notata, quas tamen florens incrementum est secutum.

Venerabilis Serva Dei, mulier fortis et amabilis, suam rexit Congregationem magna cum prudentia, sedulitate et perpessionis spiritu. Sororibus sodalibus et quotquot eam cognoverunt fulgidum fuit exemplum caritatis vivae et industriae, oboedientiae Domino et Ecclesiae, fidelitatis erga suam vocationem, amoris in Eucharistiam, Crucem, precationem, silentium et humilitatem. Sancta existimata obiit die VII mensis Ianuarii anno MDCCCLXXVI.

Causa canonizationis inita anno MCMV, post praescriptos canonicos Processus celebratos et consuetas inspectiones, Summus Pontifex Pius XII, die ix mensis Februarii anno MCMXXXXI, declaravit Matrem Mariam Teresiam Haze heroum more exercuisse virtutes théologales, cardinales et adnexas.

Interea apud Curiam Leodiensem actus erat Processus canonicus (annis MCMXXV-MCMXXVI) de coniecta mira sanatione, intercessioni tributa Venera-

bilis Servae Dei, effecta anno MCMXXII. Bene et feliciter casus est inquisitus a Medicorum Consilio Congregationis de Causis Sanctorum et, postea, a Consultoribus Theologis atque a Patribus Cardinalibus et Episcopis; quam ob rem die xxn mensis Ianuarii anno MCMXCI est coram Nobis promulgatum decretum super miro.

Statuimus porro ut beatificationis ritus die xxi mensis Aprilis eiusdem anni celebraretur.

Hodie igitur in Vaticana Basilica Sancti Petri Apostoli hanc sumus inter sacra formulam elocuti: «Nos, vota fratrum nostrorum Brunonis Foresti, Episcopi Brixiensis, Alberti Houssiau, Episcopi Leodiensis, et Alexandri Maggiolini, Episcopi Comensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servae Dei Annuntiata Asteria Cocchetti, Maria Teresia Ioanna Haze et Clara Dina Bosatta Beatorum nomine in posterum appellentur, earumque festum die ipsarum natali: Annuntiatae Asteriae Cocchetti die vicesima tertia Martii, Mariae Teresiae Ioannae Haze die septima Ianuarii, et Clarae Dinae Bosatta die vicesima Aprilis in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Post haec de egregia vita et virtutibus earundem Beatarum sermonem habuimus, ita eas Christi fidelibus ad imitandum proponentes, primique sumus illas deprecati, ut populi christiani, adhuc ad caelum iter facientis, apud Dominum per numquam intermissas preces memores essent.

Quae vero per has Litteras statuimus nunc et in posterum firma esse volumus, rebus quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxi mensis Aprilis, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

£B ANGELUS SODANO, *archiep.*
Prosecretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 287.146

III

Venerabili Servae Dei Annuntiatae Cocchetti Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Ignem veni mittere in terram et quid volo nisi ut accendatur? » *(Lc* 12, 49).

Venerabilis Serva Dei Annuntiata Cocchetti, per totam vitam suam sitivit se amoris igne inflammari, quem Dominus Iesus venit mittere in terram et, suum faciens votum Salvatoris, omnibus viribus nisa est in cordibus puellarum accendere, quarum sedula fuit educatrix, et in cordibus Sororum Congregationis a se conditae.

Rovati, in provincia Brixiensi orta est die ix mensis Maii anno MDCCC a Marco Antonio Cocchetti et Iulia Albarelli, divitibus possessoribus. Ineunte aetate utroque parente orbatam, eam accuravit avia, quae fructuose Dei amorem et proximi docuit eam.

Peradulescens, Spiritus Sancti dono, percepta Dei caritate, qui « prior dilexit » eam, statuit ad solum Dominum pertinere atque deprecationi, ascesi et puellarum patriae suae educationis apostolatui, in oratorio scholaque tum incipientibus, se dedere.

Avia mortua, fuit ei Mediolanum emigrandum, ubi non attenuata est eius perfectionis christianae cupido, et erga Evangelium et sancta proposita sua fidelis mansit.

Anno MDCCCxxxi, voluntate Domini, auxilio Servi Dei Lucae Passi, cuius consiliis uti solebat, perspecta, Cemmum se contulit, in Valle Camunica situm, ut operam suam ad illius loci puellas educandas in schola privata profiteretur, quam pia domina administrabat.

Ob eius dotes institutorias et apostolicum fervorem, opus multum crevit et optimam sibi peperit existimationem in tota Valle. Cum ingredi non potuisset intra Filias a Caritate, a Magdalena de Canossa conditas, anno MDCCCXLii Venetiis intravit in Institutum Sororum Magistrarum a Sancta Dorothea, quas sacerdos Lucas Passi instituerat.

Duobus post mensibus novitiatus, Cemmum cum aliquibus sodalibus reversa est et, religiosa professione facta, ad pristinam actionem institutoriam cum Antistitae munere, se dedit.

Initio fuerunt ei non paucae difficultates obeundae, quae tamen non solum operis incrementum non compresserunt, sed etiam eius caritatis ardorem in iuventute colenda auxerunt.

Mortuo sacerdote Luca Passi, anno MDCCCLXVI Episcopus Brixiensis, magni faciens vitam opusque apostolicum parvae communitatis Cemmensis eamque volens a dubiis mysticis doctrinis, tunc Brixiae augescentibus, incolumem retinere, Servae Dei praecepit ut per omnia ex suo unius arbitrio penderet.

Nova Congregatio Sororum a Sancta Dorothea Cemmensium cuius Mater Annuntiata Cocchetti conditrix fuit et prima Antistita, iter suum perrexit.

Institutum cum sapientia, fortitudine et humilitate rexit, suisque spiritalibus filiabus continuo fuit exemplo fidelitatis erga Deum, erga vocationem, vota religiosa et regulam, in easque transfudit suam spiritalitatem simplicem et firmam, docendo munus educandi exercere tamquam viam sanctitatis ad altam cum Deo communionem, immissam in diligentem munium cotidianorum exsecutionem.

Mariam indicavit exemplar, quod suggerit magnitudinem et dignitatem mulieris, quam sorores a Sancta Dorothea, comites in maturitatis itinere, formare debent et praeparare, ut in Ecclesiam inque societatem, praecipue per munus educationis, inducat bona vitae christianae.

Vitae annis extremis plane oculis capta est quod patienter tulit, et nihilo minus vitam regularem, animo laeto hilarique, fideliter duxit.

Pie obiit Cemmi, post brevem morbum, die xxm mensis Martii anno MDCCCLXXXII, sancta aestimata.

Qua fama perdurante, Episcopus Brixiensis anno MCMLI canonizationis Causam inchoavit. Praescriptis Processibus canonicis peractis et solitis recognitionibus, coram Nobis die xm mensis Maii anno MCMLXXXIX promulgatum est decretum, quo professi sumus Matrem Annuntiatam Cocchetti gradu heroico exercuisse virtutes théologales cardinales et adnexas.

Interea in Curia Brixiensi, annis MCMLII-MCMLIII celebratus erat processus canonicus de asserta mira sanatione, precibus tributa Venerabilis Servae Dei et effecta anno MCMXXXXIII. Hic casus est primum inspectas, faventi cum eventu, a Consilio Medicorum Congregationis de Causis Sanctorum et postea a Consultoribus Theologis atque a Patribus Cardinalibus et Episcopis, eiusdem Dicasterii membris. Die x mensis' Iulii anno MCMXC coram Nobis est promulgatum decretum super miro.

Decrevimus deinde ut ritus Beatificationis die xxi mensis Aprilis anno MCMXCI celebraretur.

Hodie igitur, in Vaticana Basilica Sancti Petri, inter sacra hanc ediximus formulam: « Nos, vota fratrum nostrorum Brunonis Foresti, Episcopi Brixiensis, Alberti Houssiau, Episcopi Leodiensis, et Alexandri Maggiolini,

Episcopi Comensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servae Dei Annuntiata Asteria Cocchetti, Maria Teresia Ioanna Haze et Clara Dina Bosatta Beatorum nomine in posterum appellentur, earumque festum die ipsarum natali: Annuntiatae Asteriae Cocchetti, die vicesima tertia Martii, Mariae Teresiae Ioannae Haze die septima Ianuarii, et Clarae Dinae Bosatta die vicesima Aprilis in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Post haec novarum Beatarum laudes celebravimus et multa cum pietate ac fiducia eas sumus venerati. Quae autem his decrevimus Litteris, rata et firma esse volumus nunc et in futurum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxi mensis Aprilis, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

SB ANGELUS SODANO, *archiep.*
Prosecretarius Status

Loco ES Sigilli
In Secret. Status tab., n. 287.216

IV

Venerabili Servo Dei Iosepho Sebastiano Pelczar Beatorum honores decernuntur.

IOANNESPAULUSPP.il

Ad perpetuam rei memoriam. — « In caritate perpetua dilexi te; ideo attraxi te in misericordia » *(Ier* 31, 3).

Tota vita Venerabilis Servi Dei Iosephi Sebastiani Pelczar, acta in lumine fidei vivae et industriae, alacris responsio fuit Dei unius et Trini infinito amori, in mysterio Sacri Cordis Iesu revelato. Erga suam vocationem fidelis, muneribus sacerdotalibus et episcopalibus magno cum fervore est functus, abnegatione sui ipsius et caritate, studiosus praecepta sequendi et exempla divini Pastoris atque operam navandi auctui regni Dei in animis suis pastoralibus curis concreditis.

Venerabilis Servus Dei, ab Adalberto Pelczar et Maria Miçsowicz tertio loco natus, die xvn mensis Ianuarii anno MDCCCXXXXII ortus in loco sermone patrio Korczyna appellato, in Polonia australi, biduo post baptiza-

tus, crevit in familia valde religiosa. Qui a sex annorum aetate altari inserviebat, verno anni MDCCCL ad sacram mensam primum accessit et anno MDCCCLiv Confirmationem accepit. Gymnasii studiis peractis in urbibus Rzeszów et Premislia theologicis vero in seminario dioecesano, presbyter est ordinatus die xvn mensis Iulii anno MDCCCLXIV Premisliae et ad urbem Sambor missus ut brevem explicaret actionem pastoralem. Annos MDCCCLXV-MDCCCLXVIII Romae degit, ubi Sacrae Theologiae et Iuris Canonici est laureas adeptus. Eo tempore sponte lectionibus asceticis se dedidit et feriatus Gentiani lineamenta conscripsit maximi operis sui ascetici, cui nomen « Zycie ducho wne: De vita spiritali». Hoc opus optime cessit et est ample pervulgatum multumque valuit in formationem spiritalem sacerdotum, personarum Deo consecratarum et laicorum.

In Poloniam reversus, varias egit navitates, ex quibus confessarii et magistri spiritus ac professoris primum in seminario dioecesis suae, deinde in Studiorum Universitate Jagiellonica Cracoviensi, cuius et Rector Magnificus fuit. Inter sacerdotes eminuit magno amore in Deum, in Eucharistiam et in Virginem Mariam atque ardenti apostolatu. Volens necessitatibus sui temporis succurrere anno MDCCCXCIV Cracoviae condidit Congregationem Ancillarum a Sacro Corde Iesu, eo consilio, ut cultum propagaret Sacri Cordis et ancillis operariisque, pueris et aegris adesset in suis ipsorum domibus. Cum anno MDCCCIC factus est Episcopus Auxiliaris Premisliensis et die xvn mensis Decembris anno MCM Episcopus dioecesanus eiusdem Ecclesiae, viribus non parcens se ministerio dedidit populo suo sanctificando. Peculiarem adhibuit curam de formatione sacerdotum spiritali et ad institutionem pertinente, persuasum sibi habens solum sanctos sacerdotes apostolatum vere fructuosum explicare posse. Ut vitam christianam proveheret tres quoque dioecesanas Synodos celebravit annis MCMII, MCMVIII, MCMXIV et quartam iam indixerat, cum mors eum impedivit quominus eam ad effectum adduceret. Est in Domino sopitus die xxvin mensis Martii anno MCMXXIV, eminentibus exornatus virtutibus, sui gregis exemplar.

Durante fama sanctitatis, Episcopus Premisliensis anno MCMLIV causae canonizationis initium fecit. Praescriptis canonicis Processibus perfectis necnon consuetis theologicis inquisitionibus, coram Nobis, die xvin mensis Februarii anno MCMLXXXIX, decretum promulgatum est, quo professi sumus Episcopum Iosephum Sebastianum Pelczar heroum more virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Interim, anno MCMLXXXIV, apud Curiam Cracoviensem actus erat Processus canonicus de coniecta mira sanatione, deprecationi tributa Venerabilis Servi Dei et effecta anno MCMXXXXVII pro puella quadam Polonica.

Eventu cum secundo inspecto casu a medicis et dein a theologis apud Congregationem de Causis Sanctorum, coram Nobis proditum est decretum super miro.

Statuimus porro ut beatificationis ritus celebraretur in civitate Rzeszów die II mensis Iunii anno MCMXCI inter Nostrum in Polonia iter pastorale.

Hodie igitur, inter sacra sollemnia hanc sumus formulam locuti:

« Spełniając życzenie naszego brata Ignacego Tokarczuka, Biskupa Przemyskiego obrządku łacińskiego, jak również wielu innych braci w biskupstwie, oraz licznych wiernych, za radą Kongregacji Spraw Kanonizacyjnych, naszą Władzą Apostolską zezwalamy, aby odtąd Czcigodnemu Słudze Bożemu Józefowi Sebastianowi Pelczarowi, Biskupowi, oraz Założycielowi Zgromadzenia Sióstr Służebnic Najświętszego Serca Jezusowego, przysługiwał tytuł Błogosławionego, i aby jego święto obchodzono corocznie 28 marca, w dniu jego narodzin dla nieba, w miejscach i w sposób określony przez Prawo. W imię Ojca i Syna i Ducha Świętego».

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime obstantibus.

Datum Rzeszów, sub anulo Piscatoris, die II mensis Iunii, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri decimo tertio.

6B ANGELUS SODANO, *archiep.*
Prosecretarius Status

Loco ffl Sigilli
In Secret. Status tab., n. 287.029

V

Venerabilis Dei Serva Angela Salawa Beata renuntiatur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — «Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu gratias agentes Deo Patri per ipsum» *(Gol* 3, 17). Invitantur nimirum Christi discipuli ut cum ipso arcte vivant coniuncti eiusque inter homines testimonium fortiter reddant luculenterque secundum baptismi suscepti officia.

Huic invitationi alacriter quidem ac liberaliter respondit Venerabilis Serva Dei Angela Salawa, quae supernaturali prorsus sapientia dona duplicavit

gratiae caelitus percepta et circum se Evangelii lumen cum fervore animique simplicitate diffudit, arduam Christianae perfectionis viam percurrens.

Piis e parentibus in oppido Siepraw est nata prope Cracoviam die nono mensis Septembris anno millesimo octingentesimo octogesimo primo humilisque adolevit et docilis et industria. Decimo sexto aetatis anno Cracoviam sese contulit ut operariae domesticae munia procuraret, quae sedulo plane amanterque complens in instrumentum simul convertit sui ipsius sanctificationis suique etiam apostolatus; qua de re est aliquando elocuta: « hoc in opere praestantem deprehendo opportunitatem tolerandi multum, Iaborandi multum, multum precandi; praeterea aliud in hoc mundo non cupio quidquam ». Castitatis voto Deo dicata cupiebat exinde ad eum pertinere solum altumque sic spiritalis vitae gradum est adepta, interiorem alendo vitam suam crebra verbi Dei auditione ac precatione adsidua, mysteriorum Eucharistiae Christique passionis fervida meditatione ac sacrificio cotidiano. Quod vero fideliter cotidie officia sua explebat, haud inde impediebatur quin caritatis operibus vacaret, potissimum primi belli universalis tempore, cum vulneratis apud valetudinarium Cracoviense assedit. Inter operis illius socias frugiferum explicavit apostolatum, quibus exemplum ipsa facta est et vitae Christianae simul magistra.

Ita ipsa Dei progrediebatur in amore ut adfirmare non dubitaret sic se illici ut nullo pacto resistere illi posset cumque omnibus rebus Magistro Divino, animae suae sponso placere studeret, ita eius monitis ac praeceptis usquequaque obtemperaret. Ad Beatissimae Virginis Mariae exemplar, « ancillae Domini » nempe quam filiae amantis adfectu venerabatur, omnem suam instituebat vitam. Porro Sancti Francisci Asisinatis vestigiis ea ingressa est, Tertium Ordinem saecularem studiosa sequendo eiusque spiritalem rationem vitae et officia compiendo.

Anno millesimo nongentesimo decimo septimo morbis oppressa in miserrimam confugit pergulam ubi quinque traduxit annos in solitudine ac paupertate atque in precatione perpetua, ingravescentibus doloribus quos Domino offerebat. Totam demum vitam obtulit ei mortemque ipsam hac mente: « Tuum ad honorem tuamque gloriam in Polonia et orbe universo ». Ita pientissimo animo obiit die duodecimo Martii mensis anno millesimo nongentesimo vicesimo altero. Sanctimoniae exin fama numquam est intermissa, quam ob rem anno millesimo nongentesimo duodequinquagesimo Causa ipsius canonizationis inita est, omnibusque interea necessariis ex canonica lege peractis coram Nobis die vicesimo tertio mensis Octobris anno millesimo nongentesimo octogesimo septimo decretum promulgatum est

quo Angelam Salawa exercuisse agnitum est heroum more théologales cardinales adiunctasque virtutes.

Apud archidioecesis Cracoviensis curiam processus deinde canonicus actus est de prodigiosa sanatione huic deprecanti Venerabili Servae Dei adscripta anno millesimo nongentesimo nonagésimo; quae cum apud Congregationem de Causis Sanctorum perquam diligenter ac feliciter quidem esset investigata comprobataque, adstantibus Nobis decretum super miro prodiit die sexto mensis Iulii hoc ipso anno. Statuimus dein in proximo itinere apostolico per Poloniam ritum praesentes ipsi Nos beatificationis perficere. Eum, volente omnino largienteque Deo, ante interminatum populi terrae totius illius concursum, hodie peregimus maxima inter sollemnia Cracoviae, inter quae formulam beatificationis ediximus his vocibus:

« Spelniaja_c zyczenie naszego brata Kardynala Franciszka Macharskiego, Arcybiskupa Krakowskiego, jak równiez wielu innych braci w biskupstwie, oraz licznych wiernych, za rada_ Kongregacji Spraw Kanonizacyjnych, nasza_ Wladza_ Apostolska^ zezwalamy, aby odta^d czcigodnej Sldze Bozej Anieli Salawie, tercjarce franciszkanskiej, przyslugiwal tytul Blogoslawionej i aby jej swięto obchodzono corocznie 12 marca_, w dniu jej narodzin dia nieba, w miejscach i w sposób okreslony przez Prawo. W imie. Ojea i Syna, i Ducha Swietego ».

Has denique Apostolicas Litteras tam in praesentia quam in postera valere tempora volumus suamque habere vim, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Cracoviae, die xm mensis Augusti, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri decimo tertio.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n, 291.493

VI

Ecclesia Deo dicata sub titulo « Sagrado Corazón de Jesús », quae in Aequatoriae urbe Quito exstat, ad Basilicae Minoris gradum dignitatemque evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Inter sacras aedes clarissimae urbis Quiti eminere novimus templum Deo dicatum sub titulo « Sagrado Corazón de

Jesús », quod Aequatoriani fideles curaverunt aedificandum tamquam spiritualis centrum vitae domumque notam orationis unde in perpetuum celebraretur memoria illius faustissimi diei, videlicet xxiv mensis Martii anni MDCCCLXXiv, quo tota ipsorum Natio sollemni ritu est consecrata Sacro Cordi Iesu. Qua re, cum Venerabilis Frater Antonius Iosephus González Zumárraga, Archiepiscopus Metropolita Quitensis Sedis, litteris die xxvin mensis Martii hoc anno datis, cleri populique sui nomine quoque petiverit ut eandem ecclesiam titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestaremus, Nos, Qui eam libenter invisimus incipiente anno MCMLXXXV per Apostolicum Iter in quasdam Civitates Americae meridianae, enixis precibus propensa voluntate censemus obsecundare. De sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, Apostolica Nostra usi potestate, harum Litterarum virtute templum Quitense, de quo fecimus mentionem, titulo ac dignitate Basilicae Minoris decoramus, cum omnibus iuribus ac liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quae iuxta Decretum « De titulo Basilicae Minoris » die ix mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum servanda sunt. Has denique Litteras sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die iv mensis Octobris, in memoria S. Francisci Asisinatis, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco £B Sigilli
In Secret. Status tab., n. 291.310

VII

Sanctus Patricius, episcopus, Patronus apud Deum Bostoniensis archidioecesis in Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis confirmatur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Constat Sanctum Patricium, episcopum, qui in Insula Hibernia praecipuus fuit Evangelii praeco, a clero et populo Bostoniensis archidioecesis in Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis

antiqua et impensa pietate coli tamquam exemplum clarissimum fidei, spei, caritatis atque sanctitatis vitae. Qua re motus, Venerabilis Frater Noster Bernardus Franciscus S.R.E. Cardinalis Law, Archiepiscopus Metropolita eiusdem Ecclesiae, communia suorum fidelium vota excipiens, electionem Sancti Patricii, episcopi, in Patronum apud Deum Bostoniensis archidioecesis rite probavit atque, datis litteris die iv huiusce mensis, petivit ut electio huiusmodi et approbatio iuxta Normas de Patronis constituendis et ad normam Instructionis « de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis », n. 30, ab hac Apostolica Sede confirmaretur. Nos igitur, tam sollertis ac dignissimi Pastoris cupientes preces audire, iis comprobatis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, factis a Nobis facultatibus, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum Sanctum Patricium, episcopum, Patronum apud Deum Bostoniensis archidioecesis confirmamus, cum omnibus iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus. Quod faustum ac felix sit illi Praesuli atque dilectissimis Nobis in Christo Bostoniensibus filiis inque spirituale eorum omnium cedat bonum. Volumus denique ut hae Litterae Nostrae nunc et in posterum sint ratae, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xv mensis Octobris, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco 68 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 293.625 ,

VIII

Paroeciale et abbatiale templum Beatae Mariae Virgini in caelum Assumptae dicatum, quod in urbe Praga exstat, ad Basilicae Minoris gradum dignitatemque evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Inter sacras aedes Pragae, clarissimae urbis, eminere novimus paroeciale et abbatiale templum Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae, in quo, ornamentis artisque operibus decoro, et Deipara Virgo impensa pietate colitur et iam a xvn saeculo pie servatur

corpus Sancti Norberti, Archiepiscopi, Conditoris Ordinis Praemonstratensis atque Bohemiae Patroni. Qua re, cum Venerabilis Frater Miloslaus Vlk, Archiepiscopus Metropolita Pragensis Ecclesiae, litteris die v mensis Septembris hoc anno datis, etiam nomine Abbatis Generalis omniumque sodalium Ordinis Praemonstratensis necnon cleri populique sui petiverit ut idem templum titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestaremus, Nos, peculiare dilectionis Nostrae documentum cupientes praebere, enixis precibus obsecundandum esse putamus. De sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, Apostolica Nostra usi potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum templum, de quo mentionem fecimus, titulo ac dignitate Basilicae Minoris decoramus, cum omnibus iuribus et liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis quae iuxta Decretum « De titulo Basilicae Minoris » die ix mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Ceterum vota facimus ut auctus tam antiquae ac nobilis ecclesiae honor bene vertat quoque in spirituale bonum omnium fidelium qui in eam ingredientur Dei auxilium ac validissimum Virginis Mariae et Sancti Norberti patrocinium rogaturi. Has denique Litteras sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die vi mensis Novembris, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri quarto decimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Sigilli
In Secret.. Status tab., n. 293.218

IX

Templum Beatae Mariae Virginis cui titulus « Notre-Dame de la Délivrande de Poponguine », in archidioecesi Dacarensi, ad Basilicae Minoris gradum evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Templum Beatae Mariae Virginis cui titulus « Notre-Dame de la Délivrande de Poponguine », in archidioecesi Dacarensi nuper pulchre restauratum, merito ob architectonicae structurae genus, potissimumque ob religionis cultum praedicatur. Provido igitur consilio Ve-

nerabilis Frater Noster Hyacinthus S.R.E. cardinalis Thiandoum, Archiepiscopus Dacarensis, postulavit ab Apostolica Sede, ut idem ad Basilicae Minoris gradum et dignitatem — tamquam primum in illa archidioecesi ac regione — in perpetuum eveheretur, plane confisus fore ut exinde Redemptoris Mater maiorem suscipiat honorem, populus autem Domini ad fidei devotionisque augmentum conducatur. Quibus precibus libenti animo obsecundantes, Nos, e Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum consulto deque Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, harum Litterarum vi statuimus, ut templum quod diximus, Deo consecratum in honorem Beatae Mariae Virginis cui titulus « Notre-Dame de la Délivrande de Poponguine », dignitatem Basilicae Minoris consequatur, iuribus additis et privilegiis huiusmodi templorum propriis, servatis tamen iis quae iuxta Decretum « De titulo Basilicae Minoris », die ix mensis Novembris, anno MCMLXXXIX datum servanda sunt. Quae vero per praesentes Litteras Apostolicas statuimus firma sint nunc et in posterum, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxiii mensis Novembris, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri decimo quarto.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco 68 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 294.126

SECRETARIA STATUS

RESCRIPTUM EX AUDIENTIA SS.MI

quo Ordinatio generalis Romanae Curiae foras datur.

La Costituzione Apostolica *Pastor bonus,* con la quale il Sommo Pontefice Giovanni Paolo II il 28 giugno 1988 ha promulgato nuove norme circa la Curia Romana,[1] prevede all'art. 37 un *Regolamento Generale della Curia Romana,* ossia le disposizioni comuni che stabiliscono l'ordine e il modo di trattare le questioni nella Curia stessa.

Il presente *Regolamento Generale della Curia Romana* dà attuazione al suddetto articolo e con le proprie prescrizioni tende a rendere il servizio della Curia Romana sempre più adeguato alle finalità di collaborazione col Santo Padre nella sua missione di Pastore della Chiesa universale.

Il Sommo Pontefice, nell'Udienza concessa al Cardinale Segretario di Stato il 4 febbraio 1992, ha approvato « ad quinquennium » il presente Regolamento nel testo che segue, ordinandone la promulgazione e la pubblicazione in *Acta Apostolicae Sedis.* Esso diverrà esecutivo a partire dal terzo mese successivo alla sua pubblicazione (cf. can. 8 § 1 CIC) e sostituirà quindi il *Regolamento Generale della Curia Romana* del 22 febbraio 1968, che resterà « ipso facto » abrogato nella medesima data.

Con revoca dei privilegi e di altre speciali concessioni contrarie al Regolamento stesso.

Dal Vaticano, il 4 febbraio 1992.

ANGELO **card.** SODANO
Segretario di Stato

[1] Cf. *AAS* LXXX (1988), pp. 841-934

REGOLAMENTO GENERALE DELLA CURIA ROMANA

PARTE PRIMA

PERSONALE E STRUTTURA DEI DICASTERI DELLA CURIA ROMANA

TITOLO I

Direzione ed organico

Art. 1

§ 1. Il presente Regolamento si applica ai Dicasteri ed Istituti che compongono la Curia Romana.

§ 2. Ciascuno dei Dicasteri ed Istituti della Curia Romana avrà il proprio Regolamento approvato dal Cardinale Segretario di Stato *de mandato Summi Pontificis.*

§ 3. Le norme del presente Regolamento sono vincolanti anche per gli Organismi collegati con la Santa Sede,[2] salve le disposizioni particolari delle proprie leggi ed eccettuati quegli Organismi per i quali il Sommo Pontefice disponga diversamente.

Art. 2. . . . .

Ogni Dicastero, salva diversa disposizione,[3] è retto da un Cardinale Prefetto o Presidente oppure da un Arcivescovo Presidente, coadiuvato dal Segretario e, subordinatamente, dal Sottosegretario.

[2] Cf. Cost, Ap. *Pastor bonus,* artt. 186-193.

[3] Cf. Cost. Ap. *Pastor bonus,* art. 3 § 1.

Art. 3

Sono Prelati Superiori della Curia Romana:

A) il Sostituto per gli Affari Generali della Segreteria di Stato, il Segretario per i Rapporti con gli Stati della medesima Segreteria di Stato, i Segretari di Congregazione, il Reggente della Penitenzieria Apostolica, il Segretario del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica, il Decano della Rota Romana, i Segretari dei Pontifici Consigli, il Vice-Camerlengo di Santa Romana Chiesa, i Segretari dell' Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica e della Prefettura per gli Affari Economici della Santa Sede, il Vice-Presidente della Pontificia Commissione per l'America Latina, il Segretario della Pontificia Commissione per la Conservazione del Patrimonio Artistico e Storico della Chiesa.[4]

B) il Prefetto della Casa Pontificia, il Maestro delle Celebrazioni Liturgiche Pontificie.[5]

Art. 4

§ 1. La condizione giuridica dei Giudici della Rota Romana è definita nella legge propria del medesimo Tribunale Apostolico.

§ 2. Il Promotore di Giustizia e il Difensore del Vincolo della Segnatura Apostolica *durante munere* sono equiparati per quanto concerne il livello funzionale ai Giudici della Rota Romana.

Art. 5

§ 1. Sono collaboratori immediati dei Prelati Superiori nella gestione dei Dicasteri l'Assessore della Segreteria di Stato e i Sottosegretari.

§ 2. Ai collaboratori di cui al § 1 sono equiparati il Promotore di Giustizia della Congregazione per la Dottrina della Fede, il Prelato Teologo e i Relatori della Congregazione delle Cause dei Santi, il Promotore di Giustizia Sostituto e il Difensore del Vin-

[4] Cf. Cost. Ap. *Pastor bonus,* art. 2 § 1.

[5] Cf. Cost. Ap. *Pastor bonus,* art. 2 § 3.

colo Sostituto del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica, il Promotore di Giustizia e i Difensori del Vincolo del Tribunale della Rota Romana, i Delegati delle due Sezioni dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica, il Delegato dell'Amministrazione della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli, il Ragioniere Generale della Prefettura degli Affari Economici della Santa Sede, il Reggente della Prefettura della Casa Pontificia, il Direttore della Sala Stampa della Santa Sede.

Art. 6

§ 1. Nei Dicasteri prestano la loro opera Officiali nel numero stabilito nella *Tabella organica* depositata presso l'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica.[6] Essi svolgono diverse mansioni (come Capi Ufficio, Minutanti, Aiutanti di studio, Notai di Tribunali, Addetti di Segreteria, Addetti tecnici, Scrittori, ed altri equiparati) e sono distribuiti nei livelli loro assegnati.[7]

§ 2. Prestano, inoltre, la loro opera e sono distribuiti in corrispondenti livelli i Commessi, gli Uscieri e gli Ausiliari.

Art. 7

I Legati pontifici e il personale di ruolo diplomatico, quanto a nomina, promozione, disciplina, congedi, trasferimenti e cessazione dall'ufficio, dipendono dalla Segreteria di Stato.

Art. 8

§ 1. Le *Tabelle organiche,* la loro revisione e le eventuali modificazioni sono elaborate dai singoli Dicasteri e presentate alla Segreteria di Stato, la quale, previo parere dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica e su proposta

[6] La Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli ha una propria Amministrazione. Ogni volta che nel presente *Regolamento Generale della Curia Romana* si fa riferimento all'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica, per la suddetta Congregazione il riferimento si intende fatto alla propria Amministrazione.

[7] Cf. Appendice II: *Tabella Organica Generale,* p. 256.

delia Commissione per le Tabelle organiche, le sottopone al Sommo Pontefice per l'approvazione, e quindi le consegna all'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica per gli opportuni adempimenti.

§ 2. Ogni cinque anni sarà fatta la revisione delle *Tabelle organiche.*

Kościół w Polsce stoi wobec doniosłych zadań i inicjatyw, żeby wymienić tylko Synod Plenarny i drugie Nawiedzenie Bogarodzicy w Jej Jasnogórskim wizerunku, związane z programem siedmiu sakramentów Kościoła. Proszę Boga, by był obecny w tych poczynaniach, by im błogosławił, by ukazywał przez nie swoje *magnalia* « wielkie dzieła ».[7]

« Boże, Ty dałeś narodowi polskiemu w Najświętszej Maryi Pannie przedziwną pomoc i obronę, spraw łaskawie, aby za wstawiennictwem naszej

[6] Por. *Hbr* 12, 2.
[7] Por. *Dz 2,* 11.

Matki i Królowej, religia nieustannie cieszyła się wolnością, a Ojczyzna rozwijała się w pokoju ».

Kiedy wypowiadam te słowa, nawiązuję do ślubów króla Jana Kazimierza, które miały miejsce w polskim wówczas Lwowie. I tu wypada mi złożyć szczególne podziękowanie Bożej Opatrzności za to, co się mogło dokonać za naszą obecną wschodnią granicą z punktu widzenia kościelnego, za to że w nowej sytuacji, także prawnej, we Lwowie może być z powrotem, jak przez sześć stuleci, arcybiskup metropolita obrządku łacińskiego i arcybiskup metropolita, owszem — arcybiskup większy obrządku greckokatolickiego czy bizantyńsko-ukraińskiego, jak się dzisiaj mówi. Dziękuję za to, że mogą w ramach tego nowego ukształtowania naszej bezpośredniej zagranicy, pracować biskupi nie tylko we Lwowie: obok abpa Mariana Jaworskiego, tamtejszego rodaka, biskupi pomocniczy, w tym zasłużony stróż lwowskiej katedry łacińskiej, o. Rafał Kiernicki, i drugi, młody biskup Marcjan Trofimiak, którzy podejmują działalność duszpasterską wśród katolików łacińskich na tamtych terenach; że mogły odzyskać charakter stolic biskupich dawne *sedes episcopalis* w Kamieńcu Podolskim, w Żytomierzu; że znajdują się tam biskupi i rozpoczyna się normalna działalność Kościołów lokalnych.

Idąc dalej na północ — Białoruś z arcybiskupem w Mińsku, z biskupami w Grodnie i w Pińsku. Jeszcze dalej na wschód — administrator apostolski z godnością arcybiskupa w Moskwie dla obszarów Rosji europejskiej aż po Ural. Za Uralem — biskup w Nowosybirsku, biskup w Kazachstanie, który dzisiaj jest wśród nas obecny. To są naprawdę *mirabilia Dei.* Granice polityczne, które podzieliły tereny dawnej Rzeczypospolitej według kryteriów etnicznych, które zresztą zawsze istniały, nigdy nie odcięły nas od tamtych stron, od patrzenia na wschód, od poczucia odpowiedzialności za ten europejski i nie tylko europejski Wschód. Chcemy, ażeby inicjatywa Stolicy Apostolskiej, którą czasem określano jako inicjatywę błyskawiczną, wyrażając przy tym pewien niepokój, że tak szybko ta inicjatywa się zrealizowała — mogła się urzeczywistniać w duchu dialogu i współpracy ekumenicznej. Na pewno cały ten gigantyczny teren w pewnym sensie dawnego imperium carskiego, ale przede wszystkim Związku Radzieckiego, po 70 latach systematycznej, programowej ateizacji, ateizmu ideologicznego i administracyjnego, jak to zwykł nazywać śp. kard. Wyszyński, bardzo czeka na pracę Kościoła, na misję ewangelizacyjną. Jest to prawdziwa misja i praca pionierska, dlatego tym naszym umiłowanym braciom, którzy są nam tak bliscy i są tu prawie wszyscy razem z nami, życzymy z całego serca błogosławieństwa Bożego, ducha rady i męstwa w poczynaniach, które stoją przed nimi. Tym bardziej, że Papież był już dwa razy zaproszony do Moskwy. Wpraw-

dzie nie uczyniły tego władze Patriarchatu moskiewskiego, ale pan Michaił Gorbaczow, prezydent Związku Radzieckiego, przy dwukrotnych odwiedzinach w Stolicy Apostolskiej. Uczynił to w sposób bardzo wymowny, nalegając na to, więc w jakimś sensie droga jest otwarta dalej ku wschodowi i to nasze wielowiekowe, wieloletnie patrzenie na wschód z punktu widzenia Ewangelii, misji ewangelizacyjnej, jak gdyby zyskiwało w obecnych znakach czasu nowe potwierdzenie.

Tu nie chodzi o nas jako naród polski czy o Kościół w Polsce. Tu chodzi o Kościół w jego misji uniwersalnej. Chdzi o Kościół w jego misji ekumenicznej również. Jest rzeczą ogromnie ważną, ażebyśmy znaleźli zrozumienie u naszych braci prawosławnych na terenie, na którym przede wszystkim oni od całych stuleci są odpowiedzialni za ewangelizację. Kościół katolicki, Kościół łaciński absolutnie nie chce tej ewangelizacji przejmować z ich rąk, nie myśli o żadnym prozelityzmie. Kościół katolicki chce tylko podjąć tę cząstkę ewangelizacji, która do niego należy ze względu na charakter określonych wspólnot, które uważają się za katolickie, bądź łacińskich, bądź też obrządku wschodniego, bizantyńskiego. Natomiast naszym braciom prawosławnym, przede wszystkim z patriarchatu moskiewskiego, a także z innych centrów, chcemy jak najbardziej pomóc w działalności ewangelizacyjnej wśród własnych wiernych. Najgoręcej im życzymy, ażeby ta ewangelizacja, która także dla nich się otwiera w związku z nową sytuacją prawną, w związku z nowym prawem o wolności religijnej, żeby także i dla nich ta sytuacja była jak najowocniejsza, żeby mogli odzyskać to, co w ciągu dziesiątków lat bywało im odbierane. Przecież zdajemy sobie sprawę, przez analogię naszej Ojczyzny i innych krajów dawnego bloku, że ten system totalitarnej ateizacji na terenach Związku Radzieckiego był o wiele radykalniejszy i należy dziś dziękować Bogu za to, że pomimo tych dziesiątków lat wiara i potrzeba wiary tam się utrzymały. Ze ludzie się otwierają w stronę Kościoła, że czekają na kapłanów, na posługę katechetów i katechetek, zakonnych i świeckich, że jawią się powołania. Żniwo naprawdę jest wielkie, robotników na pewno mało, ale ufamy, że będą przybywać.

Tutaj wkraczamy w jakiś wymiar także i naszych własnych dziejów. Wiemy, na ile przez stulecia całe te obszary były nie przedmiotem — jak napisał w jakiejś broszurce Sołżenicyn — kolonizacji polskiej, ale były terenem wspólnego państwa, wspólnej Rzeczypospolitej. *Gommonwealth* polsko-litewsko-ruski. Te narody dążą do swojej autonomii, do swojego samostanowienia, swojej własnej podmiotowości także politycznej. My się z tego cieszymy. Cieszymy się z tego rozwoju, z tego dojrzewania sąsiadów na wschodzie. Pragniemy im w tym dopomóc przede wszystkim w dziedzinie religij-

nej, w dziedzinie ewangelizacyjnej. Myślimy, że w tym wszystkim, w tym wielkim procesie zawiera się także jakieś wspólne dziedzictwo, jakieś dziedzictwo tej wspólnoty narodów, która na tych ziemiach trwała przez szereg stuleci, w każdym razie od chrztu Litwy, a więc od końca XIV w.

Mówię to z potrzeby serca, z racji obecności naszych umiłowanych braci ze Lwowa. Wiemy zresztą, że ks. bp Jaworski, obecny arcybiskup lwowski, był do niedawna członkiem Konferencji Episkopatu Polski. Musi on na pewno dokonać wielkiego duchowego przeobrażenia, ażeby wejść w ten świat, który jest przecież jego własnym światem od urodzenia. Dałem temu wyraz zwłaszcza podczas pobytu w Lubaczowie, z którym jestem bardzo związany ze względu na pamięć arcybiskupa i metropolity Eugeniusza Baziaka, który mnie święcił na biskupa. Ks. bp Marian Jaworski, obecny arcybiskup lwowski jest w prostej linii dziedzicem tego Kościoła i tej apostolskiej sukcesji, trwającej od przeszło sześciu wieków, sukcesji Kościoła lwowskiego, metropolitalnego, drugiej niegdyś w Polsce, po Gnieźnie, metropolii.

Tak więc to nasze spotkanie jest nie tylko konkluzyjne dla pielgrzymki, ale jest także historyczne: nie tylko zamyka pewne wydarzenie, które miało miejsce w ostatnim tygodniu, ale także otwiera nowy rozdział historii dotychczas dla nas zamknięty. Otwiera ten rozdział historii niejako w planach Bożych, w planach Bożej Opatrzności. Trzeba na pewno ogromnie wiele modlitwy, ogromnie wiele czuwania, ogromnie wiele apostolstwa, ogromnie wiele pokory, ażeby to wielkie *novum,* którego tu jesteśmy świadkami, którego zresztą świadkiem była również ta pielgrzymka, która prawie cały czas, a w każdym razie w znacznej mierze przebiegała wzdłuż wschodniej granicy, mogło się utrwalić, ugruntować i rozwinąć dla chwały Bożej, dla zbawienia ludzkich dusz, bo przecież temu służymy. Bóg zapłać.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

i

DUBLINEN.

DECRETUM

Canonizationis Servorum Dei Dermitii 0'Hurley, Archiepiscopi Cassiliensis, Margaritae Bermingham viduae Ball, Francisci Taylor viri laici et XIV Sociorum in odium Fidei, uti fertur, in Hibernia interfectorum (annis 1579-1654).

SUPER DUBIO

An constet de martyrio eiusque causa, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Tu es Petrus et super hanc petram aedificatio Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam » *(Mt* 16, 18).

Propter assiduam erga Christi Ecclesiam et Petri Successorem, Romanum nempe Pontificem fidelitatem, non pauci christiani per saeculorum decursum molestias passi sunt, persecutiones et aliquando mortem etiam cruentam. Sed sicut Crucis mysterium vitae et salutis mysterium factum est, ita christianorum mors violenta, ob fidem subita corporisque mystici Domini Iesu participationem, nedum Ecclesiam enervaverit et hebetaverit similiorem illam reddidit divino eius Conditori, sanctitate splendidiorem necnon adversus tenebrarum potestatem fortiorem.

Inter eos, qui ex voluntate et sponte sua caritatis maximum dederunt testimonium vitae devotione, annumerandos esse iudicamus etiam septemdecim christianos Hibernos, qui in patria sua Anglis subiecta interfecti sunt in annorum spatio 1579 et 1654, quia Anglicum regem Ecclesiae caput agnoscere recusaverunt. Persecutores erant et ipsi christiani, sed ab Ecclesia catholica separati et, pro legibus adversus catholicos ab Angliae principibus latis, minis usi sunt et blanditiis ut christianos Hibernos a plena communione cum Ecclesia catholica segregarent et cum Christi Vicario; at,

cum hoc consequi non potuissent, omni violato humano divinoque iure, eos necaverunt, quos frangere non valuerunt violentia sua. Christiani enim illi, in fide firmi et a Spiritu Sancto sustenti, mori maluerunt, quam vitam agere a Christi corpore disiuncti, quod est Ecclesia (cf. *Col* 1, 24).

Intrepidi hi divini Magistri discipuli et Ecclesiae membra gloriosa sunt:

1. Patricius 0'Healy, Ordinis Fratrum Minorum sodalis, Episcopus Mayoensis, circiter diem 13 mensis Augusti occisus anno 1579. Roma in Hiberniam reversus ut suum expleret episcopale munus, apprehensus est, excruciatus et interrogatus, se defendendi facultate privatus. In vinculis magnam ostendit patientiam, carceris custodes aedificare nitens. Antequam mortuus est, catholicos est adhortatus ut fortes in fide manerent et schismaticus, ut eos paeniteret. Ipse et Pater Conn 0'Rourke ad martyrium cohortati sunt inter se et sacramentalem commutaverunt absolutionem.

2. Conn 0'Rourke, sacerdos Ordinis Fratrum Minorum, qui prompte indicatus, est simul cum Episcopo 0'Healy interfectus.

3.4.5.6. Matthaeus Lambert, Robertus Meyler, Eduardus Cheevers, Patricius Cavanagh, laici, qui mense Iulio die (ut videtur) quinta occisi sunt anno 1581. Horum primus pistor erat, reliqui piscatores. Viri simplices, res politicas non sapiebant, sed se esse catholicos sciebant et professi sunt. Propter fidem damnati sunt et quia catholicos adiuverant.

7. Dermitius 0'Hurley, Archiepiscopus Cassiliensis, die 20 mensis Iunii interfectus anno 1584. Natus ad annum 1530, Lovanii studia humanitatis coluit; in hac urbe et deinde Remis ius docuit. Romam venit circa annum 1570, ibique commoratus est usquedum a Summo Pontifice Gregorio XIII anno 1581 adhuc laicus in Archiepiscopum Cassiliensem electus est. Dublinum prope nanctus, est statim prehensus et plures menses saepe interrogatus et tortus, calumniis accusatus, quas firmiter respuit. Cum ei loquendi facta esset potestas, ante supplicium, affirmavit se et innocentem esse et ob fidem mori et suum Archiepiscopi officium.

8. Margarita Bermingham, iam antea viro Bartholomaeo Ball nupta, vidua septuagenaria in carcerem ob fidem intrusa, multos post varii generis dolores molestiasque susceptos in Domino obdormivit anno 1584 die autem ignoto. Mulier pia et benefica, tecto recepit multos sacerdotes pressos: hanc ob causam a filio suo comprehendi est iussa, qui schismaticus novator factus erat.

9. Mauricius MacKenraghty, sacerdos dioecesanus, cappellanus et confessarius comitis a *Desmond,* necatus die 20 mensis Aprilis anno 1585. Com-

prehensus die 17 mensis Septembris anno 1583 est carcere damnatus. Die Paschatis anni 1585 catholicus quidam notissimus a custodum duce obtinuit ut sacerdos in suam iret domum ut confessiones familiarium audiret et Missam celebraret. Deprehensus, graves percontationes debuit obire, quibus eius condicio plana facta est, quae omnino extranea apparuit ab omni machinatione politica. Omnes repudiavit facultates vitam servandi, quae condicione astringebantur regem Anglicum agnoscendi Ecclesiae caput. Magna cum tranquillitate ad mortem se praeparavit.

10. Dominicus Collins, religiosus professus Societatis Iesu, die 31 mensis Octobris occisus anno 1602. Quattuor menses in carcere detentus fuit: instanter interrogatus et etiam tormentis excruciatus, suam semper innocentiam affirmavit et cum animi firmitate suam catholicam fidem confessus est atque fidelitatem erga vitam consecratam, quam sequebatur, etsi multa ei promittebantur, si schisma Anglicanum comprobaret.

11. Conor 0'Devany, sodalis Ordinis Fratrum Minorum, Episcopus Dunensis et Connorensis, Hiberniae Primatis vicarius, anno 1611 calendis Februariis interfectus. Sicut sanctus Ignatius Antiochenus catholicos rogavit ne pro se intercédèrent eosque hortatus est ut in fide stabiles manerent. Priusquam mortuus est tam pro catholicis Hibernis Deum precibus invocavit quam pro suis persecutoribus; atque carnifici, qui eum implorabat, ignovit.

12. Patricius 0'Loughran, sacerdos dioecesanus, cappellanus Hugonis 0'Neill, partis catholicae ducis. Est in iudicium vocatus et caesus una cum Episcopo Conor 0'Devany. Canticum recitans « Nunc dimittis » in conspectum carnificis venit et, antequam mortuus est, multitudini benedixit.

13. Franciscus Taylor, laicus, in matrimonio iunctus et sex filiorum pater: mortuus est die 30 mensis Ianuarii anno 1621. Vir erat pervagatus et magnae auctoritatis Hiberniae catholicae, qui muneribus magni momenti pro communitate civili functus erat. Comprehensus praecipue quia sacerdotes tuitus erat et coram suam erat fidem professus, est circiter quinque vel septem annos in carcere tentus, ubi in morbum incidit et pie a vita discessu:, facto testamento.

14. Petrus Higgins, Ordinis Fratrum Praedicatorum sacerdos, die 23 mensis Martii interemptus anno 1642. In Hiberniam reversus anno 1630 est Prior factus communitatis loci *N aas.* Prehensus, est ad supplicium ductus. Ante mortem, suam denuntiavit innocentiam, memoravit olim se

pluribus novatoribus auxiliatum esse declaravitque solum propter fidem urgeri. Exhibuit postea litteras, quibus regis vicarius subscripserat, qui ei promiserat se vitam servaturum si apostatasset; quod, ut par est, facere noluit.

15. Terentius Albertus O'Brien, sodalis Ordinis Fratrum Praedicatorum, Episcopus Emeliensis, die 30 mensis Octobris anno 1651 interfectus. Toleti studiis expletis, sacerdos ordinatus est anno 1627 et Episcopus anno 1648. Novatoribus castrum Limericense oppugnantibus se devovit, ut civitas et clerus conservarentur. Post longam et laboriosam obsidionem, civitas se dedidit et Servus Dei, cum sacerdotibus et Episcopo Limericensi, est apprehensus. Cum ad supplicium duceretur, catholicos hortabatur ut in fide manerent.

16. Ioannes Kearney, Ordinis Fratrum Minorum sacerdos, anno 1653 die 11 mensis Martii, necatus. Apostolus intrepidus, anno 1644 comprehensus, in iudicium vocatus, in cruciatum datus est et damnatus, sed cuiusdam catholici auxilio evasit. Superior fuit conventus oppidi *Carrick-on-Suir* appellati. Magistratuum novatorum praecepto violato, in Hibernia manere statuit, sed est iterum comprehensus, in carcerem inclusus et damnatus quod Missam celebrasset, ministrasset sacramenta et catholicos adhortatus esset ut in fide perseverarent et in fidelitate erga Summum Pontificem. Servus Dei respondit se in his omnibus rebus suum explevisse sacerdotis munus. Ad mortem se praeparavit et ad supplicium ivit veste franciscana indutus, in manibus Rosarium habens et crucem; deprecatus est in cogitatione defixus et deinde catholicae fidei professionem iteravit coram multitudine.

17. Villelmus Tirry, Ordinis Sancti Augustini sacerdos, die 2 mensis Maii caesus anno 1654. Studiis in Hispania cultis, in Hiberniam revertit, ubi est variis muniis sacerdotalibus functus. Proditus, comprehensus est dum vestimentis sacerdotalibus indutus Missam erat celebraturus. In eius domo inventa sunt scripta, quae Eucharistiam defendebant et novatorum doctrinam confutabant. In carcerem inclusus cum aliis sacerdotibus, confratres spatio mensis roborare non desinit sua tam in orationis assiduitate quam vitae disciplinae et abnegationis specimine. In tribunali declaravit se in re religiosa soli Papae suisque superioribus oboedientiam praestare. Ad supplicium ductus est catena devinctus, veste religiosa indutus, Rosarium recitans. Multitudo ingens convenerat ultimam eius benedictionem acceptura. Omnes adhortatus est ut fortes in fide perseverarent et in fidelitate

erga Papam; dixit etiam se mortem vitare posse, si novatorum doctrinae assentiretur.

Omnes hi Servi Dei, episcopi nempe quattuor, sacerdotes autem sex, laici itemque sex (viri quinque, mulier unica) et religiosus professus unicus, diversas praeterea ecclesiasticas Hiberniae circumscriptiones ab omnibus quattuor insulae provinciis oriundi exprimunt; clerum dioecesanum (tres) et religiosos (Ordinum scilicet S. Francisci Asisinatis quattuor, S. Dominici duo, S. Augustini unicus, Societatis Iesu unicus) itemque exprimunt. Iam inde a die mortis suae veri sunt habiti fidei martyres haecque opinio, instrumentis historicis confirmata, quae nobis notitias certas tradunt de cuiusque Servi Dei morte, de libera eorum pro Christo et Ecclesia supremi sacrificii acceptione, de famae martyrii constantia, per saecula duravit.

Canonizationis Causa, propter rationes ad eandem non pertinentes solum inchoari potuit anno 1904 per processus ordinarii informativi celebrationem. Introductionis Causae decretum proditum est die 12 mensis Februarii anno 1915, quod secuta est processus apostolici celebratio ab anno 1917 ad annum 1930. Positio, apparata moderante Sacra Congregatione pro Causis Sanctorum, exitu cum secundo a Consultoribus Historicis inspecta est in sessione diei 23 mensis Maii anni 1989. Die 21 mensis Decembris anno 1990 actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris, praesidente Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore. Dein Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria die 2 mensis Iulii anno 1991 habita, Causae Ponente Em.mo Cardinali Iosepho Caprio, agnoverunt Servos Dei Dermitium 0'Hurley, Margaritam Bermingham viduam Ball, Franciscum Taylor et quattuordecim Socios in odium fidei occisos ideoque veros martyres habendos esse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, praecepit ut decretum super martyrio Servorum Dei rite conscriberetur.

Quod cum factum esset, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandos eisque astantibus Beatissimus Pater declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Dermitii 0'Hurley, Archiepiscopi Cassiliensis, Margaritae Bermingham, viduae Ball, Francisci Taylor, viri laici, et XVI Sociorum, in odium fidei in Hibernia interfectorum, annis 1579-1654, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 6 mensis Iulii A. D. 1991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ©S.

6B Eduardus Nowak,
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

II

NOLAN. seu COLONIEN.

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Ioannis Duns Scoti, sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci « Beati » seu « Sancti » nuncupati (1265 c-1308).

SUPER DUBIO

An constet de fama sanctitatis et de virtutibus heroicis, necnon de cultu ab immemorabili tempore praestito, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates » *(Dn* 12, 3).

Servus Dei Ioannes Duns Scotus inter magnos doctrinae scholasticae eminet magistros propter singulare momentum quod in philosophia habuit et in theologia, in qua praesertim excelluit tamquam Immaculatae Conceptionis Virginis Mariae vindex et eximius supremae Romani Pontificis auctoritatis defensor. Sua insuper doctrina vitaeque exemplo, in Dei gloria persequenda ex toto consumptae, non paucos fideles per saeculorum decursum ad cognitionem duxit divini Magistri et in evangelicae via perfectionis.

Ortus est is in Scotiae urbe Dusio, ad annum 1265. Eius familia liberaliter beneficia conferebat in sancti Francisci Asisinatis filios, qui primos evangelizatores imitantes, iam ab institutionis exordio ad Scotiae fines perrexerant.

Annum circiter 1280 in Fratrum Minorum Ordine est acceptus a patruo Elia Duns, qui recentis Scotiae vicariae erat vicarius.

In Ordine franciscali suam absolvit indolem et vitam spiritalem, suam auxit eruditionem, vivaci intellegentia praestans et mentis acie. Sapientibus magistris moderantibus ad formam et exemplar se fínxit sanctitatis et christianae perfectionis.

Die 17 mensis Martii anno 1291 ordinatus sacerdos, est Lutetiam Parisiorum missus ad studia perficienda, ubi praeter ceteros magistrum habuit Gundisalvum Hispanicum, futurum Ordinis ministrum generalem. Propter magnas suas sacerdotales dotes, electus est ut confessionum sacramentalium audiendarum munere fungeretur, quod tunc multae erat existimationis indicium.

Gradus academicos adeptus eadem in urbe Lutetia Parisiorum, cathedrariam iniit institutionem, quam deinceps in Studiorum Universitatibus Cantabrigiensi, Oxoniensi et Coloniensi explicavit. Fidelis erga sancti Francisci praeceptum, qui in Regula (cap. XII) fratribus praescribit ut sine ulla exceptione Christi Vicario et Ecclesiae subiecti sint, quia subscribere recusaverat schismatico arcessitui Philippi VI contra Bonifatium VIII, est Lutetia Parisiorum in exsilium eiectus, quo tamen post annum rediit et philosophiae atque theologiae institutionem redintegravit. Postea Coloniam translatus est ibique die 8 mensis Novembris anno 1308 est improviso morte correptus, dum in disciplinam incumbebat et in praedicationem pro catholica fide. Hoc modo usque ad finem dierum suorum illi servivit Veritati, quae eius spiritus alimentum fuerat cotidianum quamque fructuose animo penitus comprehenderat in meditatione et efficaciter verbo nuntiaverat et scriptis, mirabilis ingenii et fervoris se ostendens magistrum.

Ampla fama qua est in vita fruitus post eius mortem duravit, et non propter solam philosophicam et theologicam scientiam, verum et propter eius non communes virtutes, quas reperimus tum in memoriis, quae ad eius pertinent vitam quaeque ad nos pervenerunt et ab annis repetuntur eius morti proximis, tum in eiusdem scriptis, in quibus «latent certe ferventque sancti Francisci Asisinatis perfectionis pulcherrima forma et seraphici spiritus ardores », sicut dixit Pontifex Paulus VI in Litteris Apostolicis « Alma Parens », ad Episcopos Angliae, Cambriae et Scotiae missis (die 14 mensis Iulii anno 1966).

Ex his documentis, diligenter consideratis, scimus Ioannem Duns Scotum, a rebus mundi alienum et a se ipso, cogitationum suarum pariterque affectuum suorum et laborum Dominum Iesum et Ecclesiam caput posuisse. A iuventute, bene facultatibus utens, quas caelitus acceperat, oculos mentis et cordis in veritatum aeternarum lucem defixit et cum gaudio, eius proprio qui magnum invenit thesaurum, altius usque in notitiam, in con-

templationem et in Dei intravit amorem. Cum vera sapientis humilitate non suis fidebat viribus, sed gratiae auxilio, quam fiduciae plenus per fervidam postulabat deprecationem. Theologia eius alebat vitam spiritalem et vicissim vita spiritalis theologiam roborabat. Revelatio et Ecclesiae Magisterium norma fuerunt praecipua non solum eius cogitationis, sed etiam eius morum, quos Christi moribus conformare statuerat. Fide ductus, caritate firmatus, spe illustratus, in intima vixit coniunctione cum Deo, quem summo cum ardore diligebat, et peculiari pietate mysterium Incarnationis Verbi coluit, Iesum Crucifixum, Eucharistiam. Cum filii religione Dei Matrem honoravit et, verus marianus theologus, magnus fuit et gravis Immaculatae Conceptionis suasor. « Fidei turris », sicut est a Papa Ioanne Paulo II definitus, multum populo christiano profuit, egregie suo theologi munere, doctoris, praedicatoris fungendo, rectissime Regulam franciscanam observando et vi caritateque pugnando contra aberrantes. Persuasum sibi habens ad Romanum Pontificem supremam in Ecclesia auctoritatem pertinere, non dubitavit splendidum in Studiorum Universitate curriculum relinquere, ut coram in Christi Vicarium fidelitatem testificaretur.

Vivus famam sibi comparaverat sanctitatis et miraculorum, quae post eius mortem aucta est et stabilita, cum Coloniae, ubi est magnifice sepultus, tum in aliis regionibus. Praeprimis discipuli famam eius et cultum propagaverunt in suis ipsorum nationibus, ex quibus proveniebant. Hinc patet cur in Campania is cultus sit et Nolae praesertim.

Veteres codices et incunabula, iconographia, plures recognitiones et corporis translationes, non paucorum scriptorum affirmationes — quae omnia coniunctim sumpta — confirmant Ioannem Duns Scotum inde ab antiquissimis temporibus veneratione esse fruitum et cultu, etiam ante nota Urbani VIII decreta.

Quamvis haec floruerit sanctitatis fama, cultus significationibus exornata, varias ob causas processus canonici ad obtinendam cultus approbationem a Sancta Sede solum incipi potuerunt initio saeculi xvin. Celebrati idcirco sunt processus ordinarii Coloniensis (annis 1706-1707), Nolanus (annis 1709-1711) et, postea, Genuensis (annis 1904-1905), alius Processus Nolanus (annis 1905-1906) de famae sanctitatis continuatione, Romanus (anno 1918). Die 22 mensis Maii anno 1972 editum est decretum super scriptis Servi Dei et deinde peritorum commissio constituta est, ex sodalibus quattuor franciscalium familiarum constans, quae diligenter Congregationi de Causis Sanctorum operam navavit in apparanda Positione, quae, ad finem adducta, est ad Consultores Históricos relata in sessione diei 11 mensis Aprilis anni 1989. Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, cui Rev.mus

Fidei Promotor Antonius Petti praesedit, actus est die 23 mensis Novembris anno 1990. Patres Cardinales postmodo et Episcopi, in Congregatione Ordinaria die 21 mensis Maii anno 1991 habita, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Gagnon, consentiente voce secundas sententias suas dixerunt de fama sanctitatis deque virtutibus heroicis Servi Dei Ioannis Duns Scoti necnon de cultu ei ab immemorabili tempore tributo.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum ad hoc pertinens conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de fama sanctitatis et de virtutibus heroicis Servi Dei Ioannis Duns Scoti, necnon de cultu ab immemorabili tempore ei praestito, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum idem Summus Pontifex referri iussit.

Datum Romae, die 6 mensis Iulii A. D. 1991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

68 Eduardus Novak,
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

III

ROMANA ET MATRITEN.

DECRETUM

Canonizationis Ven. Servi Dei Iosephmariae Escrivá de Balaguer, sacerdotis fundatoris Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis et Operis Dei (1902-1975).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilis Servus Dei Iosephmaria Escrivá de Balaguer natus est Barbastri, in Hispania, die 9 Ianuarii, anno 1902. Peculiare charisma ab eo in

Ecclesiae aedificationem acceptum in sollemni consistit proclamatione indolis primigenae, quam praesefert vocatio baptizatorum, utpote ad sanctitatem vocatio. Divina ductus impulsione, die 2 Octobris, anno 1928, Opus Dei condidit, cuius apostolatum paulo post, die nempe 14 Februarii, anno 1930, inter mulieres quoque, divina gratia adiutus, exercendum esse intellexit. Die 14 Februarii, anno 1943, divinitus pariter impulsus, condidit Societatem Sacerdotalem Sanctae Crucis. Amplam ita viam aperuit cuiusque condicionis fidelibus, sacerdotibus et laicis, viris et mulieribus, ad sanctitatem prosequendam et apostolatum enixe peragendum in medio hoc mundo, in suo cuiusque munere vel labore professionali in suoque vitae statu, in adimpletione nempe, ex Dei amore, officiorum vitae cotidianae. Postquam Dei dilatationem per nationes sane multas indefesse moderatus erat, Venerabilis Iosephmaria Escrivá, egregia sanctitatis fama praestans, pie e vita migravit Romae, die 26 Iunii, anno 1975.

Inter opimos fructus ubique gentium ex eius nuntio ortos, qui in compaginem pastoralem solidam et organicam etiam effloruerunt, Christus Dominus ei largitus est, ut admirandam salutiferam fecunditatem contemplari posset, quae, ex quaesita plena unitate cum Christo in cotidianis officiis, ad christianam vitam in mundo propagandam effunditur.

Quo mortuo, innumerae voces multis in nationibus auditae sunt, quae sanctitatis famam toto eius vitae tempore testabantur. Quapropter, servatis omnibus iuris praescriptis, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, die 9 Aprilis, anno 1990, decretum de Venerabilis Servi Dei virtutibus gradu heroico exercitis edi iussit.

Iamvero haec sanctitatis fama permultis confirmata fuit caelestibus gratiis, Venerabili Iosephmaria Escrivá intercedente, uti fertur, a Deo concessis, quarum aliquae miraculi speciem revera induere videntur. Inter miras sanationes, quae eiusdem Venerabilis intercessioni attribuuntur, illa exstat valetudinis redintegratio, quam in se ipsa experta est Soror Concepta Boullón Rubio, e Congregatione Carmelitarum a Caritate, annos nata septuaginta: quae, cum in summo vitae discrimine versaretur, invocato caelesti auxilio praefati Venerabilis, mense Iunio, anno 1976, statim, perfecte ac stabiliter convaluit a morbo, quem Consilium Medicum Congregationis de Causis Sanctorum lingua italica his verbis descripsit: *« Lipocalcinogranulomatosi tumorale in soggetto di razza bianca con localizzazioni multiple dolenti e invalidanti, con volume massimo di un'arancia a livello della spaila sinistra »*. Simul vero alia aderant morbi indicia, ab eodem Consilio Medico sic definita: *« stato cachettico in paziente con ulcera gastrica ed ernia iatale complicata da grave anemia ipocromica»*. Statim ac tumiditates dilapsae sunt,

Soror Concepta Boullón mirum in modum melius valuit ab hoc quoque morbo perfectamgue tandem sanationem assecuta est. Idem Consilium Medicum statuit prognosim esse graviter infaustam quoad vitam et quoad valetudinem.

Qua super mira sanatione, conditus est processus cognitionalis, apud Curiam Archiepiscopalem Matritensem a die 21 Ianuarii, anno 1982, usque ad diem 3 Aprilis eiusdem anni. Cuius inquisitionis iuridica forma et vis agnitae sunt per decretum huius Congregationis, die 20 Novembris, anno 1984, editum.

Servato iuris ordine, idem prodigialis eventus subiectus est in primis examini Consilii Medici, apud eandem Congregationem instituti. Cuius sodales, congregati in coetu diei 30 Iunii 1990, praeter naturae vires et modum, praefatam sanationem contigisse unanimo consensu affirmaverunt.

Deinde eadem sanatio disceptationi theologicae est subiecta primum, die 14 Iulii, anno 1990, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, moderante Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore; postea, die 18 Iunii, anno 1991, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente Em.mo ac Rev.mo Cardinali Eduardo Gagnon, in Palatio Apostolico Vaticano coadunatorum. Et in utraque congressione, dubio proposito, num de miraculo constaret necne, Venerabilis Iosephmariae Escrivá de Balaguer deprecatione a Deo patrato, astantes omnes suffragium protulerunt affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto, necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater, declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Venerabili Servo Dei Iosephmaria Escrivá de Balaguer, Sacerdote, Fundatore Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis et Operis Dei, videlicet de instantánea ac perfecta stabilique sanatione Sororis Conceptae Boullón Rubio, mulieris ex alba stirpe, a Lipocalcinogranulomatosi tumorali, quae comparebat multis in corporis locis, dolorem simul et invaliditatem generans, volumen maximum aurei mali attingens in umero sinistro; necnon a statu cachectico in muliere laboranti ulcere gastrico necnon hernia iatali, quae deterior reddebatur ex implicata gravi anhaemia hypochromica.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 6 mensis Iulii A. D. 1991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

ES Eduardus Novak,
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

IV

SEGUSIEN.

DECRETUM

Canonizationis ven. Servi Dei Eduardi Iosephi Rosaz, episcopi Segusiensis, fundatoris Congreg. Sororum Franciscanarum Missionariarum Segusiensium (1830-1903).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilis Servus Dei Eduardus Iosephus Rosaz, inter octo filios septimo loco natus, Segusii die 15 mensis Februarii ortus est anno 1830 a familia, quae eum in via Domini a pueritia duxit. Animadversa vocatione ad sacerdotium, seminarium dioecesanum suae urbis est ingressus et die 10 mensis Iunii anno 1854, optime praeparatus, sacrum presbyteratus Ordinem accepit. Capituli cathedralis canonicus fuit, ephebei civici rector et postea seminarii episcopalis. Peculiari cum studio pastorali se dedidit ministerio, praesertim Dei verbo praedicando et catechesi tradendae ac paenitentiae sacramento subministrando.

Caritate erga egenos impulsus, condidit Congregationem Sororum Tertiariarum Segusiensem Sancti Francisci, quae hodie Franciscanae Missionariae Segusienses vocantur et in curandas educandasque puellas incumbunt similiter ac in assidendum aegrotis et senibus. Institutum apertum est die 8 mensis Octobris anno 1882, septimum sollemnibus saecularibus incidentibus diei natalis sancti Francisci Asisinatis, quem Servus Dei singulari prosequebatur veneratione.

Electus Episcopus Segusiensis mense Decembri anno 1877, episcopalem ordinationem accepit die 24 mensis Februarii anno 1878. Ad mortem usque pastorali se tradidit ministerio, quod apostolicis inceptis ac spiritalibus abundavit fructibus. Praecipue cleri formationi prospexit, iuvenum christianae educationi et pauperum curae. Solida sanctitatis fama sibi conciliata, pie e vita discessit die 3 mensis Maii anno 1903.

Canonizationis Causa inita anno 1930, actisque praescriptis canonicis processibus apud Curiam Segusiensem atque consuetis perfectis explorationibus apud Congregationem de Causis Sanctorum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, die 22 mensis Martii anno 1986, declaravit episcopum Eduardum Iosephum Rosaz heroum in modum virtutes exercuisse théologales, cardinales et adnexas.

Ad beatificationem obtinendam Causae Actores ad Apostolicam Sedem detulerunt miram assertam sanationem infantis Danielis Sottomano, quinque menses nati, quae patrata est anno 1958 et intercessioni tributa Venerabilis Servi Dei Eduardi Iosephi Rosaz. Die 30 mensis Maii anno 1958 puer hic, cum signa ostenderet dyspnoeae, tussis, debilitatis generalis ac febris, est in valetudinarium Segusiense deductus. Incommodo respirationis permanente, est translatus ad Taurinense valetudinarium a Regina Margarita denominatum, calendis Iuniis. Ibi est diagnosis dicta de arteriarum pulmonumque inflammatione et cordis sanguinis cursus defectione. Postridie condiciones sunt in peius mutatae; qua re medici prognosim tulerunt infaustam quoad vitam post breve tempus. Cum esset domum reductus, talibus in condicionibus, quae ad mortis colluctationem pertinere iam putarentur, parochus, imminenti considerato periculo mortis, ei Confirmationis sacramentum subministravit. Eodem tempore parentes, propinqui et aliquae Sorores Tertiariae Segusienses Sancti Francisci cum fiducia Dei auxilium exquisiverunt, intercessionem invocando Venerabilis Servi Dei Eduardi Iosephi Rosaz, in cuius honorem novendialem supplicationem inierunt cuiusque reliquiae in pueri corpore positae sunt. Precum vix factum erat initium, cum parvuli condiciones improviso meliores factae sunt et subsequenti die (tertio mensis Iunii) a curante est declaratus a periculo tutus.

De hoc casu a die 21 mensis Aprilis ad diem 30 mensis Iunii anni 1990 apud Curiam Segusiensem celebratus est processus canonicus, cuius auctoritas et vis agnita est per decretum die 23 mensis Februarii anno 1991 proditum a Congregatione de Causis Sanctorum. Deinde ex more inspectiones factae sunt a medicis et postea a theologis. Die 21 mensis Martii eodem anno Consilium Medicorum, data diagnosi de « bronchiolitide (arteriarum inflammatione tenuissimarum diffusa), statu mortis agonis cum gravissimis

condicionibus generalibus atque expressissima spiritus exiguitate » professum est sanationem celerrimam fuisse, mansuram et pro scientiae cognitionibus inexplicabilem. Est dein actus Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, praesidente Rev.mo Fidei Promotore Antonio Petti, die 10 mensis Maii anno 1991, necnon Congregatio Ordinaria habita Patrum Cardinalium et Episcoporum die 4 sequentis mensis Iunii, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Francisco Pironio. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de praefatis rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super eadem mira sanatione decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Eduardo Iosepho Rosaz, Episcopo Segusiensi, videlicet de celérrima et mansura sanatione infantis Danielis Sottomano a bronchiolitide (arteriarum inflammatione tenuissimarum diffusa), statu mortis agonis cum gravissimis condicionibus generalibus atque expressissima spiritus exiguitate.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum idem Summus Pontifex referri praecepit.

Datum Romae, die 6 mensis Iulii A. D. 1991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

© Eduardus Nowak,
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

V

VINDOBONEN. seu VENETIARUM

DECRETUM

Canonizationis ven. Servi Dei Marci ab Aviano (in saec.: Caroli Dominici Cristofori), sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum (1631-1699).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Vos estis lux mundi » *(Mt* 5, 14).

Omnes, qui cum humilitate verbum accipiunt Evangelii et exsequuntur, lucernis similes sunt, quae in mundo Christi lucem effundunt. Alii tamen ex iis, aliis dilucidiores sunt, quia singulare desursum acceperunt munus lucem ferendi veritatis et redemptionis bona ad multos populos. Ad hanc pertinet classem etiam franciscanus sacerdos Marcus ab Aviano, qui gloriae Dei et animarum salutis studio motus, in pluribus Europae nationibus Christi fudit lumen per vitae sanctitatem et magnum apostolatum, qui multum contulit ad fidem excitandam et ad fidelium oboedientiam Dei legibus meliorem reddendam.

Hic Servus Dei ortus est a Paschale Cristofori et Rosa Zanoni, plebeii ordinis divitibus, in oppido *Aviano,* intra fines dioecesis Concordiensis sito, die 17 mensis Novembris anno 1631, et eodem die baptismi sacramentum accepit, Carolus et Dominicus nominatus. Eius educationi pii consuluerunt parentes et, post ludos, Patres Societatis Iesu in claro ephebeo Goritiensi, unde, ad sedecim annos natus, fugit ut ad Turcos se conferret, ardenter optans martyrium subire. Cum Iustinopolim pervenisset, est a Capuccinis tecto receptus, qui eum dehortati sunt ab itinere pergendo eique suaserunt ut domum rediret. Anno 1648, Coneliani Veneti, est Fratrum Minorum Capuccinorum novitiatum ingressus et insequenti anno vota nuncupavit nomine sumpto Marco. Est dein sacerdos ordinatus Fossae Clodiae die 28 mensis Iulii anno 1655. Sui Ordinis consuetudinem sequens ministerio se tradidit praedicationis. Illi invito aliquot annos officium delegatum est custodis conventus Bellunensis et postea Opitergini. Eius vita in improviso est ver-

sata discrimine anno 1676, cum Patavii religiosa quaedam, quartum decimum iam annum morbo affecta, est subito sanata postquam ei Servus Dei benedixit. In urbe nuntio vulgato, multi aegroti ad eum accucurrerunt ut benedictionem acciperent, et deinceps multa facta, prodigiosa habita, sine intermissione eius ministerium signaverunt, quod miro cum fervore et efficacia pluribus in civitatibus Venetis et in aliis Europaeis nationibus explicavit, praesertim in Austria, ubi familiarissime est usus imperatore Leopoldo I, cuius sapiens et prudens consiliator usque ad mortem fuit. Quamvis occultationem diligeret, tamen ut animis serviret, semper superioribus ecclesiasticis oboedienter, multa fecit itinera ut Evangelium nuntiaret et populi atque auctoritatum recrearet fidem.

Simplicibus et ardentibus verbis omnes, divites et pauperes, hortabatur ad conversionem, ad paenitentiam, ad perfectam contritionem et ad peccatorum confessionem. Propter eius ministerium, ad quod ingentes accurabant multitudines, multi ad Deum revertebantur et ad paenitentiae atque Eucharistiae sacramenta accedebant. Maximi eius temporis viri, eum verum ducentes hominem Dei, veritatis amantem, iustitiae et sinceritatis, illum adibant ut consilia peterent utque possent difficiles expedire quaestiones. Summo Pontifici oboediente, vero cum spiritu sacerdotali, ab omni prorsus fallacia alieno et vanitate, prudenter curavit etiam de rebus politicis et legatoriis, populorum condicionibus religiosis consulens et paci nationum. Hinc in reconciliandos incubuit principes Germanos et varios gubernatores Europaeos; fidei vi et caritatis igne non secundariam exsecutus est operam pro catholicis, quos Turci appropinquantes periculose urgebant; qui quidem submoti sunt. In tanta industria solitudinis studium servavit, et cum poterat ad suam conventus Patavini cellam redibat vel ad alium Capuccinorum conventum. Hac de re ad imperatorem scripsit: « Nitar me remotum in cella tenere paupere, ut totum me Deo dedam et eurem ut divino incendar amore; namque — errorem sane deponat qui vult — in solo Deo vera est quies veraque laetitia, nec umquam invenit illam, qui in hoc mundo sit fallaci et fraudulento ». Ita temperare valuit impensam apostolicam navitatem cum silentio, contemplatione et deprecatione. Uti verum decet apostolum, sibi conscius erat sine coniunctione cum Deo et sine vitae sanctae testimonio se frustra laboraturum in Christi regno aedificando. Quamobrem semper officium sensit et gaudium fidenti cum animo exquirendi divinum auxilium et continenter progrediendi in familiaritate cum Deo, in evangelicis colendis praeceptis inque christianarum virtutum exercitio. Et est profecto agnoscendum exitum optimum fuisse. Enituit enim fidei altitudine et soliditate, per quam mente et corde divinae est assensus revelationi et Ee-

clesiae magisterio fuit que singularis efficaciae praedicator. A se ipso alienatus et a mundi rebus, non suam quaerebat gloriam, sed Dei maxime dilecti, nec aliud cupivit, nisi eius fideliter facere voluntatem et animis utilis esse indefatigato suo apostolatu. Scripsit: « Deus scit omnium operum meorum finem solam esse voluntatem Dei, nec me alias habere rationes aut usum, quam unam solius Dei gloriam et animarum salutem, me semper Sanctae Matris Ecclesiae filium oboedientissimum, paratum ad sanguinem profundendum et vitam pro ea devovendam ». Ut vires haberet sufficientes ad progrediendum in via perfectionis diu noctuque deprecationis auxilio utebatur, fervide celebrabat Missam, peculiari pietate Eucharistiam prosequebatur et Virginem Mariam, praecipue in mysterio Immaculatae Conceptionis curtam; quam optime vota religiosa observabat et Regulam Franciscanam, a qua discedere numquam volebat, nec in conventu, nec in laboriosis itineribus, nec in aula principum.

Omnia cum alacritate faciebat et spiritali delectatione propter Dei et proximi amorem, imprimis fratrum sodalium Capuccinorum, peccatorum, pauperum, aegrorum, maerentium, eorum qui ipsum adibant ut Dei verbum audirent et consilia peterent. Ignovit et amavit eos quoque, qui eius ministerio obstare conati sunt quique calumniis ei molesti fuerunt. Sicut patiens et fortis fuit in tolerandis apostolatus incommodis, ita patiens et fortis in suscipiendis angustiis ex infirma valetudine proficiscentibus, impedimentis quae Ecclesiae hostes in eius collocabant itinere.

Anno 1699 ultimum iter Vindobonam fecit ad imperatoris domum: « Me vires deficiunt — dixit — sed Papa iubet »; et is, ut solebat, prompte oboedivit. Tumore consumptus Vindobonae pie obiit die 13 mensis Augusti eodem anno, ampla et solida sanctitatis fama insignis, quae coram et sollemniter est in eius exsequiis significata.

Haec fama subsequentibus etiam annis duravit, sed Canonizationis Causa, ob rationes ad eandem non pertinentes, solum inchoata est anno 1891 per celebrationem processus ordinarii Vindobonensis, quem secutus est processus ordinarius Venetiarum. Die 9 mensis Decembris &nno 1908 editum est decretum super scriptis et die 11 mensis Decembris anno 1912 decretum super Causae introductione. Deinde celebrati sunt processus apostolici Vindobonensis et Venetiarum. Sectione Historica Sacrae id temporis Rituum Congregationis moderante est Positio apparata, quae est Consultoribus Historicis proposita die 15 mensis Iulii anno 1966. Congressus Consultorum Theologorum prospero cum exitu actus est die 15 mensis Ianuarii anno 1991, praesidente Promotore Fidei Rev.mo Domino Antonio Petti. Patres Cardinales postea et Episcopi, in Congregatione Ordinaria collecti die

18 mensis Iunii eodem anno, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Francisco Pironio, Patrem Marcum ab Aviano virtutes théologales, cardinales et adnexas heroum in modum exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more con vocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Marci ab Aviano (in saeculo: Caroli Dominici Cristofori), Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Iulii A. D. 1991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

83 Eduardus Nowak,
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus PP. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 17 Martii 1992. — Episcopum coadiutorem dioecesis Sabinensis-Mandelensis Exc.mum P. D. Salvatorem Boccaccio, hactenus Episcopum tit. Ulpianensem et in Urbe Auxiliarem.

die 24 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Tylerensi, Exc.mum P. *D.* Edmundum Carmody, hactenus Episcopum titularem Murthlacensem et Auxiliarem archidioecesis Sancti Antonii.

— Cathedrali Ecclesiae Lincolnensi, R. D. Fabianum W. Bruskewitz, e clero archidioecesis Milvaukiensis, et curionem paroeciae Sancti Bernardi in oppido vulgo Wauwatosa.

die 25 Martii. — Cathedrali sedi Ecclesiensi R. D. Henricum Miglio, Vicarium generalem dioecesis Eporediensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Egnatiensi R. D. Norbertum Trelle, e clero archidioecesis Coloniensis, curionem et decanum paroeciae S. Ioannis Baptistae in urbe Wuppertal, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Geraldtonensi, Exc.mum P. D. Iustinum Iosephum Bianchini, e clero archidioecesis Perthensis.

ficatio transmissionis graves habent consecutiones. Re, saepe etiam publice, responsalitas usus unciarum publica imminuitur. Inclinatur ad exitum eius studiis solummodo mercatoriis, non respectu servitii. Lucri causae ac praeconiorum commoda vulgatorum vim pravam habent in communicationis socialis materiam: favor popularis qualitati anteponitur et convenit de minimo denominatore communi. In laudativis nuntiis vulgatores suas transgrediuntur legitimas partes, id spectantes, ut veras cognoscant necessitates iisque satisfaciant, et, mercatoriis moti causis, parere nituntur consumptionis falsas necessitates atque artificiosa exemplaria.

Pressus commerciales pariter fiunt extra nationis fines, cum detrimento nonnullorum populorum eorumque culturarum. Ob aemulationis incrementum ac necessitatem novas mercandi rationes inveniendi, communicationum socialium societates plus plusque indolem induunt « multinationalem »; localis generandi impossibilitas efficit ut simul aliquae nationes magis ex exteris pendeant nationibus. Ita fit ut opera quorundam popularium instrumentorum communicationis socialis, propria alicuius culturae, in alias culturas diffundantur, saepe cum damno generum artium socialiumque communicationum, quae in iis sunt, et valorum quos continent.

Quaestionum ex hac commercificatione et privatificatione exortarum solutio tamen non ponitur in reipublicae inspectione ad instrumenta communicationis socialis attinente, sed in disciplina maioris momenti, normis publici servitii consentanea, similiter ac in maiore responsalitate publica. Quod ad hoc pertinet, notandum est, si formae iuridicae et politicae, in quibus instrumenta communicationis socialis adhibentur, in quibusdam nationibus plane progrediuntur, alia loca sunt, ubi reipublicae moderatorum interventus ratio pergit esse oppressionis atque exclusionis.

II. INSTRUMENTORUM COMMUNICATIONUM SOCIALIUM MUNUS

6. *Communio et progressio* consistit in descriptione communicationum socialium tamquam viae ad communionem. Textus declarat: « Plus secum infert communicatio quam cogitationum solam declarationem vel animi affectuum significationem ».[8] Pro hac significatione communicatio est repercussa communionis ecclesialis, cui prodesse potest.

Communicatio veritatis vere potentiam habere potest redemptricem, quae a Christi persona manat. Is est Verbum Dei caro factum et imago

[8] ***Communio et progressio*, n. 11: *AAS* LXIII (1971), 598.**

Dei invisibilis. In Eo et per Eum Dei vita Spiritus actione communicatur cum humano genere. « Invisibilia ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna eius et virtus et divinitas ».[9] Potest item sequens efferri versiculus: « Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam eius plenum gratiae et veritatis ».[10]

In Verbo carne facto Deus se certe et definite communicat. In Iesu praedicatione et actione, Verbum liberator fit et redemptor universi generis humani. Hic amoris actus, quo Deus se revelat, cum humani generis fidei responsione consociatus, altum gignit dialogum.

Hominum historia et summa inter homines necessitudinum explicantur in forma huius Dei communicantis in Christo. Historia ipsa ad hoc spectat, ut quoddam fiat Dei verbum, et hominis vocatio est ut ad hoc conferat et, modo fecundo, hanc constantem ac infinitam amoris Dei reconciliatoris communicationem vivat. Vocamur ad haec in verba, spei plena, convertenda inque amoris actus, per nostram scilicet vivendi rationem. Communicatio debet idcirco in media ecclesiali communitate collocari.

Simul autem Christus argumentum est et fons eorum, quae Ecclesia communicat, cum Evangelium nuntiat. Nihil aliud est Ecclesia, nisi Christi mysticum Corpus, plenitudo eius qui « omnia in omnibus adimpletur », « qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia ».[11] Iter ergo facimus, in Ecclesia, per Verbum et sacramenta, spem versus unitatis ultimae, ubi erit « Deus omnia in omnibus ».[12]

A. Instrumenta communicationis socialis usui personarum et culturarum

7. Sicut bonum faciunt et ad faciendum sunt apta, instrumenta communicationis socialis, quae « simul .unitatem aedificare possunt et mutuam comprehensionem, ita et visionem possunt vitae deformatam vulgare, familiae, valorum religiosorum et ethicorum, interpretationem scilicet, quae veram personae humanae dignitatem et sortem non re veretur ».[13] Iubentur instrumenta communicationis socialis observare et participare plenam personae progressionem, quae complectitur « hominis rationem culturalem, naturam transcendentem, religiosam »[14] et societatis.

[9] *Rom* 1, 20.
[10] *Io* 1, 14.
[11] *Eph* 1 23; 4, 10.
[12] *1 Cor* 15, 28; *Communio et progressio,* n. 11.
[13] PONTIFICIUM CONSILIUM DE COMMUNICATIONIBUS SOCIALIBUS, *« Pornograpby and Violence in the Media: A Pastoral Response »,* n. 7, e Civitate Vaticana, 1989.
[14] IOANNES PAULUS II, *Sollicitudo rei socialis,* n. 46: *AAS* LXXX (1988), 579.

Quaedam problemata singulorum et societatis ex eo etiam oriuntur, quod maior in dies instrumentorum communicationis socialis usus substituitur in locum necessitudinum inter personas atque ex non mediocri studio, quo fictae personae ad communicationes sociales attinentes afficiuntur. Instrumenta haec nequeunt vicem praestare commercii personalis proximi nec necessitudinum inter membra familiae vel inter amicos. Sed conferre possunt ad hanc solvendam difficultatem — per coetus disceptationis, per disquisitiones de cinematographicis ludibus vel radiophonicis itemque televisificis transmissionibus — potius communicationem concitando inter personas, quam vicem eius supplendo.

B. Instrumenta communicationis socialis usui dialogi cum mundo huius temporis

8. Concilium Vaticanum II in luce posuit: « Populum Dei et genus humanum, cui ille inseritur, servitium sibi mutuo praestare, ita ut Ecclesiae missio religiosam et ex hoc ipso summe humanam se exhibeat ».[15] Eorum qui Dei Verbum nuntiant est considerare et intellegere niti « verba » populorum et eorum variarum culturarum, ut non solum eos cognoscant, verum adiuvent etiam ad Dei Verbum agnoscendum et accipiendum.[16] Ecclesia debet igitur activam et attentam in mundo servare praesentiam, adeo ut communitatem alat eosque easque sustineat (viros scilicet ac mulieres), qui aeque solvere nituntur singulorum quaestiones atque sociales.

Insuper, si semper debet Ecclesia nuntium communicare modo ad quodlibet tempus apto atque ad nationum culturas et singularium populorum, hodie praesertim hoc facere debet in cultura et pro cultura novorum instrumentorum communicationis socialis.[17] Condicio haec est fundamentalis si uni ex maximis curis Concilii Vaticani II cupitur responsionem dare: ortus novorum socialium, technicorum culturaliumque vinculorum, quae arctius usque homines coniungunt, « Ecclesiae officio urgentiorem vim » addit, ut eos in « plenam etiam unitatem in Christo » congreget.[18] Magnum momentum considerans partium, quas instrumenta communicationis socialis agere possunt in suis conatibus huic unitati favendi, Ecclesia ea putat instrumenta « provido Dei consilio excogitata » ad augendas communicationes sociales et communionem inter populos his in terris peregrinantes.[19]

Gaudium et spes, n. 11: *AAS* LVIII (1966), 1034

Cf. PAULUS VI, *Evangelii nuntiandi,* n. 20: *AAS* LXVIII (1976), 18-19.

Cf. *Inter mirifica,* n. 3: *AAS* LVI (1964), 146.

Lumen gentium, n. 1: *AAS* LVII (1965), 5.

Cf. *Communio et progressio,* n. 12: *AAS* LXIII (1971), 598.

Ecclesia, quae cum mundo hodierno quaerit dialogum conferre, honestum et obsequens cum iis colloquium serere cupit, qui communicationis socialis instrumentorum onere tenentur et officio. Eiusmodi dialogus postulat ut Ecclesia conetur instrumenta communicationis socialis comprehendere — eorum proposita, rationes, laboris normas et modi, structurasque internas — eosque sustentet atque confirmet, qui iis operam navant. Super hoc comprehensionis et subsidii fundamento significantes statui possunt rogationes ad impedimenta amovenda, quae humanae progressioni obstant et Evangelii proclamationi.

Ad hunc dialogum serendum, necesse est enixe Ecclesia cogitet de profanis instrumentis communicationis socialis et praecipue de agendi elaboranda ratione ad ea pertinente. Christiani enim officio tenentur faciendi ut audiatur vox sua in omnibus instrumentis communicationis socialis. Eorum munus non ad solam spectat ecclesialium nuntiorum transmissionem. Dialogus hic exigit insuper ut ea sustineat instrumentorum communicationis socialis ministros, accurate anthropologiam veramque theologiam conficiat ad communicationem socialem accommodatam, quo theologia ipsa facilius diffundatur et efficacior fiat ad valores evangélicos revelandos hosque in huius aetatis humanae condicionis res applicandos. Necesse quoque est qui Ecclesiae praesunt ac pastorales ministri bona cum voluntate et prudentia communicatorum interrogationibus respondeant, quaerentes cum iis fiduciam mutuamque coniungere observantiam, communibus nisam valoribus, qui nostram non participant fidem.

C. Ipsa instrumenta communitatis humanae et progressionis socialis usui

9. Communicatio quae in Ecclesia et per Ecclesiam fit essentialiter posita est in Bono Nuntio Iesu Christi referendo. Proclamatio est Evangelii, tamquam verbi prophetici ac liberantis, ad viros mulieresque nostrae aetatis directi; testimonium est redditum, adversus rationem penitus vivendi pro saeculi moribus, divinae veritati et transcendenti personae humanae sorti; est, adversus conflictationes ac discidia, factio iustitiae, in mutua necessitudine cum omnibus credentibus, in ministerio communionis inter populos, nationes et culturas.

Hic Ecclesiae sentiendi modus de communicatione sociali mire ipsius instrumenta illustrat et partes quas ea agere debent, secundum providum Dei consilium, in fovenda personarum ac societatum plena progressione.

D. Instrumenta communicationis socialis usui ecclesialis communionis

10. Praeter ea quae dicta sunt, commemorare etiam oportet ius fundamentale ad dialogum et ad rerum nuntiorumque cognitionem in Ecclesia,

sic ut affirmat *Communio et progressio,* necnon necessitatem vias efficaces inquirere pergendi, quibus hoc ius foveatur et protegatur, praesertim per responsalem usum instrumentorum communicationis socialis. Hic meminimus, praeter ceteras, Codicis Iuris Canonici affirmationes, pro quibus, quamvis Ecclesiae Pastoribus oboedire teneantur, « Christifidelibus integrum est, ut necessitates suas, praesertim spirituales, suaque optata (iis) patefaciant »,[21] et postea: « Pro scientia, competentia et praestantia quibus pollent, ipsis ius est, immo et aliquando officium, ut sententiam suam de his quae ad bonum Ecclesiae pertinent sacris Pastoribus manifestent ».[22]

Modus est hic servandi ac confirmandi Ecclesiae credibilitatem atque efficaciam, quin etiam potest haec ratio esse ad effectum adducendi indolem « communionis » Ecclesiae, quae suum habet fundamentum in intima Trinitatis communione eamque exprimit. Inter membra huius communitatis, ex quibus constat Ecclesia, nativa aequitas est dignitatis et missionis, quae ex baptismo oritur et subest hierarchicae structurae atque officiorum muniumque differentiae. Aequitas haec honesta et observanti distributione rerum nuntiorumque cognitionis ac opinionum significabitur.

In dissensione autem nosse interest «non enim... hominum opinionem sollicitando, ad quaestiones doctrinales declarandas et ad serviendum veritati conferre potest ».[23] Namque « revera opiniones Christifidelium ad "sensum fidei" simpliciter redigi non possunt ».[24]

Cur tantum Ecclesia de iure contendit, quod hominibus est ad rerum nuntiorumque cognitionem acquirendam? Cur in lucem profert suum ius ad veram Evangelii nuntiandam veritatem? Cur in officio perstat, quo eius Pastores astringuntur, veritatem communicandi ac fideles educandi ad idem faciendum? Quia in Ecclesia communicationis comprehensio in eo ponitur, quod Verbum Dei se ipsum communicat.

E. Instrumenta communicationis socialis usui novae evangelizationis

11. Praeter multos translaticios modos, quales sunt testimonium vitae, catechismi institutio, consuetudines inter personas, pietas popularis, liturgia aliaque sacra similia, instrumentorum communicationis socialis usus essentialis evasit evangelizationi et catechesi. Revera, « Ecclesia coram Do-

[20] ***Communio et progressio,*** **nn.** 114-121: ***AAS*** LXIII (1971), 634-636,

[21] **Cf. canon** 212 § 2: ***AAS*** LXXV 2 (1983), 34.

[22] **Cf. canon** 212 § 3.

[23] CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, ***Instructio de ecclesiali theologi vocatione,*** **n.** 30: ***AAS*** LXXXII (1990), 1562

[24] **Cf.** ***ibidem,*** **n.** 35: ***AAS*** LXXXII (1990), 1565.

mino suo quasi conscia reatus adesset, nisi praevalidis hisce subsidiis uteretur, quae humana mens in dies expolit perfîcitque ».[25] Instrumenta communicationis socialis possunt debentque instrumenta esse, quae rationi inserviant iteratae ac novae evangelizationis Ecclesiae in mundo huius temporis. Respectu novae evangelizationis diligenter attendenda est vis auditoria ac visifica instrumentorum communicationis socialis, secundum dictum « videre, iudicare, agere ».

Maximi tamen momenti est, quod spectat ad Ecclesiae modum gerendi erga instrumenta communicationis socialis et culturam, quam haec ipsa conferunt ad formandam, semper meminisse « non satis (esse) ergo illis uti ad diffundendum nuntium christianum et Ecclesiae Magisterium, sed (oportere) compleatur ipse nuntius huius novae culturae communicatione huius aetatis partes... per novos sermones, novas technicas, novos habitus psychologicus ».[26] Praesens evangelizatio debet vias invenire in Ecclesiae praesentia activa et aperta in communicationum socialium regione.

III. HUIUS AETATIS PROVOCATIONES

A. Iudicii critici necessitas

12. Si Ecclesia positivo et aperto modo se gerit erga instrumenta communicationis socialis, nitens in novam culturam ex communicationibus socialibus ortam penetrare ad evangelizandum, necesse est ipsa iudicium criticum de instrumentorum eiusdem communicationis et de eorundem vi in culturam proponat.

Sic ut pluries dictum est, communicationum socialium technologia mirum est humani ingenii indicium et eiusdem communicationis instrumenta notabiliter societati prosunt. Sed, uti pariter in lucem prolatum est, ipsae technologiae applicatio non fuit nisi dimidiatum beneficium eiusque conscio usui opus sunt sani valores atque prudentes electiones a singulis, a privatis, a reipublicae moderatoribus et ab universa societate factae. Ecclesia non exigit quidem eiusmodi consilia et electiones praecipere, sed conatur auxilium ferre verum, normas ethicas et morales indicando ad hanc provinciam aptandas, quae normae invenientur in valoribus tum humanis tum christianis.

[25] PAULUS VI, ***Evangelii nuntiandi,*** **n.** 45: ***AAS*** LXVIII (1976), 35.

[26] IOANNES PAULUS II, ***Redemptoris missio,*** **n.** 37: ***AAS*** LXXXIII (1991), 285.

B. Mutua hominum necessitudo et plena progressio

13. In praesentibus condicionibus accidit ut communicationis socialis instrumenta singulorum et societatis impedimenta aggravent, quae mutuam hominum necessitudinem et plenam personae humanae progressionem praecludunt. Quae impedimenta sunt praecipue saecularis ratio vivendi, incontinentia in rebus utendis, materialismus, humanitatis amissio atque condicionum pauperum et opibus destitutorum neglectio.[27]

Hoc in rerum statu Ecclesia, quae videt his in instrumentis communicationis socialis viam hodie privilegiatam « ad culturam creandam et transmittendam »,[28] suum esse existimat communicationum socialium ministris atque vulgo educationem proponere, quae « tam ad sensum criticum ardenti veritatis amore animatum educans, quam ad libertatem defendendam, ad dignitatem personalem observandam, ad authenticam populorum culturam elevandam urgens est, omnem monopolii et manipulationis formam firmo et forti reiiciens animo ».[29]

C. Rationes agendi et structurae

14. Patet, quod ad hoc pertinet, aliqua problemata proficisci e rationibus agendi ac structuris instrumentorum communicationis socialis propriis; memoramus, exemplorum gratia, locos in quibus prohibentur quidam coetus vel ordines quominus socialis communicationis instrumentis utantur, constantem aliquibus in locis imminutionem fundamentalis iuris ad rerum et nuntiorum cognitionem acquirendam, ponderis incrementum quo quidam pauci praevalentesque coetus oeconomici, sociales et politici instrumenta communicationis socialis dominantur.

Haec omnia contraria sunt propositis praecipuis ipsique instrumentorum communicationis socialis naturae, quorum peculiares in societate partes et necessariae positae sunt in opera navanda tuendo hominis iuri ad rerum nuntiorumque cognitionem acquirendam, ad iustitiam provehendam in bono communi quaerendo, ad personas, coetus ac populos adiuvandos in conquisitione veritatis. Instrumenta communicationis socialis his funguntur muneribus praecipuis, cum opinionum mutationi et nuntiorum fovent inter omnes ordines ac societatis partes, et omnibus opinionibus responsalibus opportunitatem praebent ut se audiant.

Cf. IOANNES PAULUS II, *Centesimus annus,* n. 41: *AAS* LXXXIII (1991), 841.
IOANNES PAULUS II, *Christifideles laici,* n. 44: *AAS* LXXXI (1989), 480.
Ibidem, 481.

D. Defensio iuris ad rerum nuntiorumque cognitionem acquirendam et ad communicationem socialem

15. Probari nequit libertatis communicationis exercitium e fortunis pendere, ex educatione aut ex auctoritatis publicae functione. Ius ad communicandum, ius est omnium.

Hoc peculiares postulat nationales et internationales nisus, non solum ut pauperibus ac tenuioribus accessus detur ad rerum nuntiorumque cognitionem acquirendam, cuius indigent pro suo personali et sociali profectu, verum etiam ut certas consciasque partes habeant in decernendo de instrumentorum communicationis socialis materia inque constituendis structuris et rationibus agendi in institutis communicationis socialis suarum nationum.

Ubi structurae iuridicae et publicae favent dominatui instrumentorum communicationis socialis per paucos praepollentesque coetus, Ecclesia contendere debet de observantia iuris ad communicandum, et praecipue de sui iure ad utendum instrumentis communicationis socialis, quaerens eodem tempore alia communicationis exemplaria pro suis membris et cuncto populo. Ius ad communicationem ceteroqui ius contingit ad libertatem religiosam, quod non est cultus libertate circumscribendum.

IV. PRINCIPATUS PASTORALES ET VIAE QUIBUS SIT IISDEM RESPONDENDUM

A. Defensio culturarum humanarum

16. Ob condiciones multis in locis exsistentes, studium iurium et bonorum personarum potest saepe Ecclesiam incitare ad alia fovenda communicationis socialis instrumenta. In evangelizationis et catechesis provincia, Ecclesiae erit curas adhibere ad servanda ac fovenda « instrumenta popularía» aliaque translaticia significationis genera, consciae in aliquibus societatibus ea efficaciora esse posse ad Evangelium disseminandum, quam recentiora communicationis socialis instrumenta, quandoquidem illa maiorem personalem participationem reddunt possibilem et altiores gradus sensus humani et causae adtingere possunt.

Instrumentorum socialis communicationis praesentia in universo mundo huius aetatis nullatenus aliorum instrumentorum momentum minuit, quae

efficiunt ut personae onera sumant et naviter agant in efficiendis velque concipiendis communicationibus. Instrumenta communicationis popularía et translaticia non solum quasi compitum sunt magni ponderis, ubi cultura localis exprimitur, sed facultatem dant ad augendam peritiam enixe creandi et adhibendi communicationis socialis instrumenta.

Probamus etiam multorum populorum et humanorum coetuum appetitionem habendi communicationis iustiores et aequiores rationes, ut dominium caveant atque machinationem, quae ex exteris terris veniant aut ex earundem nationum civibus. Nationes maiorem progressionem appetentes hoc timent quoad nationes opulentiores; quarundam nationum cives stirpis numero inferioris, quae vel paulatim tantum progredientes sunt vel opulentiores, eodem afficiuntur timore. Quaecumque est condicio, oporteret cives possent active, libere et responsaliter in processibus communicationis partem habere, cum hi processus multimodis in eorum vitae condiciones vim habeant.

B. Ecclesiae communicationis socialis instrumentorum progressio et provectio

17. Dum diversimode pergit curam ponere in communicationis socialis regione eiusque instrumentorum, etsi in multas incurrit difficultates, Ecclesia augere debet, servare et fovere propria instrumenta et programmata catholica communicationis socialis. Haec complectuntur prelum catholicum aliaque scripta typis edita, catholica radiophonica ac televisifica inventa, officia ad rerum nuntiorumque cognitionem acquirendam atque publicarum necessitudinum, instituta et programmata educationis ad usum adque quaestiones cognoscendas instrumenta communicationis socialis contingentes, investigationem de iisdem instrumentis, corpora peritorum communicationis socialis cum Ecclesia coniuncta — praesertim cum consociationibus catholicis ex omnibus gentibus communicationibus socialibus deditis — quorum membra laboris sunt experti et periti participes Conferentiarum Episcopalium et etiam Episcoporum singulorum.

Instrumentorum socialis communicationis catholicorum labor non solummodo est navitas additicia, quae ad ceteras omnes Ecclesiae se adiungat: communicationes sociales namque suas habent partes agendas in omnibus aspectibus missionis Ecclesiae. Hinc non satis est communicationum socialium rationem pastoralem habere, sed oportet communicationes sociales pars sint necessaria omnium rationum pastoralium, quoniam reapse cuilibet alii apostolatui, ministerio vel programmati prosunt.

C. Christianorum communicatorum educatio

18. Institutio et educatio ad communicationes sociales debent inhaerere in educatione administrorum pastoralium ac presbyterorum.[30] Huic institutioni huicque educationi multa elementa et aspectus distincti opus sunt.

In mundo huius temporis, ad quem instrumenta communicationis socialis fortiter valent, necesse est, exempli gratia, Ecclesiae personae bonam saltem et generalem visionem habeant effectus, quem novae technologiae rerum nuntiorumque cognitionis acquirendae atque instrumentorum communicationis socialis in singulos exercent inque societates. Debent item parati esse ad suum praestandum ministerium tum iis qui « rerum nuntiorumque cognitione abundant », tum iis, qui « rerum nuntiorumque cognitione indigent». Oportet sciant quomodo ad dialogum invitent, genus communicationum vitantes, quod videri possit imperium, machinationes vel utilitatem personalem subicere. Quod ad eos pertinet, qui studio et industrio labore communicationum socialium pro Ecclesia implicabuntur, necesse est muneris expertam cognitionem adipiscantur in socialis instrumentorum communicationis provincia, praeter doctrinalem et spiritalem educationem.

D. Actio pastoralis communicatorum usui

19. Labor ad instrumenta communicationis socialis spectans pressus psychologicos et ethica dilemmata sibi vult singularia. Cum momentum consideratur partium, quas instrumenta communicationis socialis agunt in culturae huius temporis aedificatione atque in ratione vitae innumerorum hominum et societatum, maximi momenti esse videtur eos, qui pro suo munere in instrumenta communicationis socialis profana incumbunt atque in quaestuosas communicationum socialium industrias, sua officia considerare alto cum proposito ac voluntate humano generi serviendi.

Hoc congruens exigit Ecclesiae officium: oportet nempe programmata pastoralia elaborentur ac proponantur, quae prorsus respondeant condicionibus peculiaribus laboris et provocationibus ethicis, prae quibus positi sunt communicatores. Revera haec pastoralia programmata educationem perennem postulant, quae adiuvare possit hos viros hasque mulieres — quorum multi sincero animo exoptant scire et explicare quae iusta sunt in ordine etnico et morali — ut plus plusque normis moralibus imbuantur, cum in sui muneris vita, tum in privata.

[30] Cf. CONGREGATIO PRO INSTITUTIONE CATHOLICA, *« Orientamenti per la formazione dei futuri sacerdoti circa gli strumenti della comunicazione sociale »,* Romae, 1986.

V. NECESSITAS DISPOSITIONIS PASTORALIS ACTIONIS

A. Episcoporum officia

20. Momentum, et vel necessitatem agnoscentes postulatorum, quae ex communicationum socialium navitate manant, Episcopi iique, quorum est statuere de opum Ecclesiae distributione — quae quidem tum finibus humanis, tum materialibus circumscribuntur —, eniti debent huic regioni iustum principem locum dare, ratione habita condicionum particularium suae nationis, regionis ac dioecesis.

Fieri potest ut haec requisita acrius nunc animadvertantur quam antea, ex eo quod, partim saltem, magnus huius aetatis « areopagus » instrumentorum communicationis socialis est hucusque plus minus neglectus.[31] « Praeferuntur plerumque — Sanctus Pater notavit — alia instrumenta nuntii evangelici et formationis, cum instrumenta communicationis singulorum consiliis relinquantur aut parvorum coetuum et solummodo ratione secundaria in pastorale propositum ingrediantur ».[32] Haec condicio est corrigenda.

B. Necessitas rationis pastoralis pro communicationibus socialibus

21. Praesertim igitur suademus ut dioeceses et Conferentiae Episcopales, vel alii Ordinariorum coetus, hoc instrumentorum communicationis socialis argumentum curent in omnibus suis pastoralibus rationibus obeundum. Earum est insuper peculiares rationes pastorales perficere ad communicationes sociales attinentes, vel, quae iam exsistunt, certis temporibus recognoscere et renovare. Ut hoc fiat, Episcopis est exquirenda peritorum instrumentorum communicationis socialis cooperatio — sive in profanis instrumentis communicationis laborant, sive in Ecclesiae compagibus coniuncti cum communicationum socialium provincia — atque aliarum consociationum nationalium et internationalium artis cinematographicae, radiophonii, teleorasis et diurnariae navitatis.

Nonnullae Conferentiae Episcopales iam quibusdam rationibus pastoralibus commodum acceperunt, quae definite necessitates describunt iam exsistentes ac proposita persequenda, et conatuum compositionem fovent. Huius inquisitionis exitus, sicut et iudicia atque consultationes unde haec orta sunt documenta, possunt debentque per omnes gradus Ecclesiae percurrere, quoniam argumenta praebent actioni pastorali utilia. Programma-

[31] Cf. IOANNES PAULUS II, *Redemptoris missio,* n. 37: *AAS* LXXXIII (1991), 285.

[32] *Ibidem.*

ta ad momenta rerum et ad actionem spectantia possunt etiam ad necessitates Ecclesiarum localium accommodari. Recognoscenda quidem sunt et continuo aptanda pro necessitatum cursu.

Huic documento finem imponimus elementa praebendo rationis pastoralis et quaestiones suggerendo, de quibus agere possunt epistolae pastorales ac declarationes episcopales, cum nationales, tum locales. Haec elementa extracta sunt ex propositionibus Conferentiarum Episcopalium et instrumentorum communicationis socialis peritorum.

Conclusiones

22. Iterum affirmamus Ecclesiam in iis instrumentis reperire « dona Dei », « quippe quae secundum providentissima Dei consilium homines inter se fraterna necessitudine concilient ut hi cum salutifera Eius concurrant voluntate ».[33] Sicut Spiritus antiquos adiuvit prophetas ad Dei consilium cognoscendum per suae aetatis signa, hodie Is Ecclesiam adiuvat, ut nostri temporis signa interpretetur suumque propheticum munus ad effectum adducat per studium, iudicium ac bonum usum, quae fundamentalia evaserunt, technologiae et instrumentorum communicationis socialis.

APPENDIX

ELEMENTA RATIONIS PASTORALIS PRO COMMUNICATIONIBUS SOCIALIBUS

23. Instrumentorum communicationis socialis condiciones et facultates Ecclesiae praebitae in communicationum socialium regione dissimiles quidem sunt diversis in nationibus et vel diversis in dioecesibus intra eiusdem nationis fines. Inde, ut par est, differentiae exorientur in se gerendi ratione, qua Ecclesia utetur, pro locis, adversus instrumenta communicationis socialis et culturam, quam ipsa conferent ad formandam, atque diversitates consiliorum et participationis respectu locorum condiciones.

Quaevis igitur Conferentia Episcopalis quaevisque dioecesis elaborare debet rationem pastoralem pro communicationibus socialibus, completam prae-

[33] *Communio et progressio,* n. 2: *AAS* LXIII (1971), 593-594.

sertim per consultationem procuratorum consociationum catholicarum, internationalium et nationalium, quae communicationem socialem curant, ac peritorum localium instrumentorum communicationis socialis. Argumentum communicationis socialis insuper non est neglegendum in perficiendis et ad effectum adducendis ceteris omnibus rationibus pastoralibus, iis non exceptis, quae ad servitium sociale, ad docendi disciplinam atque ad evangelizationem pertinent. Certus statusque Conferentiarum Episcopalium et dioecesium numerus huiusmodi rationes elaboraverunt, quae necessitatem communicationis socialis indicant, proposita statuunt, ad verum praesentiones exprimunt expensarum praebitionis atque varios componunt communicationis socialis nisus.

Praeceptiones quae sequuntur ideo praebentur, ut auxilio sint rationibus pastoralibus ita elaborandis, vel iis, quae iam exsistunt, aptandis.

Praeceptiones ad elaborandas rationes pastorales pro communicationibus socialibus in dioecesi, in Conferentia Episcopali vel in Synodo Patriarchali

24. Ratio pastoralis pro communicationibus socialibus haec oportet amplectatur elementa:

a) Relationem universam, ex ampla consultatione confectam, quae pro omnibus Ecclesiae ministeriis secuturam peculiarem viam describat communicationum socialium et quaestionibus ac condicionibus praesentibus respondeat;

b) indicem vel aestimationem provinciae instrumentorum communicationis socialis in territorio quod consideratur, quae amplectatur: receptores, effectores et moderatores publicorum ac privatorum instrumentorum communicationis socialis, opes nummarias et technicas, systemata diffusionis, facultates oecumenicas ac institutorias, consociationes catholicas quae de instrumentis communicationis socialis curant earumque administri, iis non exceptis, qui ex communitatibus religiosis proveniunt;

- c) propositionem de structura instrumentorum communicationis socialis ad Ecclesiam destinatorum, quae evangelizationi faveant, catechesi, institutioni, servitio sociali et oecumenicae cooperationi; quae simul amplectatur, quantum fieri potest, publicas necessitudines, diurnariam navitatem, radiophonium, teleorasem, cinematographica spectacula, sonorarum visualiumque taeniarum cistellulas, reta informatica transmissionis, telephotographicam ac per similia exemplaria imaginum transmissionem et alios telecommunicationis modos;

d) educationem ad instrumenta communicationis socialis, quae potissimum insequatur consuetudinem ipsorum instrumentorum cum valoribus;

e) pastoralem voluntatem dialogum instaurandi cum communicatoribus, quae peculiariter intendat eorum fidei auctum ac spiritale incrementum;

f) significationes quoad facultates opes obtinendas modosque providendos de nummis suppeditandis huic actioni pastorali.

Processus elaborandi rationem pastoralem pro communicationibus socialibus

25. Ratio pastoralis oportet proponat praeceptiones et suasiones communicatoribus Ecclesiae ad statuendos fines ad verum atque eorum laboris priores partes. Adhortatio fit ut coetus laboris, ad quem fiant participes personae ecclesiasticae et instrumentorum communicationis socialis periti, hoc opere implicetur, cuius duo sunt momenta: 1, investigatio; 2, dispositio.

Investigationis momentum

26. Elementa investigationis momenti sunt: requisitorum aestimatio; conquisitio rerum cognitionis; exploratio exemplarium altemorum pastoralis rationis. Hoc quidem requirit ambituum internorum communicationum socialium perpensionem, simulque virium et debilitatum structurarum quae in Ecclesia sunt ac programmatum pro communicationibus socialibus, et etiam opportunitatum atque impedimentorum quae hae obeunt.

Tria investigationis genera possunt adiuvare ad rerum cognitiones comparandas: perquisitio requisitorum, investigatio de instrumentis communicationis socialis et index opum. Prima investigatio posita est in indicandis Christifidelium partibus, quae peculiari pastorali attentione indigent Conferentiae Episcopalis vel dioecesis. Secunda spectat quae in praesens fiunt — atque eorum efficaciam — ut cognoscantur vires et débilitâtes structurarum ac formarum communicationis socialis iam exsistentium. Tertia agnoscit facultates, technologias et personas, quae Ecclesiae in promptu sunt quoad communicationes sociales: non solum autem facultates Ecclesiae proprias, sed eas quoque quae haberi possunt in negotiorum communitate, in quaestuosis instrumentorum communicationis socialis industriis inque corporibus oecumenicis.

Momentum dispositionis

27. Post hanc indiciorum comparationem et considerationem coetus laboris operam dabit cognoscendis propositis ac iis, quae maioris ponderis

sunt pro Conferentia Episcopali vel dioecesi. Initium est hoc dispositionis momenti. Coetus laboris deinde, adiuncta locorum considerans, haec tractabit argumenta:

28. *Disciplinam institutoriam.* Quaestiones communicationum, tum socialium tum non socialium, magnum habent momentum in omnibus gradibus ministerii pastoralis, non excepta disciplina institutoria. Ratio pastoralis pro communicationibus socialibus nitetur:

a) praebere opportunitatem institutionis in provincia communicationum socialium, utpote partium essentialium educationis omnium personarum quae in Ecclesiae opus incumbunt: seminariorum alumnorum, presbyterorum, fratrum ac sororum institutorum religiosorum, moderatorum laicorum;

b) scholas catholicas fovere et studiorum universitates ac programmata proponere et curricula studiorum ad ea pertinentia, quae communicationibus socialibus Ecclesiae et societatis necessaria sunt;

c) lectiones praebere, exercitationibus tempora statuta, seminaria contingentia technologiam, administrationem et ethicam atque agendi rationem communicationum socialium, iis qui in Ecclesiae communicationibus operantur: seminariorum alumnis, religiosis et clero;

d) disponere et exsequi programmata educationis atque instrumentorum communicationis socialis comprehensionis pro docentibus, parentibus ac studentibus;

e) artifices atque scriptores adhortari diffundendos valores evangélicos curent facultatibus utendo, quibus instructi sunt per diuturnam navitatem, per theatrum, radiophonicas transmissiones ac televisificas, atque taeniolas cinematographicas quae oblectationis proprietatem vel paedagogicam habent;

f) novas peculiares vias invenire quae sequatur Ecclesia ad evangelizationem et catechesim tradendas per usum technologiarum atque instrumentorum communicationis socialis.

29. *Formationem spiritalem et curam pastoralem.* Periti catholici laici ceterique qui laborant tamquam administri communicationis socialis tum in Ecclesiae apostolatu, tum in profanis communicationis socialis instrumentis, saepe ab Ecclesia exspectant directionem spiritalem et auxilium pastorale. Ratio pastoralis pro communicationibus socialibus igitur nitetur:

a) laicis catholicis ceterisque communicatoribus opportunitates praebere, quibus muneris suam excolant cognitionem per dies meditationibus, recessibus, seminariis, coetibus auxilii muneris destinatus;

b) curam pastoralem praebere, quae auxilium necessarium suppeditet, fidem alat communicatorum eorumque obsequii sensum servet in difficili munere communicandi valores evangélicos ac veros humanos valores cum mundo.

30. *Cooperationem.* Cooperatio opum divisionem complectitur inter Conferentias Episcopales et/aut dioeceses atque inter dioeceses et reliqua instituta, qualia sunt communitates religiosae, studiorum universitates et sanitatis corpora. Ratio pastoralis pro communicationibus socialibus elaborabitur:

a) ad confirmandas necessitudines mutuasque consultationes fovendas inter procuratores Ecclesiae et communicatores, qui magis Ecclesiam erudiant de ipsorum instrumentorum usu;

b) ad quaerenda instrumenta operibus edendis cooperando centris regionalibus et nationalibus atque ad auctus fovendos communium canalium ut ipsa promoveantur, commercificentur et distribuantur instrumenta;

c) ad provehendam cooperationem cum congregationibus religiosis quae communicationum socialium provinciae operam dant;

d) ad cooperandum corporibus oecumenicis aliisque Ecclesiis ac coetibus religiosis quod attinet ad securitatem et tutelam accessus religionis ad instrumenta communicationis socialis, sicut etiam « in provincia novorum instrumentorum communicationis socialis: praesertim quod spectat ad communem usum artificiosorum satellitum, informaticorum tabulariorum argumentorum, systematum per restem tenacem transmissionis, et, in universum, disciplinae informaticae, proficiscendo a systematum convenientia »;[34]

e) ad cooperandum profanis instrumentis communicationis socialis, praesertim quod attinet ad communes de quaestionibus religiosis, moralibus, ethicis, culturalibus, institutoriis ac socialibus sollicitudines.

31. *Publicas necessitudines.* Publicae necessitudines postulant Ecclesiae communicationem activam cum communitate per profana et religiosa communicationis socialis instrumenta. Augmentum celeritatis ad nuntiandos valores evangélicos adque vulganda ministeria et programmata Ecclesiae postulat ut ipsa Ecclesia illa omnia faciat, quae potest, ut cognoscatur an eius imago Christum reddat. Ratio pastoralis pro communicationibus socialibus contendet:

a) ut sedes teneat publicarum necessitudinum opibus humanis ac technologicis instructas ut vera fieri possit communicatio Ecclesiae cum tota communitate;

[34] PONTIFICIUM CONSILIUM DE COMMUNICATIONIBUS SOCIALIBUS, ***« Criteria for Ecumenical and Inter-religious Cooperation in Communications »,*** **n. 14.**

b) ut scripta producat et programmata radiophonii, teleorasis ac vitri televisifici, genere excellentia, quibus bene cognoscantur Evangelii nuntius et Ecclesiae missio;

c) ut praemia provehat aliaque subsidia ad gratiam ostentandam apta, quo instrumentorum communicationis socialis periti confirmentur et sustineantur;

d) ut Diem Mundialem Communicationum Socialium celebret, tamquam modum fovendae conscientiae communicationum socialium momenti ac sustentandi Ecclesiae coeptus in communicationum socialium provincia.

32. *Investigationem.* Peculiares viae, quas Ecclesia in communicationis socialis regione sequatur, niti debent exitibus gravis investigationis in hac materia, quae inspecta sit et rectius iudicata. Interest multum investigationem communicationum socialium locum dare quaestionibus atque problematibus peculiaris ponderis pro Ecclesiae missione in regione vel natione, cuia refert. Ratio pastoralis pro communicationibus socialibus elaborantur:

a) ad adhortanda instituta studiorum superiorum, centra investigationis et studiorum universitates, ut indagationem obeant theoricam et applicatam de necessitatibus deque sollicitudinibus Ecclesiae ac societatum in communicationis socialis materia;

b) ad stabiliendos modos effectivos interpretandi investigationem de communicatione sociali usitata et accommodationis ad Ecclesiae missionem;

c) ad fovendam considerationem theologicam continuam de processibus deque instrumentis communicationis socialis deque partibus, quas illa in Ecclesia agunt et in societate.

33. *Communicationes sociales et populorum progressio.* Communicatio socialis perviam facta atque ipsius instrumenta multis personis maiorem praebent opportunitatem hodiernam mundi oeconomiam participandi, libertatem significationis experiendi et ad pacis iustitiaeque in mundo incrementum conferendi. Ratio pastoralis pro communicationibus socialibus elaborantur:

a) ut valores evangelici vim habeant in multiplices navitates instrumentorum communicationis socialis huius temporis — a librorum editione ad communicationes per satellitem artificiosum — indeque illi necessitudinis internationalis prosint incremento;

b) ut publica defendatur utilitas et religionis protegatur accessus ad instrumenta communicationis socialis, propositis captis edoctis consciisque

de quaestionibus ad leges ac disciplinam communicationum socialium pertinentibus deque systematum earundem communicationum processu;

c) ut provectarum technologiarum communicationum socialium vis socialis conspiciatur auxiliumque feratur ad praeripienda discidia socialia atque conversiones culturales inutiles;

d) ut communicatores ad ethicas normas definiendas et observandas adiuventur, praesertim quod attinet ad aequitatem, veritatem, iustitiam, pudorem et vitae tutelam.

e) ut peculiares secuturae viae excolantur, quae faveant ad instrumentorum communicationis socialis accessui magis consorti, significanti et conscio;

f) ut munus propheticum exerceatur tempore opportuno loquendo, cum agitur de sustinenda Evangelii sententia quoad momentum morale quaestionum gravium publicam utilitatem contingentium.

E Civitate Vaticana, die xxn mensis Februarii, anno MCMXCII, in Festo Cathedrae Sancti Petri Apostoli.

& IOANNES P. FOLEY
Praeses

Petrus Franciscus Pastore
a Secretis

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Venerdì, 27 **Marzo** 1992, **S. E. il Signor** ROBERTO JOSÉ SIMAN JACIR, **Ambasciatore di El Salvador presso la Santa Sede.**

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Giovedì, 2 **Aprile** 1992, **S. E. l'On.** JAN CARNOGURSKY, **Primo Ministro della Repubblica Slovacca.**

Lunedì, 6 **Aprile** 1992, **S. E. il Signor** AUDRIUS BUTKEVICIUS, **Ministro della Difesa della Lituania.**

Sabato, 11 **Aprile** 1992, **S. E. il Signor** ALF SVENSON, **Ministro per l'assistenza ai Paesi « in via di sviluppo » della Svezia.**

Martedì, 14 **Aprile** 1992, **S. E. il Signor** VYACHESLAV F. KEBICH, **Primo Ministro e S. E. il Signor** PIOTR K. KRAVCHANKA, **Ministro degli Affari Esteri della Repubblica di Bielorussia.**

Mercoledì, 15 **Aprile** 1992, **S. E. il Signor** VITOLD PAVLOVICH FOKIN, **Primo Ministro e S. E. il Signor** ANATOLIJ MAKSIMOVICH ZLENKO, **Ministro degli Affari Esteri di Ucraina.**

Lunedì, 27 **Aprile** 1992, **S. E. il Prof.** FRANCESCO COSSIGA, **Presidente della Repubblica Italiana.**

Giovedì, 2 Aprile 1992, il Santo Padre ha presieduto una riunione degli Em.mi Signori Cardinali Capi dei Dicasteri della Santa Sede.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

28 marzo **1992.** S. E. mons. Henri Lemaìtre, Arcivescovo tit. di Tongeren, *Nunzio Apostolico nei Paesi Bassi.*

» » » Mons. Antonio Franco, Arcivescovo tit. eletto di Gallese, *Nunzio Apostolico in Ucraina.*

2 aprile » Mons. Crescenzio Sepe, Arcivescovo tit. eletto di Grado, *Segretario della Congregazione per il Clero.*

3 » » Mons. Carlo Maria **Vigano,** Arcivescovo tit. eletto di Ulpiana, *Pro-Nunzio Apostolico in Nigeria.*

4 » » Mons. Luigi Travaglino, Arcivescovo tit. eletto di Lettere, *Delegato Apostolico in Sierra Leone.*

15 » » S. E. mons. Carlo Fumo, Arcivescovo tit. di Abari, *Nunzio Apostolico in Italia.*

23 » » S. E. mons. Piero Biggio, Arcivescovo tit. di Otricoli, *Nunzio Apostolico in Cile.*

» » » S. E. mons. Luigi Travaglino, Arcivescovo tit. di Lettere, *Pro-Nunzio Apostolico in Guinea.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato **il** Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

13 settembre **1990.** Il prof. Arvydas Zygas, *Membro del Comitato Internazionale del Pontificio Consiglio per la Cultura.*

» » » P. Flavio Roberto Carraro, Ministro Generale dell'Ordine dei Frati Minori Cappuccini, e P. Patrick Harrington, Superiore Generale della Società delle Missioni Africane, *Membri della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli.*

17 febbraio **1992.** Gli Em.mi Signori Cardinali: Friedrich Wetter, Bernard Francis Law Simon D. Lourdusamy, Francis Arinze, Antonio Innocenti; S. E. mons. William J. McCormack, *Membri della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli « in aliud quinquennium ».*

2 marzo » Mons. Luigi Marinelli, *Capo Ufficio nella Congregazione per le Chiese Orientali.*

3 » » S. E. mons. Audrys Juozas Backis, Arcivescovo di Vilnius, *Membro del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali.*

» » » Il sig. Hans-Peter Golha, il Sac. Pedro Freites Romero, P. Raymond Parent, S.I., *Consultori del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali.*

16 marzo 1992. P. Constant Bouchaud, P.S.S., *Consultore delia Congregazione per i Vescovi.*

23 » » Il sig. Giovanni Bianchi, *Consultore del Pontificio Consìglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti.*

30 » » S. E. mons. Patrick Fani Chakaipa, Arcivescovo di Harare *Membro della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli.*

2 aprile » S. E. mons. Gilberto Agustoni, Arcivescovo tit. di Caorle, *Pro-Prefetto del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica.*

» » » Mons. Leonardo Sandri, *Assessore per gli Affari Generali della Segreteria di Stato.*

» » » Mons. Paolo Sardi, *Vice Assessore per gli Affari Generali della Segreteria di Stato.*

3 » » Mons. Bryan Chestle e Mons. Francesco Di Felice, *Capi Ufficio nella Sezione Affari Generali della Segreteria di Stato.*

6 » » Don Antonio Baruffa, S.D.B., *Membro della Pontificia Commissione di Archeologia Sacra e Segretario della medesima.*

6 » » P. Hieronim Fokcinski, S.I., *Relatore della Congregazione delle Cause dei Santi.*

9 » » S. E. mons. Luigi Poggi, Arcivescovo tit. di Forontoniana, *Pro-Bibliotecario e Pro-Archivista di Santa Romana Chiesa.*

13 » » P. Gottardo Pasqualetti, I.M.C.; Don Pier Giorgio Marcuzzi, S.D.B.; Don Manlio Sodi, S.D.B., *Consultori dell'Ufficio delle Celebrazioni Liturgiche del Sommo Pontefice.*

14 » » Mons. Celestino Migliore, *Inviato Speciale con f unzioni di Osservatore Permanente della Santa Sede presso il Consiglio di Europa a Strasburgo.*

23 » » Mons. John McCarthy, *Capo Ufficio nella Congregazione per le Chiese Orientali.*

NECROLOGIO

12 marzo 1992. Mons. Girolamo Bortignon, Vescovo em. di Padova *{Italia).*

25 » » Mons. Alfonso Toriz Cobian, Vescovo em. di Querétaro *(Messico).*

26 » » Mons. Theodor Hubrich, Vescovo tit. di Auca.

5 aprile » Mons. Zacarías Rolim De Moura, Vescovo em. di Cajazeiras *(Brasile).*

9 » » Mons. Paul Pinier, Vescovo em. di Constantine *(Algeria).*

12 » » Mons. Guerino Grimaldi, Arcivescovo di Salerno-Campagna-Acerno *(Italia).*

18 » » Mons. Giovanni Ferro, Arcivescovo em. di Reggio Calabria *(Italia).*

23	aprile	1992.	Mons. José Thurler, Vescovo tit. di Capitoliade.
»	»	»	Mons. Vincentas Brizgys, Vescovo tit. di Bosana.
27	»	»	Mons. Chrétien Matawo Bakpessi, Vescovo di Sokodé *(Togo)*.
»	»	»	Mons. Enrique Bolaños Quesada, Vescovo em. di Alajuela *(Costa Bica)*.

Recens nuntiatum est Petrum Iosephum Fan Xuejan, episcopum Paotimensem, mense Aprili a. 1992 de vita decessisse.

An. et vol. LXXXIV 2 Iunii 1992 N. 6

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

SACRA CONSISTORIA

CONSISTORIUM ORDINARIUM PUBLICUM

Feria tertia, die xxvm mensis Aprilis, anno MCMXCII, mane, in consueta Aula Palatii Apostolici Vaticani, fuit *Consistorium ordinarium publicum,* cuius acta ex ordine referuntur:

I - INTRODUCTIO

Summus Pontifex, stans, signavit se signo crucis et cantavit versum *Deus in adiutorium,* ad horam Sextam inchoandam, adstantibus Patribus Cardinalibus, sacris Praesulibus, Abbatibus *nullius* et Romanae Curiae Praelatis quibus intimari solet, deinde dixit:

Huc convenimus, Venerabiles Fratres, ad consilia conferenda de rebus haud parvi momenti pro Ecclesiae vita: de opportunitate enim disseremus beatis Claudio de la Colombière et Ezechieli Moreno y Díaz Sanctorum caelitum honores decernendi eosque universae Ecclesiae venerationi proponendi. In primis vero Domini laudes psallendo narremus; eius verbum fidenter audiamus, enixas effundamus preces ut ille sua gratia

mentes nostras illuminet nobisque aperiat quod sibi gratum sit, quid ad incrementum Ecclesiae proficiat.

n - PERORATTO DE CANONIZATIONUM CAUSIS

Post psalmodiam et lectionem brevem horae mediae Rev.mus D. Angelus card. Felici, Diaconus Ss. Blasii et Caroli ad Catinarios, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, brevem excursum habuit sive de Beatorum vita, sive de Causarum processu apud eandem Congregationem habito.

Relatione expleta, Ss.mus ad cardinales, praesules et ordinarios allocutionem ad vota pro canonizatione exquirenda sic habuit:

Cum apud Congregationem de Causis Sanctorum, ut a Fratre nostro Angelo cardinali Felici accepimus, omnia quae opus sunt ut beatus Claudius de la Colombière et beatus Ezechiel Moreno y Díaz in Sanctorum numerum censeantur feliciter sint expleta, videturne vobis, Venerabiles Fratres, attentis praesertim nostrorum temporum adiunctis, ipsos Beatos Claudium de la Colombière et Ezechielem Moreno y Díaz tamquam vitae christianae et sanctitatis exemplares universae Ecclesiae proponendos esse?

Tunc, omnes, servato ordine, sententiam aperuerunt. Exceptis congregatorum patrum suffragiis, Summus Pontifex, sequenti formula dies canonizationis indixit:

Gaudeo et laetor, Venerabiles Fratres, quod existimastis totius Ecclesiae venerationi esse proponendos beatum Claudium de la Colombière et beatum Ezechielem Moreno y Díaz quorum sanctitatem Congregatio de Causis Sanctorum gravibus argumentis iam comprobavit. Itaque, auctoritate Dei Omnipotentis, Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, decernimus ut beatus Claudius de la Colombière die trigesima prima mensis Maii huius anni et beatus Ezechiel Moreno y Díaz die statuendo in Sanctorum albo referantur.

III - SUMMI PONTIFICIS ALLOCUTIO

Paschales iam inter consolationes aliud Nobis hodie praebetur animi solacium mentique Nostrae additur aliud gaudium, ex hoc videlicet sollemni ritu quo de duobus constituitur Caelitibus Beatis inter Sanctos Ecclesiae Dei adnumerandis. Resuscitati enim Redemptoris testimonium ac perenne ipsius Evangelium per saeculorum decursum novos usque excitat viros et mulieres praestantes, a quibus non solum nuntius Iesu Nazareni salutifer penitus percipitur in actumque cotidianum plane deducitur sed exemplum quoque vitae ac morum Domini ita suscipitur et vivendi norma redditur ut Ecclesia Mater eosdem non dubitet per publicam suam celebrationem universae ecclesiali communitati velut specimen ostentare fidei vivae solidaeque actionis christianae.

Vester praeterea hic consessus consensusque hodie valde Nos exhilarat, cum constet pluribus sane indiciis: quo animi studio et qua officiorum vestrorum conscientia cupiatis graviora haec Ecclesiae pertractare negotia, quae nempe in extremis nostris sententiis ac iudiciis versantur de religiosorum duorum sodalium canonizatione, quorum Processus canonici adhuc peracti monent, quin immo persuadent omnino, ut ad altissimum provehantur quam primum altarium honorem. Alter ad Societatem Iesu vivens pertinuit Claudius de la Colombière, alter vero ad Ordinem Recollectorum Sancti Augustini Ezechiel Moreno y Díaz episcopus dein Pastopolitanus in Columbia. Eorum cum pridem summarium operum vitae virtutum recepissetis, iam sententias rogati libere riteque respondistis de illorum dignitate reique ipsius opportunitate.

Preces itaque liturgicae hodie Nostrae ac postrema Oratio pro Ecclesia eo nimirum spectant ut deliberationes hae nostrae caelitus plurimum prosperentur utque tanta Ecclesiae Matris prudentia hac in re salubres sanctitatis fructus pariat inter christifideles totius orbis, qui utrumque hunc intercessorem novum coram Deo pariterque spectatum Iesu Christi imi-

tatorem deprecantes etiam nostris temporibus discant sapienter et constanter maiores inter difficultates exsequi memorabilia illa praecepta Christi passuri et resurrecturi: « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos» ***(Io*** **13, 34). « ...Exemplum enim dedi vobis ut, quemadmodum ego feci vobis, et vos faciatis »** ***(Io*** **13, 14).**

IV - CONFECTIO INSTRUMENTI ACTORUM

Allocutione recitata, Beatissimus pro sancta Ecclesia Deum et Dominum Patrem depreca vit et benedictionem impertivit. Postea magister celebrationum domni Papae, de Ss.mi mandato, Instrumenti confectionem sic petiit:

Protonotarii Apostolici hic praesentes humanissime rogantur ut de rebus omnibus in Consistorio actis deque Summi Pontificis oratione ac deliberatione perhabita super sollemni Canonizatione beati Claudii de la Colombière atque beati Ezechielis Moreno y Díaz publicum instrumentum conficiant ad perpetuam rei memoriam.

Quod ita promiserunt se esse facturos. Deinde, laude omnipotenti Deo reddita, Consistorium est absolutum.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

MEKIENSIS

Praefectura Apostolica Mekiensis ad gradum Vicariatus Apostolici attollitur nomine nihil mutato.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quam ipsimet Nos duodecim abhinc annos ecclesialem communitatem Mekiensem constitui iure voluerimus Praefecturam Apostolicam, laetissimi quidem interea tantis cernimus effloruisse catholicae pietatis navitatisque progressibus ut nova eaque certiore et altiore collocatione inter Ecclesias locales novoque ideo canonico gradu dignissima prorsus videatur. Neque conspicuam hanc firmitatem fidei ac structurarum hanc vitae catholicae prosperitatem acceptam referre dubitamus Praefecto ipsi Apostolico undecim inibi annos sedulo operanti, clero dioecesano necnon Missionariis ex Instituto Missionum a Consolata indefatigabili quodam animi apostolici studio adlaborantibus. Quo igitur luculentius iis omnibus testimonium meritae laudis reddatur quoque magis ministri ibi cuncti ad maiora pro Christo et Ecclesia suscipienda incitentur simulque tota eadem communitas in posterum confirmetur, placet omnino quae sequuntur edicere fierique iubere. Sententiam amplexati Venerabilium Fratrum Nostrorum, causas quorum est Congregationis pro Gentium Evangelizatione moderari, Praefecturam Apostolicam Mekiensem ad ordinem gradumque ipsum *Vicariatus Apostolici* evehentes attollimus, cui singula iura ac privilegia id genus dicionum propria largiter tribuimus ad sacros canones, quae videlicet eiusdem erit posthac nominis eorundemque finium. Ecclesiam praeterea eam, duce scilicet Vicario ipso Apostolico, peculiaribus credimus memorati Instituti Missionum a Consolata curis, exoptantes profecto precantesque ut haec Matris Ecclesiae aestimatio et Christi Vicarii constitutio plurimum deinceps aedificando carissimo Mekiensi gregi proficiant et animis ibidem Catholicorum incitamentum verae religionis validum iniciant. Contrariis quibusvis causis neutiquam obsistentibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo primo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo primo, Pontificatus Nostri quarto decimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

Loco 83 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 297.668

II
TELSENSIS

Praelatura Klaipedensis unione exstinctiva dioecesi Telsensi coniungitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Peculiares ob rerum condiciones illa in regione nationeque multos quidem annos Praelatura ipsa Klaipedensis suum non modo habuit momentum verum apostolatum quoque frugiferum praestitit in vita et opera Ecclesiae Catholicae intra Lituaniae dilectissimae fines. Cum autem rebus inibi penitus conversis idem nuperius sacrorum Antistes illam dicionem finitimamque simul efficienter gubernaret dioecesim, visum est nimirum ei, Venerabili Fratri Antonio Vaicius Episcopo Telsensi, ab hac petere Apostolica Sede ad mentem profecto totius Conferentiae Episcoporum Lituaniae, ut eadem territorialis Praelatura Klaipedensis Ecclesiam accederet ad Telsensem. Quandoquidem huius rei opportunitatem plane perspicimus precesque admotas libenter proinde suscipimus, haec quae sequuntur edicimus fierique volumus. Statuimus enim ac perpetuum in modum decernimus ut Praelatura territorialis Klaipedensis coniungatur dioecesi Telsensi unione quam appellant exstinctivam, quae idcirco accipiet in se comprehendetque fines ac loca prioris Praelaturae Klaipedensis. Aucta sic ecclesiastica dicio propter eiusdem Praelaturae insertionem in posterum prae se nomen feret dioecesis Telsensis. Haec vero ut consilia Nostra in actum deducantur desi-

gnamus Venerabilem Fratrem Iustum Mullor García, Archiepiscopum titulo Emeritensem Augustanum atque in Lituania Apostolicum Nuntium exsecutorem aut illo forte absente negotiorum Apostolicae Sedis in Lituania procuratorem, quibus cunctas tribuimus necessarias opportunasque agendi facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo hic agitur quemvis virum in ecclesiastica dignitate constitutum, officio simul addito ad Congregationem pro Episcopis germanum exemplar actus ipsius peractae huius exsecutionis reddendi, cum primum fieri id potuerit. Apostolicas demum hasce Litteras tam in praesens quam in subsequens valere iubemus tempus contrariis quibuslibet causis nequaquam obsistentibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo quarto mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo primo, Pontificatus Nostri decimo quarto.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

83 BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

Loco 83 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 297.242

III
TLAPENSIS

Distractis territoriis a dioecesi Chilpancingensi-Chilapensi nova dioecesis erigitur Tlapensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Efflorescentem Mexici communitatem ecclesialem catholicam permagno nuper ex Dei Omnipotentis beneficio prope quidem ac veluti in conspectu licuit Nobis multipliciter cognoscere et experiri, quin immo et diutius inter eius pastores fidelesque fructuose deversari, ubi mirabiles vitae christianae

progressiones coniunctas deprehendimus cum augescentibus usque singularum inibi Ecclesiarum necessitatibus pastoralibus. Has vero iam pridem conspicatus Venerabilis Frater Ephraem Ramos Salazar sua in dicione Chilpancingensi-Chilapensi preces ad hanc admovit Apostolicam Sedem ut, quo efficientius procuraretur apostolatus opus apud auctam populi catholici multitudinem, suae finibus dioecesis rite contractis alia conderetur dioecesana Ecclesia aliaque institueretur episcopalis curae provincia. Cum facile huius ipsius propositi perspicimus opportunitatem, tum complura inde etiam spiritalia commoda in omnem providemus circumiacentem regionem defluxura. Audita proin secunda Venerabilis Fratris sententia Hieronymi Prigione, Archiepiscopi titulo Lauriacensis et apud civitatem Mexicanam Delegati Apostolici acceptoque item consilio Congregationis pro Episcopis, de potestatis Nostrae plenitudine haec quae subsequuntur decernimus omninoque fieri iubemus. A finibus dioecesis Chilpancingensis-Chilapensis loca civilia subducenda censemus quibus vulgares appellationes: Tlapa, Alcozauca, Alpoyeca, Atlamajalcingo dei Monte, Atlixtàc, Copanatoyac, Cualàc, Huamuxtitlàn, Malinaltepec, Metlatonoc, Olinalà, Tlacoapa, Tlalixtaquilla, Xalpatlahuac, Xochihuehuetlàn, Zapotitlàn Tablas, quorum ex summa novam efficimus constituimusque dioecesim posterum in tempus Tlapensem nuncupandam iisdem profecto locorum limitibus circumscriptam, quibus cuncta oppida memorata adhuc civili lege terminantur. Sedem vero novensilis dioecesis episcopalem in urbe instituimus « Tlapa de Comonfort » ubi paroeciale templum Deo ad Sancti Augustini honorem dicatum rite evehimus Cathedralis ad Ecclesiae gradum ac dignitatem, cui propterea insignia singula et privilegia necnon liturgicos addimus honores quibus reliqua per orbem catholicum cathedralia honestantur templa. Tlapensi pro tempore Episcopo iura ac privilegia libentes tribuimus eumque autem etiam officiis obstringimus quibus ceteri locorum Ordinarii sacris ex canonibus fruuntur et vinciuntur. Dioecesim hanc novam Tlapensem suffraganeam constituimus Ecclesiae Metropolitanae Acapulcanae, cuius simul Praesulem iuri metropolitico Archiepiscopi subdimus Acapulcani. Quo deinceps certius praebeatur adiumentum pastori huius dioecesis, volumus consultorum collegium ad legis communis normam primo quoque tempore instituatur.

Congruenti sustentationi Episcopi novae dicionis providebitur de Curiae emolumentis, christifidelium stipibus necnon ex portione ipsi ob tingente post partitionem secundum praescriptum canonis 122 Codicis Iuris Canonici perficiendam illorum nempe bonorum quae hucusque ad patrimonium communitatis ecclesialis Chilpancingensis-Chilapensis pertinuerunt. De Seminarii aliquando dioecesani aedificatione ad sacerdotiumque candidato-

rum eruditione regulae adservabuntur iuris communis, ratione potissimum habita normarum a Congregatione de Institutione Catholica emissarum. Cum fieri quidem commode potuerit lecti Seminarii alumni philosophicis ac theologicis disciplinis imbuendi necnon presbyteri studiorum complendorum causa Romam in Pontificium Collegium Mexicanum mittentur. Ad Ecclesiae autem Tlapensis gubernationem eiusque bonorum administrationem, dioecesani Administratoris « sede vacante » electionem fideliumque iura et onera aliaque id genus quod spectat, iuris canonici instituta religiose custodiuntur. Simul dioecesis novae Tlapensis erectio canonica in actum erit deducta, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi adscripti censebuntur in cuius finibus ecclesiasticum explent munus; reliqui vero clerici seminariique tirones Ecclesiae isti manebunt incardinati vel etiam incardinabuntur quo in loco legitimum detinent domicilium. Acta et documenta quae novellam respiciunt dioecesim eiusque clericos fideles et bona, a Curia Chilpancingensi-Chilapensi quam primum in Curiam Tlapensem erunt transvehenda. Quam omnia ut efficaciter compleantur commemoratum Venerabilem Fratrem Hieronymum Prigione destinamus cui necessarias et opportunas concedimus agendi facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere iniuncto ad Congregationem pro Episcopis germanum actus exemplum peractae exsecutionis deferendi. Precati denique vehementer Divinum Magistrum ut praesens de caelis enascenti hodie gregi Tlapensi ipsiusque moderatori et ministris, fidelibus et religiosis sodalibus largissimus gratiis adsit, has Apostolicas Litteras tam nunc quam tunc ratas esse volumus suamque plenam sortiri efficacitatem virtutem que contrariis quibusvis rebus haudquaquam obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quarto mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo altero, Pontificatus Nostri decimo quarto.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

83 BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 297.068

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Dei famulae Claudinae Thévenet Beatorum caelitum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert » *(Io* 12, 24).

Hic autem Evangelii locus bene casibus famulae Dei Claudinae Thévenet aptari potest; quae profecto crudelissimo funere adflicta ab intestino Galliae bello ipsius familiae parato, multum fructum attulit sive pietatis, sive bonorum operum in proximi utilitatem, sive denique per novae religiosae familiae constitutionem.

Claudina Thévenet, Lugduni nata est, die tricésima mensis Martii, anno MDCCLXXIV. Decimum annum agens credita est curis Religiosarum a S. Benedicto, quae apertum ludum humanitatis in Abbatia S. Petri ibi urbis dirigebant. Mense autem Septembri, anno MDCCXCIII, fratres eius duo natu maiores in custodiam conditi sunt; quare illa carcerem cotidie itare ut iis ceterisque multis duri solacia casus bona praeberet. Mane autem diei quinti Ianuarii, anno MDCCXCIV, cum fratres vidisset ad mortem duci secutaque esset ad locum supplicii, epistolam ad parentes ab iis accepit, quorum et ultima verba audiit fidei plena: «Claudina, dimitte tu quoque, sic ut nos dimittimus »! Quantopere autem haec facta puellam affecerint, vix credi potest. Quae, terrenis omnibus abdicatis, curas omnes eo tendit, ut Deo Ecclesiaeque unice serviret.

Rebus vero post seditionem compositis, non sane Claudina dubia haesit quin liberius se totam operibus caritatis daret. Laboranti autem adfuit Andreas Coindre, Sacerdos, qui non solum studiosae mulieris industriam magni faciebat, sed auxit anno MDCCCXVI per « Pium Opus a divina Providentia », quo quidem initio duarum puellarum rebus mederi studebatur, in sacra templi area occulte derelictarum; postea vero etiam aliarum cura acta est; quin anno MDCCCXVII, condito « Pio Sodalicio a Sacro Corde » eo spectabatur ut illi qui adhaerescerent per christianarum virtutum atque Consiliorum Evangelicorum usum sancti fierent. Ambarum autem harum religiosarum societatum Claudina Praeses facta est. Iure. Nam omnes sive doctrina, sive laude virtutum superabat. Cum autem anno MDCCCXVIII Pia

Consociatio, sic volente A. Coindre, in formam Religiosae Communitatis redacta est, Claudina Moderatrix novae Congregationis facta est; quae nomen sumpsit « Sororum a Sacris Cordibus ». Ceterum paulo post Claudina materna domo relicta, una cum aliquot sociis Religiosarum domicilium petiit in ea urbis parte situm, quae populari sermone cognominabatur « Pierres plantées » sed anno MDCCCXX nova eademque aptior domus structa est tamquam Congregationis Sedes in colle vulgo dicto « Fourvière », Lugduni. Tamen, alienis atque iniquis temporibus, Claudina alteram domum Monistrol, quae est urbs in finibus Aniciensis dioecesis, aedificandam curavit, in eaque, post Ordinarii illius loci probationem, iam suam Religionem publice professa est, die quinto et vicesimo mensis Februarii, anno MDCCCXXIII, paucis cum Sodalibus; atque continuo Moderatrix Generalis est canonice confirmata. Reliquos vitae suae annos pia Mater in delineandis Constitutionibus in novis domibus constituendis, in adipiscenda sanctitate consumpsit, multis difficultatibus implicata, obsaepta, ac quasi circumvallata, maxime post exitum Andreae Coindre. Tandem, die tertio mensis Februarii, anno MDCCCXXXVII, aetatis suae sexagesimo tertio, ad Deum, principium suum, remeavit, Sanctorum more.

Ad illius vero animi virtutes quod attinet, amor Dei ac proximi in ea maxime floruit; qui cum semper praevaluit, tum praesertim tempore mortis. Ceterum amori proxima in medium venit humilitas, iuxta Pauli verba: « Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo » *(Gol* 33). Ut autem in eius pietate primas Christus ageret, impulit exemplum B.M.V.; cuius rei consciae eius Sodales ac filiae, post eius mortem mutato Instituti nomine, « Congregationem Iesu et Mariae » appellarunt. Humilitatis autem amor, quod est Congregationis huius insigne, id effecit ut illae de Causa beatificationis Claudinae ne cogitarent quidem. Serius tamen, hoc est nostro saeculo ineunte, est in eam sententiam discessum, ut Causae initium fieret. Cum autem iam nulli essent oculati testes, res Sectioni Historicae committenda fuit Sacrae olim Rituum Congregationis.

Discussa autem ac probata documentorum fide, iam anno MDCCCCLXXIII Causa publice agi coepta est; atque servatis de iure servandis, Paulus VI Decessor Noster, die sexto Februarii, anno MDCCCCLXXVIII, Decretum fecit de virtutibus a Claudina heroum more cultis. His actis, hoc anno, die tricesimo Martii, Ipsi, altero probato miraculo, quo Aloisius Alfonsus Soto Villa perfecte sanatus est a tabe quadraginta annorum, ab alterius miraculi exhibendi lege, Causae actores eximimus, cum fama signorum a Deo per Claudinam patratorum, bene constaret. Patuit ergo via ad Claudinae beatificationem. Quae hodie locum habuit in area templi S. Petri, Romae. Ma-

ne enim inter Sacrum tum Claudinam, tum reliquos Beatos renuntiavimus, qui formula continentur quam pronuntiavimus. Est autem haec: « Nos vota Fratrum Nostrorum Iosephi Rabine, Episcopi Cadurcensis, Alafridi Battisti, Archiepiscopi Utinensis, Antonii Angioni, Episcopi Papiensis, Alexandri Renard, Archiepiscopi Lugdunensis, Iosephi Siri, Archiepiscopi Ianuensis, nec non plurium aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque Christifidelium explentes, de Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut venerabiles Servi Dei Alanus de Solminihac, Aloisius Scrosoppi, Richardus Pampuri, Claudina Thévenet, Maria Repetto, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali: Beati Alani de Solminihac die tricésima prima Decembris, Beati Aloisii Scrosoppi die tertia Aprilis, Beati Richardi Pampuri die prima Maii, Beatae Claudinae Thévenet die tertia Februarii, Beatae Mariae Repetto die quinta Ianuarii, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Ceterum haec in perpetuum valeant, contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die iv mensis Octobris, anno MCMLXXXI, Pontificatus Nostri tertio.

AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco ® Sigilli
In Secret. Status tab., n. 78.364

II

Venerabili Dei famulae Raphaëlae Ybarra Viduae de Vilallonga, Fundatrici Congregationis Sororum ab Angelis Custodibus, Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Qui sequitur Dominum non solum Dei aedificat Regnum, sed humanam societatem quoque promovet; nam Divini Magistri exempla sequens, et ipse pertransit benefaciendo (cf. *Act* 10, 38) eiusque memoria benedicetur per saecula. Hoc sane merito dici potest de Raphaela Ybarra Vidua de Vilallonga, quam hodie Beatorum caelitum albo sollemni declaratione adscripsimus. Venerabilis Dei Famula nata est Fla-

viobrigae in Hispania die xvi mensis Ianuarii anno MDCCCXLIII, e Gabriele Ybarra et Gutiérrez de Caviedes atque e Rosario Arámbarri et Mancebo, optimis piisque parentibus, genere etiam et censu claris. Postridie in Basilica Sancti Iacobi eiusdem civitatis baptismum recepit; die autem xxn mensis Maii anno MDCCCXLIV ab Episcopo Ecclesiae Calaguritanae — in cuius dioecesi tunc Flaviobriga erat — sacro chrismate est confirmata; tandem undecim nata annos, Eucharistico convivio refecta est. Postquam autem et domi et Baionae, in Gallia, studiis vacaverat, die xiv mensis Septembris anno MDCCCLXI nupsit viro Iosepho Vilallonga et Gipuló. Ex quo coniugio, mutuo affectu stabili ac fide christiana alito, septem nati sunt filii, quorum duo immature perierunt; his sunt additi, anno MDCCCLXXV, quinque nepotes, orphani Rosarii, Raphaëlae sororis, quos Serva Dei materno amore suscepit, quos et solebat vocare « cordis sui filios ». Haec rerum adversitas singulariter notavit eiusdem vitam: nam curis in dies augescentibus et officiis, ipsa paulatim sui aequalium consortionem relinquens, ad sacramenta Paenitentiae et Eucharistiae frequentius accedebat, presbyteri Leonardi Zabala, adiutoris parochi Sancti Nicolai in Flaviobrigensi civitate usa consiliis, quem ut magistrum pietatis habuit. Anno autem MDCCCLXXVIII cum legeret librum « Vita devota » a Sancto Francisco de Sales scriptum, Dominus animam eius ita illuminavit ut tota ad Deum conversa vocationem suam plane intellexerit. Assentiente dein coniuge, tria temporaria vota castitatis, paupertatis et oboedientiae nuncupavit, quae, expleto tempore, perpetua iteravit quartum addens, videlicet id semper faciendi quod perfectius videretur. Interea in campum apostolatus cunctis viribus incumbens, pro adolescentulis Flaviobrigam petentibus ut quaererent opus, exstruendum curavit « Asylum », a sodalibus Consociationis Sacrae Familiae, quam ipsa condiderat, regendum; simulque effecit ut «Domus Maternitatis» aperiretur pro puellis matribus necessaria ope carentibus. Has beneficas institutiones sunt, ea auctrice, secutae «Consociatio Operum zeli» et « Sodalicium Doctrinae Christianae pro carcere reclusis », quorum proprium erat: mulieres degentes in valetudinariis vel in vincula coniectas visitare; « Domui Maternitatis » consulere; adulescentulas collocare ac iuvare omnimodis. Insuper ad melius tuendas puellas inter mundi constitutas insidias easque christianis praeceptis aptius formandas, haud paucis difficultatibus superatis, religiosam Congregationem instituit « Sororum ab Angelis Custodibus », die xviii mensis Octobris anno MDCCCXCIX a Victoriensi Ordinario deindeque, anno MCMXIV, ab Apostolica Sede probatam, quam ipsa, post obitum viri sui, ingredi quidem cupiebat, sed non potuit: nam impensis fracta laboribus ac laetali morbo consumpta, die xxni mensis Februarii anno MCM ad

Patris domum rediit, virtutibus et meritis dives. Revera tota Famulae Dei vita, in fide et spe fundata, caritate maxime enituit, quam summam exercuit tum in Deum tum in proximum; neque numerare possumus quot pauperes vel aegroti eius cura fuerint sublevati, quot mulieres — puellae praesertim — adiutae vel a peccato et periculis abductae et ad bonam frugem revocatae. Omnes in Christo diligens vera eius discipula exstitit, eiusque bonum odorem ubique spargere satagens (cf. Liturgia Hor. IV, Commune sanctarum mulierum, hymnus ad Laudes matutinas).

Mitis, modesta, humilis, misericors, compatiens; matris familias munera omni diligentia implevit, arctam servans unitatem cum coniuge suo. Caelestibus semper intenta, in oratione sedula^ ardenti flagravit amore erga SS.mam Eucharistiam, ex qua hauriebat vires ad apostolatum suum implendum; devotissima quoque fuit Beatae Mariae Virginis et Sanctorum Angelorum, quorum patrocinio in adversis se committebat. Paenitentiae operibus, ieiuniis et vigiliis assidue vacavit. Nil igitur mirum si, vivens, non solum omnium existimationem et affectum sibi conciliaverit, sed etiam voce populi mulier sancta sit habita. Cum vero post eius mortem etiam miraculorum fama diffunderetur et cresceret in dies, Processus ordinaria auctoritate apud Curiam episcopalem Victoriensem annis MCMXXIX-MCMXXXI sunt instructi; dein, actis Romam missis et a Sacra tunc Rituum Congregatione diu perpensis, die xi mensis Iulii anno MCMLII Pius XII, Decessor Noster, statuit Causam beatificationis Servae Dei rite esse introducendam. Postea de eius virtutibus est disceptatum, quas eam heroum in modum exercuisse edixit Paulus VI, Decessor Noster, die xvi mensis Martii anno MCMLXX. Ad miracula quod attinet, una e sanationibus intercessioni Famulae Dei tributis est proposita, videlicet instantánea, perfecta et constans sanatio « iuvenis Vincentiae Marasco a meningitide probabilis naturae tubercularis ». Quam verum fuisse miraculum Nos declaravimus per decretum Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum die xxiv mensis Septembris Anno Iubilaeo Redemptionis MCMLXXXIII latum. Post haec statuta est dies ad sollemnem Beatificationem tum eius, tum Friderici Albert, Clementis Marchisio, Isidori De Loor. Hac igitur die in Petriano foro inter missarum sollemnia hanc Beatificationis elocuti sumus formulam: « Nos, vota Fratrum Nostrorum Anastasii Alberti Ballestrero, Archiepiscopi Taurinensis, Aemilii Iosephi De Smedt, Episcopi Brugensis, Aloisii de Larrea y Legarreta, Episcopi Flaviobrigensis, necnon plurium aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Fridericus Albert, Clemens Marchisio, Isidorus De Loor et Ra-

phaëla Ybarra, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali: Friderici Albert die tricésima Septembris, Clementis Marchisio die sexta decima Decembris, Isidori De Loor die sexta Octobris, Raphaëlae Ybarra die vicesima tertia Februarii, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Det nobis quoque Deus ut Beatae Raphaëlae exemplo caritatis opera exercentes, inter benedictos regni sui connumeran mereamur (cf. Liturgia Hor. IV, Pro iis qui opera misericordiae exercuerunt, oratio ad Laudes matutinas). Quae per has Litteras ediximus firma esse foreque volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxx mensis Septembris, anno MCMLXXXIV, Pontificatus Nostri sexto.

AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco 83 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 142.442

III

Servo Dei Ioanni Mazzucconi Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Verba illa adoranda, quae in Ioannis Evangelio leguntur: « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si vero mortuum fuerit, multum fructum affert » (12, 24) tum in primaeva Ecclesia vera reperta sunt, cum nempe sanguis martyrum semen erat christianorum, tum per longas saeculorum aetates, tum etiam hoc nostro tempore: semper enim immolata hominum vita ob Christi causam, praeter quam quod egregiam de sanctissima religione nostra opinionem parit, Ecclesiam praeterea fecundat, in similitudinem mortis Christi, qui post Crucis exaltationem, omnia traxit ad seipsum. Inter eos autem, qui his temporibus, purpureo sanguine fuso, Christi amore obierunt, uberemque fructum tulerunt, est sane Ioannes Baptista Mazzucconi annumerandus, anno MDCCCLV, in christianae religionis odium ab indigenis Oceaniae necatus. Quoniamque nullus est, qui maiorem erga Deum caritatem habeat, quam ille qui animam suam pro Illo deponat, colligimus sane

Ioannis amorem in Christum nullo dubio ad fastigium et apicem pervenisse. Pretium ergo operis esse putamus quam paucis describere, quo itinere hic Dei Servus egregius ad verticem caritatis ascenderit. Natus est autem Ioannes Baptista Mazzucconi calendis Marths, anno MDCCCXXVI, Rancii Leucensis, *Leucii,* in finibus archidioecesis Mediolanensis, e parentibus pietate ac religione insignibus. Fuerunt autem hi: Iacobus, vir probus, fide et industria conspicuus; Anna Maria Scuri, qua non alia in pago caritate atque benevolentia in pauperes Deo deditior. Postridie vero, quam natus est, sacris Baptismi aquis puer ablutus est, eique indita sunt nomina Ioannes Baptista Albinus. Anno MDCCCXXXIV, sacro chrismate confirmatus est. Quanta vero virtute divinus Paraclitus irrepserit in eum tota vita demonstrat. A quo sane Spiritu instinctus, est archiepiscopale Seminarium a S. Petro Martyre nuncupatum ingressus, ubi tum moribus, tum studio ac disciplina antecessit, sic ut in Collegio « Cavalieri » quod est in loco Parabiago, in quoque gymnasii cursum inceperat atque sacra Eucharistia primo refectus erat, easdem laudes collegerat. Neque minus eminuit Dei Servus in Seminario Mondiciano, annis MDCCCXLIV-MDCCCXLVI, atque Mediolani, ubi per annos MDCCCXLVI-MDCCCL in studia theologica incubuit, omnibus numeris tum animi tum mentis insignis.

Ceterum, sole gratiae inrigante, germen missionalis vocationis tam in illo adolevit, ut, cum primum Missae sacrificium litavit, id est anno MDCCCL, mense Maio, quin et antea, in beneficii loco petierit ut in Instituto Missionali iamiam ab Angelo Ramazzotti instituendo, cum primis alumnis exciperetur. Quod sane facile impetravit. Eo vero tempore etiam preces composuit miro martyrii desiderio. Post ergo diligentem Mediolani adhibitam praeparationem in Oceaniam profectus est cum sex sodalibus; quos profecto et iter manebat asperrimum, et infensissimi populi Insularum Woodlark et Rook mansuefaciendi. Obstabant praeterea operi divino etiam lingua difficilis, corruptio morum, invidia incolarum; morbi denique, id est febres et ulcera, ab omnibus quidem, sed maxime a Ioanne patientissime tolerata in illius gentis conversionem. Tandem, post duos annos ac tres menses, Sydneium recuperandae valetudinis gratia missus est, ubi, sic ut potuit, migrantium Italorum curam gessit. Ubi autem convaluit, ilico in insulam Woodlark rediit, ut convenerat; neque tamen res heu feliciter cessit. Nam, cum die duodevicesimo Augusti, anno MDCCCLV, naviculam « erat ei nomen "Gazelle" » conscendisset, iamque ad insulam Woodlark pervenisset, navigium haesit in vado; quod cum incolae illi mali adorti essent, specie quidem ferendi auxilii, revera opprimendi causa, et Ioannem securi interfecerunt, et reliquos simul; ac direpta navi, occisorumque cadaveribus per

mare disseminatis, abierunt. Quodsi nunc, post brevis eius vitae casus, in egregiam eius virtutem animum intendimus, sane intellegemus eam, praeter quam quod e divina Spiritus Sancti gratia, e parentum piissimo fonte initia prima habuisse; quorum nimirum pietas tanta, ut non modo late serperet egregia illorum opinio, sed filiorum etiam animos omnino imbueret, ad religionemque inclinaret. Neque mira res est, si Deus ex eo familiae numero plures et sacerdotes et Sorores virgines susqitaverit. Ioannes ergo iis praeeuntibus, mature pietatem coluit, puer, more puerorum; iuvenis, iuvenum: id est tota ingenii acie, cum summa voluntate sanctitatis adipiscendae. Cuius rei testimonio sint verba rectoris Collegii « Cavalieri », qui affirmare non dubitabat: « se in Ioanne Mazzucconi, post primum ab illo exceptam Eucharistiam, iam non iuvenem, sed angelum vidisse ». Erat enim affabilis, ad veniam proclivis, dulcis; pius, acer ingenio, rerum divinarum studiosus, pietate praecellentissimus. Inerant praeterea in illo sensus vivus et acutus cum Dei ubique praesentis, tum etiam rerum humanarum, quam fluxae atque caducae, temporis irremeabilis, peccati. Paucis: erat optimus in moribus, optimus in omnibus. Brevis laus, sed summa et inclita laus. Post autem Sanctorum Martyrum Sinarum atque Tonchini lectam historiam, arsit et ipse desiderio fundendi sanguinis Christi amore, ceu flamma alita vento. Petiit ergo a suis Moderatoribus ut cum primis ad populos Oceaniae mitteretur Evangelii praeco; atque cum primis pro fide occubuit: certo enim constat inmitem eum populum odio adversus christianam religionem Dei Servum oppressisse. Quam rem ceterum illum et providisse et optasse magnopere. Cum autem eius fama sive virtutum sive martyrii per Australiam et Europam late vagaretur, confestim de Servo Dei Beatorum titulo augendo cogitatum est. Sed variis de causis ordinarii processus anno tantummodo MDCCCCIX agi coepti sunt, Mediolani, ad historicas leges.

Causa autem, interim actis agendis, introducta est die duodetricesimo mensis Octobris, anno MDCCCCLXX Servato deinde ordine Iuris disceptatio facta est a Sacra Congregatione pro Causis Sanctorum de martyrio Servi Dei eiusque causa; cuius acta Nos probantes, die tertio decimo mensis Ianuarii, anno MDCCCCLXXXIII per decretum ediximus: «Ita constare de martyrio eiusque causa Servi Dei Ioannis Baptistae Mazzucconi, ut, concessa a signis seu miraculis, ad normam can. 2116, par. 2 Cod. Iuris Canonici omnique alia opportuna dispensatione, procedi posset ad ulteriora, in casu et ad effectum de quo agitur; « diemque statuimus ad sollemnem eius beatificationem unde vicesimum mensis Februarii, hoc anno; quem diem etiam sollemni glorificationi Servorum Dei Villelmi Repin et Socio-

rum Martyrum diximus. Hodie ergo in templo Beati Petri, Romae, magna cum turba fidelium maxime ex Italia et Gallia, Sacrum Deo optimo maximo fecimus, inter quod ediximus: « Nos vota fratrum nostrorum Ioannis Orchampt, Episcopi Andegavensis, Caroli Martini, Archiepiscopi Mediolanensis, necnon plurium aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Villelmus Repin et Socii, et Ioannes Mazzucconi, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali: Beatorum Villelmi Repin et Sociorum die prima Februarii, Ioannis Mazzucconi die vicesima quinta Septembris, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Ceterum, quae per has Litteras statuimus, firma sint nunc et in posterum, contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xix mensis Februarii, anno MDCCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri sexto.

AUGUSTINUS card CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 132.268

IV

Caelitum Beatorum honores conceduntur Venerabili Dei Servo, Tito Brandsma, O.Carm.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Memor esto Iesum Christum resuscitatum esse a mortuis, ex semine David, secundum Evangelium meum, in quo laboro usque ad vincula quasi male operans, sed verbum Dei non est alligatum! » *(2 Tim* 2, 8-9).

Evangelium tutaturo libertatemque Ecclesiae necnon hominum ipsorum dignitatem Venerabili quoque Dei Servo Tito Brandsma pluribus occurrendum fuit vexationibus multis in carceribus, ubi ut suos in vinculis concap-

tivos solaretur sese consumpsit totum ibidemque luculentum sic fidelitatis erga Christum reddidit testimonium ut pro ipso suum eiusque regno profuderit sanguinem. Impavidus hic Iesu Christi discipulus apud fervidorum catholicorum lares est ortus die xxin mensis Februarii anno MDCCCLXXXI in Frisiae provinciae oppido Bolsward, intra hodiernae dioecesis Groningensis fines. Ordinem Fratrum Beatissimae Mariae Virginis de Monte Carmelo adulescens xvn annorum est amplexatus, quo precationis studium pietasque marialis eiusdem Ordinis illum pellexerat. Die in mensis Octobris anno MDCCCLXXXXI religiosa nuncupavit vota atque anno MCMV, die xvn mensis Iunii presbyteratus ordine sacro est initiatus. Romae sua produxit studia ibique disciplinae philosophiae lauream meruit. In patriam reversum destina verunt eum ad discipulorum proprii Ordinis institutionem qui anno MCMXXiii ordinarius philosophiae magister creatus est et historiae theologiae mysticae novam apud Studiorum Universitatem Catholicam Noviomagensem Batavorum, quam unum etiam annum est ipse rector moderatus. Eodem vero tempore plures divulgavit commentationes investigationesque in variis actis diurnis et commentariis periodicis. Operam pariter scrutandis ordinatim mysticorum patriae suae scriptis dedit atque consilium instituit operibus Sanctae Teresiae a Iesu in Batavum sermonem convertendis. Cum incommoda ipse valetudine impeditus ad missionum sacrarum terras proficisci non posset, inter Batavos studium accendit evangelizandi populos nondum christianos. Motum incitavit oecumenicum et ad mortem usque Hebraeorum defendit iura. Gradum scholarum Catholicarum excellentiamque strenue provexit. Tamquam disseminationis morum christianorum apostolatusque instrumentum crebro usurpavit libellos typis excusos et radiophonium ipsum, atque documentum de usu enascentis modo televisionis conscripsit veluti aptissimae fidem ad propagandam viae. Archiepiscopus dein Ultraiectensis anno MCMXXXV consiliarium ecclesiasticum nominavit illum pro diurnariis scriptoribus Nederlandiae catholicis, ubi magni ponderis scripta catholica typis edita erant in totius Ecclesiae vita. Eandem illam Nederlandicam nationem nazistae anno MCMXL suam redigerunt in dicionem. Principia ipsius nationalis socialismi Christiano nomini contraria propalam improbavit Venerabilis Dei Servus vehementerque adulescentibus suadere nisus est, ut inhonestis istius instituti legibus repugnarent. Cum consiliis Episcoporum Batavorum plane consentiens, ne nazistarum propagarentur errpres impedivit et, pro sua parte, recusavit e scholis catholicis ne alumni depellerentur parentibus Hebraeis nati.

Per Venerabilem Dei Servum, Episcopi praeterea nazistarum mandato reclamaverunt quo nempe praecipiebant ne diurnarii scriptores notitias doc-

trinasque socialismi nationalis disseminare intermitterent. Gravis illius conscius sibi periculi, in quo commentarios edendi libertas versabatur, omnes invisit catholicos ephemeridum editores quibus persuasit ut improbis reniterentur impulsionibus istis. Quo ex itinere cum rediisset, die xix mensis Ianuarii anno MCMXLII a clandestinis nazistarum securitatis administris est comprehensus. Coram iudice autem ita suum purgavit agendi modum: « Eatenus Ecclesia Nederlandiae Catholica imperiis obtemperat civilium auctoritatum, quatenus eiusdem Ecclesiae non discrepant a principiis. Si vero de doctrinarum et principalibus agitur dissensionibus, omnem suam adiutricem operam denegat Ecclesia, cuius rei etiam consecutiones cunctas libenter patietur. Nullo non tempore pro Ecclesia exstiterunt martyres qui, si opus fuit, suam etiam fuderunt vitam. In praesens vero iam impugnantur principia, quae ut ipsemet profitear, perferenda universa laetus ego perferam. Episcoporum Batavorum rationes meas facio ». Ad custodiam deinde tutelarem diversos apud carceres et castra continendis hominibus est damnatus. At ubique fidem inexpugnabilem testatus est et patientiam in adversissimis rebus mirabilem et in custodiae socios caritatem unicam. Denique tandem in famosum flagitiis valetudinarium delatus est intra castra Dachau ubi acido phenico imbutus die xxvi mensis Iulii anno MCMXLII morte occubuit. Martyr cum hic Venerabilis Dei Servus fidei ipsius existimaretur, causam canonizationis Episcopus Buscoducensis cito apparavit. Peractis deinceps canonicis processibus, apud Congregationem de Causis Sanctorum susceptae communes sunt investigationes secundo cum eventu, peculiaris Congressus actus est Consultorum Theologorum ac postmodum Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum habita est Congregatio. Coram Nobis deinde, die in Novembris anno MCMLXXXIV editum est decretum quo memorati huius Venerabilis Dei Servi obitus verum martyrium fuisse agnitus est. Eo propterea statuimus tempore ut beatificationis ritus subsequenti anno in Petriana Basilica celebraretur. Hodie igitur inter Missarum sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

« Nos, vota Venerabilis Fratris Ioannis Gerardi ter Schure, Episcopi Buscoducensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctarum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Titus Brandsma, Beati nomine in posterum appelletur, eiusdem festum die ipsius natali: vicesima sexta Iulii, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Hasce vero Litteras Apostolicas iubemus suam in posterum virtutem adservare contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris die in mensis Novembris anno MCMLXXXV, Pontificatus Nostri octavo.

AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 296.188

V

Dei famulae Victoriae Rasoamanarivo Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Novissimam suis cum discipulis concelebrans Cenam dixit ipsis Iesus: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus» *(Io* 14, 23), quos vehementer dein obsecravit in se ut ii manerent suoque amore, unde copiosos adferre possent fructus (cf. *Io* 15, 1-11).

Domini nostri voces hae bene quidem summatimque vitam complectuntur Christianae cuiusdam mulieris egregio exemplo, filiae videlicet Insulae Rubrae Madagascariae, nempe Victoriae Rasoamanarivo. Divino permota illa instinctu sese Christi amori patefecit nullisque additis condicionibus respondit ac verbo illius fidelis usque perstitit. Hinc ideo contigit ut in ea Deus commorans praesentiam suam inter eundem populum redderet vere sensibilem; sic accidit quoque ut vivens Christus in ea operaretur intra hominum animos fructusque generaret qui ad hos etiam dies nostros permanent, quibus filii filiaeque illius ecclesialis communitatis Madagascariensis in primis ad hanc Venerabilem Dei Servam oculos convertunt veluti suam ad matrem et sororem, tamquam ad exemplar simul et adminiculum in Christiana sua vocatione constanter fortiterque exsequenda.

Tananarivi anno MDCCCXLVIII orta sobóles domus inter nationis totius potentissimas, singularem deinceps pietatis morumque institutionem a matre maxime accepit. Cum vero missionarii sodales Societatis Iesu in insu-

Iam advenissent, quos sunt Sorores Congregationis Sancti Iosephi Cluniacensis secutae, nomen Victoriae inter primas est in scholae missionis illius album inscriptum. Religionis autem catholicae doctrina necnon Patrum vitae exemplum ac Sororum adeo penitus puellam adfecerunt ut accessum sibi ad Ecclesiam ipsam expetiverit dieque Omnium Sanctorum festivo anno MDCCCLXIII baptismum receperit ac Victoriae nomine vocata.

Saeviente postmodum plus minus manifesta ipsius missionis catholicae vexatione, etiam contendebant Victoriae consanguinei sedulo ut fidem abiceret, quae nihil tamen cessit nec pollicitationibus nec minationibus neque corporis cruciatibus sibi illatis.

Hac in rerum condicione censebant missionales catholici imprudentiae esse voluntati illi obsequi qua se totam Deo cuperet devovere in vitae religiosae instituto; cui suaserunt proinde ut suum explicaret apostolatum potius intra propriae domus fines regiaeque aulae, quae cotidie ei erat frequentanda. In matrimonium tandem adulescenti Radriaka, magno apud exercitum centurioni primique ministri filio, data est; qua instanter flagitante, nuptiae coram catholico sacerdote celebratae sunt die xm mensis Maii anno MDCCCLXIV. Quod tamen coniugium Venerabili Dei Servae transiturum brevi erat in verum supplicium, quoniam sic vir dissolutus erat ut pater eius ac Regina saepenumero Victoriae suaderent ut divortium faceret; ea nihilo minus oneribus connubii susceptis per matrimonii sacramentum fidelis, talibus parere monitionibus noluit sicque herois resistens in modum initum coniugii iter toleranti animo ad viri obitum produxit anno MDCCCLXXXVII.

Ob vitae suae Christianae exempla praeclara cito sibi Victoria tum regiae tum gentis universae aestimationem conciliavit venerationemque. Haec existimatio et inter cives auctoritas, qua fruebatur, effecerunt ut Victoria ipsa firmum postmodum evaderet sustentaculum catholicae in Madagascaria Ecclesiae, tempore quo missionales ea de terra sunt depulsi (annis MDCCCLXXXIII-MDCCCLXXXVI). Absentibus vero missionariis Victoria, cum unica quadam magnanimitate baptismi sui compleret officia gravia magnaque etiam animi sustentantur firmitate, apud publicos magistratus Ecclesiam catholicam defendit vel propalam seque indefatigabili studio dedidit cunctis modis et rationibus subveniendo Christifidelibus, efficaciter conferens ad fidem in communitate nutriendam eo tempore pastoribus propriis destituta. Ut autem licitum fuit illis, demum, anno MDCCCLXXXVI eandem redire in terram, vigentem adhuc reppererunt Ecclesiam florentemque potissimum huius Venerabilis Servae Dei industria. Stabili fide et caritate ardenti sustinentibus, Regnum Dei suum inter populum ea corroborare valuit,

cuius efficacitas eximia operum inde nimirum proficiscebatur, quod vitae sanctimoniam percolebat adsidue ac vigorem spiritalis vitae pariter alebat quae ex ea quoquoversus diffundebatur. Mulier haec erat altissimae precationis necnon arctissimae coniunctionis cum Christo Domino, qui solus fuit finis et regula navitatis eius una, sive pro pauperibus abiectisque operabatur sive in carcere inclusos ac lepra adflictos invisebat, sive denique amplas aedes suas administrabat.

Brevi, pro dolor!, aegrotatione absumpta die xxi mensis Augusti anno MDCCCXCIV decessit. Cuius fama sanctitatis, qua vivens adficiebatur, mortuam pariter est prosecuta. Propter res tamen adversas, in quibus Ecclesia Madagascariensis versabatur, canonizationis causa multo dumtaxat serius institui rite potuit. Ita quidem peracto ordinario Processu informativo inter annum MCMXXXII et MCMXXXV, decretum prodiit introductionis Causae xix mensis Februarii anno MCMLVI. Exinde autem apostolicus Processus actus est inter annos MCMLX et MCMLXII, omnibusque ad canones sacros peractis rebus coram Nobis ipsis « super virtutibus » decretum est divulgatum die XIV mensis Maii anno MCMLXXXIII. Canonico vero interim instituto processu anno MCMLXI de adfirmata quadam curatione prodigiosa ob Venerabilis Dei Servae deprecationem, medicorum et theologorum actae sunt investigationes prospero cum exitu donec die ix mensis Maii anno MCMLXXXV editum est coram Nobis Decretum « super miro ». Quo tempore statuere Nos iuvit ut, cum apostolicum proximum iter Nostrum ad communitatem ecclesialem ipsamque civitatem Madagascariae faceremus, ritum ipsi beatificationis expleremus, hoc videlicet die ipso, quo ante dilectissimae Ecclesiae Madagascariensis multitudinem una cum venerabilibus in Episcopatu Fratribus coniuncti necnon cum clero ac fideli populo eiusdem nationis hisce sumus elocuti verbis:

« Par notre autorité apostolique, accueillant les vœux de notre frère Victor Razafimahatratra, archevêque d'Antananarivo, de beaucoup d'autres frères dans l'épiscopat, de nombreux fidèles, et après avoir entendu l'avis de la Congrégation pour les Causes des Saints, nous concédons que dorénavant, la vénérable servante de Dieu Victoire Rasoamanarivo peut être appelée Bienheureuse, et que, le 21 août, jour de son départ pour le ciel, on pourra célébrer sa fête, dans les lieux fixés et selon les règles établies par le droit. Au nom du Père, et du Fils, et du Saint-Esprit ».

Quibus enuntiatis sollemniter vocibus ipsi Nos sacra oratione praeeuntes celebrare studuimus novi huius Beati Caelitis laudes virtutesque prae-

cipuas ac deinde precatione pia cum adstantibus reliquis commiscenda validam ipsius apud Deum deprecationem universae efflagitavimus in terris Ecclesiae. Quocirca nihil superesse videtur quam ut hoc documentum confici iubeamus. Apostolicas igitur has Litteras tam in praesens quam in posterum valere tempus volumus suamque habere vim, contrariis quibuslibet rebus neutiquam obstantibus.

Datum Tananarivi, sub anulo Piscatoris, die xxx mensis Aprilis, anno MCMLXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 274.962

VI

Delegationis Apostolicae in Regione Maris Rubri nomen mutatur in Paeninsulae Arabicae appellationem.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Suo iam pridem tempore est factum ut Decessor Noster felicissimae recordationis Paulus VI Apostolicis ipse Litteris « Sollicitudo omnium » inscriptis, ad mentem Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu illo tempore etiam de Propaganda Fide nuncupatae, sub anulo Piscatoris die tertio mensis Iulii anno MCMLXIX foras datis, Delegationem Apostolicam in Regione Maris Rubri constitueret, quae fines et loca Rerum Publicarum Sudaniensis, Gibutensis, Somaliensis atque partes pariter Arabicae Paeninsulae complecteretur, collocata ipsius illius Legationis Pontificiae Sede in urbe Khartumensi. Nunc vero elapsis nonnullis interea annis, consentiente ipsa Nostra Status Secretaria, consentaneum prorsus videtur ut eidem Apostolicae Legationi novum indatur nomen, scilicet in Paeninsula Arabica, cuius iam non sit sedes in civitate Khartumensi, verum apud ipsam Nuntiaturam Apostolicam in Kuvaitensi Emiratu sitam, quin immo in urbe vulgo Kuwait City. Cunctis huius consilii negotiique perpensis rationibus decernimus ut hoc ipso a die Regnum Arabiae Sauditae tum etiam Status Qatarensis, Bahreinensis, Emiratorum

May the holy Mother of God look upon you and intercede for the peace and reconciliation which your nation needs. As a token of my spiritual closeness I impart my Apostolic Blessing to ali the Catholic faithful of Myanmar.

Eph 4:23.
Ibid., 5:18. 20.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

I

CRACOVIEN.

DECRETUM

Canonizationis Ven. Servae Dei Angelae Salawa, virginis laicae, ex Tertio Ordine Saeculari S. Francisci Asisinatis (1881-1922).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilis Serva Dei Angela Salawa in oppido Siepraw patrio sermone appellato, apud Cracoviam, est orta die 9 mensis Septembris anno 1881 a piis parentibus, demissis quidem, sed sedulam christianam vitam degentibus. Sexdecim annorum ut famulae operam explicaret Cracoviam migravit, ubi nomen est professa in Consociationem S. Zitae, et vehementius deprecationi, apostolatui atque virtutum exercitio se dedidit. Etsi in condicione vitae laica mansit, Domino tamen castitatis voto perpetuae se consecravit et, navorum sacerdotum moderationi obsequens, continenter in Christi, Mariae Virginis Immaculatae et animarum amore progressus fecit.

Anno 1912 nomen professa est in Tertium Ordinem Saecularem S. Francisci, in animo habens eiusdem Sancti Asisinatis exemplum sequi Domini Passioni se coniungendo. Per prius omnium gentium bellum, mira cum caritate et incommoda accipiendi spiritu, ultro se tradidit sauciatis et aegrotis curandis in Cracoviensibus valetudinariis.

Ad magnam redacta paupertatem propter ingravescentem morbum, quo correpta erat, et opus amissum, omnia singulari cum fortitudine et perfecta laetitia tulit. Cracoviae pie de vita decessit die 12 mensis Martii anno 1922, postquam pro auctu regni Dei in Polonia et in universo mundo se devoverat.

Quandoquidem viva et post mortem est sanctitatis fruita fama, initium factum est, anno 1948, canonizationis Causae et, rebus omnibus perfectis quae erant legibus canonicis praescriptae, Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 23 mensis Octobris anno 1987, declaravit Angelam Salawa heroum more virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Ad optatam Servae Dei beatificationem obtinendam, Causae Actores ad Congregationem de Causis Sanctorum sanationem detulerunt, miram habitam, pueruli polonici Gregorii Serafín, octo annos nati, qui die 26 mensis Martii anno 1990, dum in hortis publicis ludebat, gravissima est affectus cal vae et cerebri commotione. In valetudinarium deductus, est statim sectus, sed prognosis quoad vitam infausta mansit. Interea pueruli Gregorii parentes et propinqui fidenti animo Dei auxilium exquisiverunt, ut eius assequerentur sanationem, et ad id obtinendum, quod petebant, Missas quoque celebrandas curaverunt. A die 29 mensis Martii sacrum novendiale inierunt, Venerabilis Servae Dei Angelae Salawa deprecationem invocantes. Post sex alti veterni dies improviso et gradatim inclinata est in melius pueri valetudo cum responsione stimulis auditoriis et tactilibus. Condicio proficere perrexit subsequentibus diebus, adeo ut die 23 mensis Aprilis puerulus valetudinarium sanatus reliquerit.

De hac sanatione, mira existimat a et intercessioni tributa Venerabilis Servae Dei Angelae Salawa, anno 1990 actus est processus canonicus apud Curiam archiepiscopalem Cracoviensem, cuius auctoritas et vis agnita est per decretum die 19 mensis Aprilis anno 1991 editum. Die 13 insequentis mensis Iunii Consilium Medicorum se congregavit, cuius sodales confessi sunt sanationem « celerrimam fuisse et completam respectu nervorum et animi. Inexplicabilem eius cursum in implicata descriptione clinica pro scientia nostra ».

Deinde est casus inquisitio theologica facta. Die 21 mensis Iunii anno 1991 habitus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris, praesidente Rev.mo Fidei Promotore Antonio Petti. Die 2 insecuti mensis Iulii convenit Congregatio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Exc.mo Domino Angelo Palmas, Archiepiscopo titulo Vibianensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de praefatis rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super eadem mira sanatione decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Serva Dei Angela Salawa, virgine laica, ex III Ordine saeculari S. Francisci Asisinatis, videlicet de celérrima, perfecta et mansura sanatione pueruli Gregorii Serafin a « stato di coma profondo con sintomatologia neurologica in soggetto affetto da trauma cranioencefalico aperto con fratture multiple della calotta e della base, lacerazione della dura madre dei lobi frontali e parietale destro, fuoriuscita di sostanza cerebrale ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum idem Summus Pontifex referri praecepit.

Datum Romae, die 6 mensis Iulii A. D. 1991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. 93 S.

£B Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

II

VICENTINA

DECRETUM

Canonizationis Ven. Servae Dei Iosephinae Bakhita, sororis professae Instituti Filiarum a Caritate (1869-1947).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilis Serva Dei Iosephina Bakhita anno circiter 1869 orta est in Sudaniae regione patrio sermone *Darfur* appellata, a parentibus nomine Macometanis, sed re animistis. Sex aut septem annos nata a nigritarum emptoribus et venditoribus est vi abducta et saepe in servorum mercatibus empta et venditata. Ita diversis dominis fuit obnoxia, qui in eam saeva facinora et saevitias acerbiores in dies commiserunt. In urbe Khartumensi empta est ab italico procuratore legationis, qui biennio post secum eam in

Italiam duxit, ubi familiae Miranum Venetum colenti (in Venetiarum provincia) eam concessit. Aliquamdiu concredita, una cum pusa cui tamquam gerula magno cum affectu operam dabat, Filiabus a Caritate (Sororibus Canossianis vocatis) Instituti Catechumenorum Venetiarum, apud has religiosas christianam religionem cognovit, cui magna cum simplicitate et ardore est assensa, laeta Dei amorem invenisse. Die 9 mensis Ianuarii anno 1890 sacramenta accepit Baptismi, Eucharistiae et Confirmationis. Vita consecrata illecta, anno 1893 Filiarum a Caritate est novitiatum ingressa; anno 1896 vota temporanea nuncupavit et anno 1927 perpetua. Acu pinxit, coqua fuit, templi custos, ianitrix. Humilem semper vitam vixit et omnino Dei voluntati obsequentem regulaeque cui se dederat. Pauper spiritu, mitis, misericors, munda corde, pacifica, deprecationis amans, pia erga Dei Genetricem Mariam, omnibus qui eam cognoverant fulgido fuit exemplo fidelitatis erga Evangelium et Ecclesiam Christi. Sancte de vita decessit die 8 mensis Februarii anno 1947 in urbe *Schio,* intra Vicentinae dioecesis fines.

Perdurante sanctitatis fama Causae canonizationis initium factum est apud Curiam Vicentinam. Praescriptis processibus canonicis celebratis et consuetis peractis disquisitionibus apud Congregationem pro Causis Sanctorum, calendis Decembribus anno 1978 Summus Pontifex Ioannes Paulus II declaravit Sororem Iosephinam Bakhita heroum more virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Ad obtinendam Venerabilis Servae Dei beatificationem Causae Actores ad Apostolicam Sedem coniectam miram sanationem detulerunt, eiusdem Venerabilis intercessioni tributam, effectam pro Sorore Angela Silla Mari, Congregationis Filiarum a Caritate sodali. Haec religiosa anno 1939, cum viginti sex erat annorum, osteoarthritide tuberculorum genus laevi laborare coepit, per totum annum 1940 curata iteratis infusionibus in artus, immobilitate, heliotherapia, iniectionibus calcii et iodii-arsenici. Deinde, ab anno 1940 ad annum 1944, variae apparuerunt fistulae, multum eicientes pus, alternis vicibus apertae et clausae, ad quas acerbi dolores adiungebantur et febris acuta usque ad 40 gradus. Levis profectus factus est in valetudinis significatione annis 1944-1946. Mense Iunio eodem anno nova fístula aperta est cum assiduo exitu puris cumque febri. Quandoquidem omnes curationes adhibitae inefficaces apparuerunt, primis mensis Octobris diebus anno 1947 aegra in valetudinarium Ticinense deducta est, ut die 12 mensis Octobris mane secaretur. Dum sectionem exspectabant, qua integra erat auferenda patella et tibiae pars, ipsa aegrota, nonnullae Sorores sodales et aliquot propinqui eius ad Dei auxilium per intercessionem decurrerunt, Venerabilis Servae Dei Iosephinae Bakhita preces invocando. Hora ferme se-

cunda post mediam noctem diei 12 mensis Octobris aegro improviso sensit se bene valere, surrexit et gressa est sine ullo dolore ac sine ullo statumine: cognovit etiam genus tumorem defecisse et fístulas inexplicabiliter clausas esse. Eodem die mane medici patratam sanationem agnoverunt et die 13 mensis Octobris Soror Angela e valetudinario est dimissa sanata.

De asserta mira sanatione a die 6 mensis Iunii ad diem 8 mensis Iulii anno 1990 apud Curiam Veronensem est processus canonicus instructus, cuius auctoritas et vis est agnita decreto diei 5 mensis Octobris eiusdem anni. Congregationis de Causis Sanctorum Consilium Medicorum, in sessione diei 14 mensis Martii anno 1991, enuntiata diagnosi de « osteoarthritide fistulosa specifica genus laevi », declaravit sanationem habendam esse subitaneam, mansuram et inexplicabilem « quoad modum ». Facta est dein casus inquisitio theologica. Die 10 mensis Maii anno 1991 actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris, cui praefuit Rev.mus Fidei Promotor Antonius Petti; subsequentis mensis Iunii die 4, habita est Patrum Cardinalium et Episcoporum Congregatio Ordinaria, Causae Ponente Em.mo Cardinali Bernardino Gantin. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de praefatis rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super eadem mira sanatione decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Serva Dei Iosephina Bakhita, Sorore professa Instituti Filiarum a Caritate, videlicet de subitanea et mansura sanatione Sororis Angelae Siila Mari, Congregationis Filiarum a Caritate sodalis, ab osteoarthritide fistulosa specifica genus laevi.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum idem Summus Pontifex referri praecepit.

Datum Romae, die 6 mensis Iulii A. D. 1991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. 8BS.

& Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

III

AUGUSTODUNEN.

DECRETUM

Canonizationis beati Claudii La Colombière, sacerdotis professi Societatis Iesu (1641-1682)

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Beatus Claudius La Colombière natus est postridie calendas Februarias anno 1641 in oppido lingua patria appellato *St. Symphorien d'Ozon* in Delphinatu, nobili familia, alta fide christiana instructa. Septemdecim annos natus ingressus est Societatem Iesu Avenione; die 6 mensis Aprilis sacrum presbyteratus Ordinem accepit anno 1669 et postridie calendas Februarias anno 1675 sollemnem fecit professionem. Pro Dei gloria et Christi regni incremento, quem maxime amabat, multo cum ardore et efficacia ministerio praedicationis se dedidit, ostendens se non solum singularibus naturae facultatibus esse ornatum, verum etiam mirificis virtutibus supernaturalibus atque germano ingenio adducenti animas ad Deum.

Servus fidelis et perfectus Iesu amicus, nihil aliud exoptavit, nisi cum humilitate, fervore et perseverantia eius facere voluntatem, se ipsum abnegando et cum diligentia Constitutiones et Regulam observando quibus se dederat cum Societatem Iesu erat ingressus. Rector nominatus Domus loci *Paray-le-Monial* (anno 1675), confessarius extraordinarius factus est monasterii Visitationis. Ibi cognovit Sanctam Margaritam Mariam Alacoque, cuius sapiens consiliator fuit et peropportunus adiutor in cultu propagando Sacri Cordis Iesu. Annis 1676-1678 alacrem apostolatum explicavit Londinii, ubi ob falsas insimulationes est in carcerem coniectus et postea ex Anglia expulsus. In Galliam re versus viribus fractis, exstinctus est die 15 mensis Februarii anno 1682 in loco *Paray-le-Monial,* sanctus habitus.

Canonizationis Causa inchoata et omnibus peractis, quae ad normas iuris eius temporis praecepta erant, Summus Pontifex Pius XI, die 16 mensis Iunii anno 1929, honores Beati ei decrevit.

Nuper Causae Actores, ut ad optatam Canonizationem pervenirent, ad Congregationem de Causis Sanctorum miram assertam sanationem retulerunt, deprecationi tributam beati Claudii La Colombière, Patris Ioannis A. Houle, sacerdotis professi Societatis Iesu. Religiosus hic, olim in Sinis mis-

sionarius, ex qua extrusus est postquam quinque annos in carcere inclusus fuerat, cum aetatem haberet septuaginta septem annorum, valetudine infirmata affectus, die 8 mensis Februarii anno 1990, est in valetudinarium deductus « Sancta Teresia » vocatum, in urbe Californiana *Duarte* situm (in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis), propter crescentem difficultatem respirationis, cui febris ac tussis adiungebantur. Diagnosi facta, curationes adhibitae sunt quas casus postulabat: hae tamen inefficaces fuerunt; quare aegri condicio gradatim in peius versa est illumque ad mortis limen adduxit. Hac in condicione proxima morti erat, cum die 23 mensis Februarii anno 1990, tempore postmeridiano, P. Franciscus Parrish, S. I., eum in valetudinario visitavit et, intellegens casum esse pro viribus humanis desperatum, auxilium divinum petivit per intercessionem beati Claudii La Colombière; idcirco aegro benedixit eiusdem Beati reliquiis, quas in eius fronte posuit, deinde preces adhibendas excitavit ut eius obtinerent sanationem. Die 25 mensis Februarii, mane, contra medicorum opinionem, improviso et inexplicabiliter convalescere aegrotus coepit ac funditus ex morbo pulmoneo con valuit.

Probationes iuridiciales ad singularem sanationem P. Ioannis A. Houle pertinentes collectae sunt in processu canonico apud Curiam archiepiscopalem Angelorum in California celebrato a die 25 mensis Septembris ad diem 24 mensis Novembris, anno 1990. Decretum, quo auctoritas agnoscitur huius processus, promulgatum est die 22 mensis Decembris eodem anno. Apud Congregationem de Causis Sanctorum prospero cum exitu inspectiones factae sunt a medicis et postea a theologis. Die 6 mensis Iunii anno 1991 Consilium Medicorum actum est, quod hanc diagnosim pronuntiavit: « Insufficienza respiratoria preterminale da interstiziopatia cronica riacutizzata da causa non precisata. Pregresso infarto del miocardio, insufficienza coronarica corretta con *by pass* aorto-coronarico in paziente affetto da polimiosite ». Idem Consilium declaravit prognosim esse « infaustam quoad vitam » et sanationis modalitatem « estremamente rapida, completa per la risoluzione del quadro acuto con persistenza della patologia respiratoria pregressa (polimiosite e broncopatia cronica enfisematosa), duratura; non spiegabile la scomparsa del quadro acuto». Die 27 mensis Septembris anno 1991 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, praesidente Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore; die 10 mensis Decembris subsequentis effecta est Congregatio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Em.mo Cardinali Iosepho Caprio. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de praefatis rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super eadem mira sanatione decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Beato Claudio La Colombière, videlicet de celérrima, perfecta et mansura sanatione ab « Insufficienza respiratoria preterminale da interstiziopatia cronica riacutizzata da causa non precisata ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum idem Summus Pontifex referri praecepit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

IV

BUGELLEN.

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Orestis Fontanella, sacerdotis dioecesani (1883-1935).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Deo gloria, deliciae ceteris, sacrificium mihi ».

« Hoc vitae propositum sibi statuit sacerdos Orestes Fontanella, qui Domini Iesu et proximi impulsus amore, maxima cum alacritate, constanti diligentia et amabili humilitate est sacerdotalibus ac pastoralibus suis fune-

tus muneribus, hoc modo Dei gloriae et Christi regni incremento operam navans. Sui immemor, omnibus omnia factus est (cf. *1 Cor* 9, 22) facultatesque suas et vires in servitium impendit Ecclesiae Bugellensis et praesertim alumnorum seminarii eiusdem dioecesis, quos sedulo docuit cum Patre per eius Filium in Spiritu Sancto familiari et assidua societate vivere.

Dei Servus, Friderici Fontanella et Desolinae Calvino Prina trium filiorum maximus natu, in pago *Strona* ortus est, intra fines posito dioecesis Bugellensis, calendis Decembribus anno 1883; postridie per baptismum Novi Foederis particeps factus est vocatusque Ephisius, Orestes et Alfredus. Eucharistico Pane primum se aluit die 29 mensis Martii anno 1893 ac mensis Maii die 28 eodem anno Confirmationis accepit sacramentum.

Eum educandum curaverunt, una cum familia, Sorores Vincentianae ab Immaculata Conceptione, a Beato Friderico Albert fundatae, Fratres Scholarum Christianarum atque magister Pacificus Cesa, qui omnes in suis scholis discipulum illum habuerunt industrium et docilem. Anno 1892 est matre orbatus, quam singulari amore prosequebatur, et aliquando post pater, qui in angustiis versabatur, in Australiam emigravit, filiis avorum atque patruorum custodiae relictis.

Ludi frequentia ad finem adducta, dioecesanum seminarium Bugellense est ingressus, cum consilium cepisset ut sacerdos fieret. Progredientibus annis, Superioribus et aequalibus magis usque talis esse videbatur seminarii alumnus, qui omnibus spiritu disciplinae, pietate, simplicitate, studii intentione esset exemplo necnon in alios caritate.

Quod optatum esset persecutus laetans, die 29 mensis Iunii anno 1907 in praeclaro sanctuario Oropensi Beatae Mariae Virginis, sibi carissimo, ordinationem presbyteralem accepit; post quam biennium Cooperator parochi fuit in vico *Strona,* ubi multiplicem et fructuosum explicavit apostolatum et splendidum dedit testimonium fidelitatis erga suam vocationem et missionem, illius communitatis religiosae renovationi favens.

Autumno anni 1909 episcopus Ioannes Andreas Masera ei obstupefacto munus concredidit magistri spiritalis eius seminarii, in quo paulo ante egregius fuerat discipulus. Antistitis voluntati obtemperavit et suo praetermisso voto sacrum ministerium in aliqua paroecia exercendi, ad mortem usque fervide ac sapienter officio sibi legato se dedidit, a sancto Francisco Salesio exemplo sumpto suavitatis, humilitatis atque sacrificii. Eius industria non est seminario contenta, ubi praeceptor quoque fuit liturgiae, sed ad episcopalem convictus domum dilatata est, ad Instituta religiosa et institutoria urbis, ad omnes fere dioecesis paroecias, ad Actionem Catholicam. Non paucorum sacerdotum ac laicorum consiliator fuit exquisitus et aestimatus et,

aliquot per annos, etiam episcopi Ioannis Garigliano, qui crebro eum conveniebat. Praecipuo officio suo, educandi nempe sacerdotium petentes, non deserto, quod vacuum habebat tempus paratus semper erat ad aliis condonandum itemque ad eundum quocumque ad Dei verbi praedicationem, ad confessiones audiendas, ad spiritales exercitationes meditationesque, ad acroases, ad sacra eum expetebant.

Omnibus bene facere et pastoralem colere caritatem, virium compendio non facto, officium fuit ei, cui deesse noluit umquam, ne tum quidem cum id magni erat laboris. Multis idcirco in locis utilis fuit et odorem reliquit peculiarium virtutum suarum. Sed maxime praesentia sua et opera seminarium, ut par est, illuminavit ac beneficiis affecit, cuius nervus fuit et signum Superioribus et alumnis. Magistri spiritalis munere est functus plena cum assiduitate et ad id solum spectans, ut seminarii alumnos ad Christi amorem adduceret eosdemque ad virtutes consequendas, quae sunt cuiusque sacerdotis ornatus insignis. Ut haec adipisceretur, discipulis minoribus natu adfuit et clericis cum lenitate et affabilitate atque materna quasi cum cura. Eorum gaudia communicabat et dolores, eorum comprehendebat difficultates, profectibus oblectabatur, vitia fortiter et amabiliter corrigebat; ipse aegrotantibus assidebat et paupertatis duritiam experientibus opitulabatur. Semper promptus erat ad eorum confessiones audiendas, ad spiritalem curationem et quamlibet aliam necessitatem obeundam. Nullas omittebat opes quibus eos perfecta et solida posset formatione instruere tum humana tum sacerdotali, eorum excitare diligentiam ut ad divinam responderent vocationem, eorum alere pietatem, in iis sanctitatis appetitionem et Ecclesiae accendere amorem.

Hoc exsecutus est ministerium bene cognitum habens vocationem et perseverantiam dona esse caelitus concessa et verum animarum magistrum Spiritum Sanctum. Quam ob rem suis non est fisus viribus, sed divinae gratiae auxilio seseque semper habuit humile in Dei manibus instrumentum, cuius sunt omnibus in rebus ideoque et in sacerdotum formatione primae partes; etenim «neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat » *(1 Cor* 3, 7).

Quae seminarii alumnos et populum docebat Servus Dei multa cum cura ipse faciebat atque constantia, semper praecepti Domini memor: « Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est» *(Mt* 5, 48). A iuventute firmo animo viam obiit perfectionis christianae et in mente inque corde exemplum defixum habens et doctrinam divini Pastoris, sacerdos evasit Christi Cordi consentaneus atque omni ornatus virtute. Eius namque verba et actus fidem indicabant altam et simplicem, solidam spem at-

que serenam, caritatem ardentem ac diffusoriam. Coniunctionem coluit cum Deo per piam divinorum mysteriorum celebrationem, meditationem, deprecationem assiduam, pietatem erga Eucharistiam et Virginem Mariam, vivam cum Ecclesia communionem, mundi rerum despicientiam, continentiam, castitatem, scientiarum sacrarum studium.

Quae administrabat imitabatur, suumque apostolatum reddidit non solum alacre animarum boni servitium, verum etiam eximium suae sanctificationis instrumentum. Dei voluntati obsequens et hortationi parens Redemptoris (cfr. *Mt* 16, 24) se ipsum abnegavit et patienter fortiterque incommodorum crucem tulit atque interdum indignitatum necnon adversorum casuum. Quod ad haec pertinet, scimus ei, annis quos in seminario tamquam magister spiritalis egit, difficilia fuisse obeunda et graves aegritudines tolerandas, sed etiam his in condicionibus mirum prudentiae, iustitiae, humilitatis magnaeque bonitatis testimonium dedisse.

Die 27 mensis Septembris anno 1933, exeunte Mense Ignatiano, quem singulari cum fervore degerat in oppido Sancto Mauro Taurinensi, se Deo victimam obtulit pro seminario seminariique alumnis. Voluit ita Evangelii verba ad effectum adducere: « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert » (*Io* 12, 24). Eius valetudo, quae aliquot iam annos non integra erat, gradatim imminui coepit, sed dum potuit a consueto suo ministerio non destitit nec ab indefesso caritatis exercitio.

Mense Martio anni 1935 per multas diei horas integrasque noctes cuidam assedit seminarii alumno, in valetudinario iacenti et graviter aegro. Die festo Sancti Ioseph, tametsi cum febri erat, Servus Dei rursus alumno assedit. Subsequenti die manifesto cum labore ultimam celebravit Missam, deinde corpus lecto imposuit, pro certo habens iter suum terrenum iam in exitu esse. Pie exstinctus est die 26 mensis Martii anno 1935, a seminarii alumnis, a clero et populo aestimatus et veneratus.

Sanctitatis fama, quam sibi vivus conciliaverat, etiam post mortem perduravit; quam ob rem episcopus Bugellensis Carolus Rossi Causae canonizationis initium fecit per processus ordinarii informativi celebrationem (annis 1957-1965). Decretum super scriptis calendis Aprilibus promulgatum est anno 1969, et decretum super Causae Introductione die 12 mensis Iulii anno 1982. Vacatione data celebrationis processus apostolici, est apparata Positio, quae secundo cum exitu est a Consultoribus Theologis inspecta in Congressu Peculiari die 14 mensis Maii anno 1991 acto, cui Fidei Promotor Rev.mus Antonius Petti praefuit. Patres Cardinales porro et Episcopi, in Congregatione Ordinaria die 3 mensis Decembris eodem anno habita, Cau-

sae Ponente Exc.mo Hieronymo Grillo, Episcopo Centumcellarum-Tarquiniensi, Servum Dei Orestem Fontanella heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Or estis Fontanella, sacerdotis dioecesani, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

EB Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

V

C ARTH AGINEN, in COLUMBIA

DECRETUM

Canonizationis Servae Dei Mariae Bernardae Butler (in saec.: Verenae), Fundatricis Sororum Franciscalium Missionariarum a Maria Auxiliatrice (1848-1924).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

«Non erubesco evangelium: virtus enim Dei est in salutem omni credenti» *(Rom* 1, 16).

Haec fides in Christum et in eius Evangelium ab Apostolo proclamata, intima vis fuit quae vitam concitavit quoque et vehementem missionalem actionem Servae Dei Sororis Mariae Bernardae Butler, quae nobis denuo proponit egregio vitae suae testimonio perennem Redemptoris mandati aptabilitatem: « Euntes ergo docete omnes gentes » *(Mt* 28, 19).

Serva Dei, quae in baptismo vocata est Verena, orta est in urbe *Auw,* in pago Helvético Argovia, intra fines dioecesis Basileensis, die 28 mensis Maii anno 1848, ex octo filiis quarto loco nata. Eius parentes, Henricus et Catharina Butler, suae subolis numerosae sapientes fuerunt educatores, quam integrae vitae christianae persuasibili exemplo, ad Dei et fratrum amorem adduxerunt.

Die 23 mensis Septembris anno 1856 per Confirmationis sacramentum donum accepit Spiritus Sancti, quod deinceps eam egit ad Deum unicum summum bonum inveniendum, quodque in eius cor divinum ignem infudit illum, quo postea facta est omnibus ardens Evangelii testis. Die 6 mensis Aprilis anno 1860 primum est ad eucharisticam mensam admissa.

Ludo litterario ad finem adducto, qui octo duraverat annos, vero cum animi gaudio cum patre colendis agris se dedidit. Quindecim circiter annos nata probi iuvenis amore capta est, sed celeriter intellexit Dominum cordis sui unicum velle amorem esse. Hoc novo tunc vero Amore illecta, ei voto castitatis se consecravit.

Ingressa primo, tamquam postulans, inter Sorores Magistras a S. Cruce de Menzigen (mense Martio anno 1866), paucos post dies discessit, electione non contenta.

Ad urbem *Auw* reversa, a parocho spiritaliter recta, in impensissimam vitam deprecationis et apostolatus incubuit. Post annum exactum et aliquot alios conatus alia ineundi Instituta, statuit tandem particeps fieri Monasterii Mariae Auxiliatricis loci *Altstätten,* in pago Sancto Gallo, ubi recepta est die 12 mensis Novembris anno 1867.

In Monasterio, paupérrimo et paucis instructo Sororibus aetate provectis, vigebant Regula Tertii Ordinis Sancti Francisci et Statuta a Papa Urbano VIII approbata anno 1625. Die 4 mensis Maii anno 1868 vestem induit franciscanam et nomen sumpsit Sororem Mariam Bernardam a Sacro Corde Mariae. Die 4 mensis Octobris anno 1871 Deo summo et unico bono per professionem perpetuam in omne tempus se consecravit.

A die introitus in Monasterium Mariae Auxiliatricis, Mariae Bernardae vita demissa et caritas industria necnon sacrificii spiritus Sorores sodales

aedificare non destiterunt, quae in eam oculos convertebant tamquam in perfectionis religiosae spectatum exemplar. Primum nominata est novitiarum magistra (quo munere functa est annis 1879-1888) et deinde Mater Auxiliatrix (vel Vicaria) et prima Antistitae Consiliatrix (armis 1879-1880). Anno 1880 est Monasterii Antistita electa. Cum huius difficultates cognosceret et necessitates, non est morata in cogitando quid esset faciendum. Permissu Episcopi, deprecatione sustenta et severis paenitentiis, Monasterii reformationem incepit, operam navando regulari observantiae instaurandae et impedimentis atque malis usibus tollendis.

Dum meditabatur de « domo additicia » Monasterii, in qua, praeter adorationem eucharisticam perpetuam, religiosae vivere possent in perfecta franciscana paupertate, Servae Dei propositum est ut in terra Americana actionem missionalem inchoaret. Episcopus enim Portus Veteris in Aequatoria, cum audivisset de Monasterio Mariae Auxiliatricis deque eius Antistita, ad Servam Dei scripsit pollicens ei dioecesim suam tamquam campum missionalem. Dies erat 31 mensis Octobris anni 1887. Episcopi litterae multam excitaverunt inflammationem et numerosae religiosae se paratas dixerunt ad proficiscendum in novum laboris apostolici campum.

Initialibus Episcopi Sancti Galli recusationibus superatis, et indulto pontificio obtento, die 19 mensis Iunii anno 1888 Soror Maria Bernarda et sex sociae a loco *Altstätten* profectae sunt ad Aequatoriam et ad sedem pervenerunt post multas difficultates, in quas per longum iter delapsae erant, die 29 subsequentis mensis Iulii. Ex hoc globo, Servae Dei opera, orta est Congregatio Sororum Franciscanarum Missionariarum a Maria Auxiliatrice, quae nunc est iuris pontificii.

Una cum filiabus suis « omnibus omnia » facta, fecundae suae missionalis industriae fundamentum iecit paupertatem et fidelitatem erga Ecclesiam et ad suae religiosae consecrationis officia. Cito primi fructus maturuerunt et eius gentis vita christiana mirandum in modum refloruit.

Attamen, sicut omni operi accidit, quod Deus vult, etiam missionalis industria Mariae Bernardae eiusque filiarum est crucis mysterio signata. Primum multae pravae interpretationes tum episcopi Sancti Galli, tum episcopi Portus Veteris, feliciter superatae etiam propter Servae Dei humilitatem et oboedientiae spiritum, et postea discessio ab Instituto nonnullarum Sororum, Mariam Bernardam gravibus affecerunt doloribus. Insuper anno 1895 Maria Bernarda eiusque Sorores sodales coactae sunt, episcopo consentiente, Portu Vetere fugere ut se subtraherent a violenta persecutione viribus Ecclesiae hostilibus concitata.

Sed Dominus Servam suam ducebat in viis arcanis et providis. Die 2 mensis Augusti anno 1895, Maria Bernarda et eius Sorores, ex Aequatoria exsules, Carthaginem Columbiae pervenerunt paterno more ab episcopo hospitio acceptae in ala valetudinarii pro mulieribus, quod « Opera pia » vocabatur. Ibi Serva Dei omnia iterum inchoare debuit, paupertatem obire et praesertim iuventutis formationem christianam curare. Numero Sororum aucto, Domus Carthaginensis alias condidit Domos, non solum in Columbia, verum etiam in Austria et in Brasilia.

Die 12 mensis Ianuarii anno 1912 novum hoc religiosum Institutum ab archiepiscopo Carthaginis Columbiae approbationem obtinuit.

Dum prudenter prospiciebat regimini, confirmationi et incremento suae Congregationis et formationi Sororum, quas tamquam mater diligebat, Serva Dei continuos fecit progressus in christianarum virtutum exercitio et altum est adepta perfectionis gradum. Fides, spes, caritas totius eius vitae, omnium eius verborum et operum lumen fuerunt.

Ut gloriam Dei consequeretur atque animarum salutem et necessitatibus spiritalibus et materialibus sub veniret pauperum, aegrorum et iuvenum, fortiter et tranquille non pauca oppetivit incommoda et labores. A mundo aliena et ab omni vanitatis genere, magni paupertatem fecit et divinae est Providentiae confisa. Vehemens apostolica navitas robusta vita interiore animabatur et firmabatur, quam continua cum Deo coniunctione alebat, deprecatione, perfecta voluntati Dei oboedientia, diligenti regulae et religiosorum votorum observantia, peccati fuga. Fervidam coluit pietatem erga Sanctissimae Trinitatis mysterium, Eucharistiam, Christi passionem et Virginem Mariam. Ecclesiam amavit et semper magnam venerationem et obsequium praestitit Romano Pontifici, Episcopis et Sacerdotibus.

Sicut exoptabat in Capitulo anno 1920 acto, non est iterum creata Antistita Generalis, sed munus ei delegatum est Adiutricis Generalis. Ultimos egit annos in humilitate et in deprecatione, novae Antistitae Generalis oboediens « sicut novitia ». Pie Carthagine est vita defuncta die 19 mensis Maii anno 1924, a sororibus sodalibus observata et dilecta, quae eam sanctam habebant.

Sanctitatis fama durante, archiepiscopus Carthaginis Columbiae initium fecit canonizationis Causae per processum ordinarium informativum, qui annis 1949-1951 est celebratus, cui adiuncti sunt rogatoriales Basileensis, Lagensis, Palmensis et Sanctae Mariae. Die 15 mensis Iulii anno 1974 proditum est decretum super Causae introductione et paulo post decretum super non cultu. Celebrati deinde sunt processus apostolici Carthaginensis

(annis 1975-1979) et Campitemplensis (annis 1976-1977), quorum auctoritas et vis decreto diei 26 mensis Februarii anni 1982 agnita est. Secundo cum exitu die 5 mensis Aprilis anno 1991 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum actus est praesidente Rev.mo Fidei Promotore Antonio Petti. Patres porro Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria collecti die 15 mensis Octobris eodem anno, Causae Ponente Exc.mo Domino Ottorino Petro Alberti, archiepiscopo Calaritano, agnoverunt Servam Dei Mariam Bernardam Butler heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Bernardae Butler, Fundatricis Sororum Franciscanum Missionariarum a Maria Auxiliatrice, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. 83 S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

VI

GUADALAIAREN.

DECRETUM

Canonizationis Servae Dei Vincentiae a Sancta Dorothea (in saec.: Dorotheae Chávez Orozco), Fundatricis Congregationis Ancillarum a SS.ma Trinitate et a Pauperibus (1867-1949).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Caritas Christi urget nos, aestimantes hoc quoniam, si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est, ut et, qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit » *(2 Cor* 5, 14-15).

Christi amore impulsa et eius regni incremento operam navandi voluntate, Mater Vincentia a Sancta Dorothea (in saeculo Dorothea Chávez Orozco) ad serviendum Domino Iesu iisque, quorum personas induere voluit, pauperibus nempe et aegrotis (cfr. *Mt* 25, 35 ss.) se dedit.

Serva Dei in oppido *Cotija,* intra fines posito provinciae *Michoacan* in Mexico, die 6 mensis Februarii anno 1867 est orta ab Aloisio Chávez et Benigna de Jesús Orpzco, legitimis coniugibus, bonorum terrestrium indigentibus, non autem spiritalium, quae filiis suis tradiderunt. De primis Dorotheae annis quinque et viginti, quos domi egit in oppido patrio et deinde Coculae ac Guadalaiarae, non multas habemus notitias, sed tamen quae satis sunt ad affirmandum illos simplicitate, impigritate, Eucharistiae ac Poenitentiae sacramentorum frequentatione insignes fuisse, necnon erga Iesum Infantem pietate, occultationis studio.

Die 20 mensis Februarii anno 1892, parochi sui instantiae cedens, in parvo valetudinario paroeciali se recepit ut pleuritidem curaret, quae in peius versa erat. Ibi ex morbo con valuit et per infirmorum servitium Deo se dedere statuit. Idcirco cum paucis aegrorum ministris, quae ad idem pertinebant valetudinarium, se congregavit et die 25 mensis Decembris

anno 1895 vota privata cum iisdem suscepit oboedientiae, paupertatis et castitatis.

Interea valetudinarium sedem mutaverat et gradatim augescebat; aegrorum ministrarum globus, contra, gravium internarum difficultatum tempus transegit, propter quas omnes discesserunt, praeter Dei Servam, quae locum non reliquit, quam ob causam lapis angularis et anima quodammodo facta est futurae Congregationis religiosae, cuius Conditrix habetur. Discrimine victo, aegrorum ministrarum coetus per novas sodales recollectus est. Anno 1902 « Servae Pauperum » appellatae sunt et anno 1905 ab archiepiscopo Guadalaiarensi Iosepho de Jesús Ortíz sunt approbatae uti familia religiosa iuris dioecesani. Serva Dei, quae semper in sua manserat vocatione et pauperum assiduitatis studiosa fuerat, anno 1910 est novitiarum magistra nominata; eodem anno vota simplicia nuncupavit nomine capto Maria Vincentia a Sancta Dorothea. Deinde est ei delegatum munus Antistitae nosocomii a Sancto Vincentio de Paul denominati, in urbe siti *Zapotlán El Grande,* atque in primo Capitulo Generali, anno 1913 acto, est Antistita Generalis electa. Die 2 mensis Decembris anno 1915 vota nuncupavit perpetua.

Ea regente Institutum, difficilibus et acerbis superatis casibus, novis conditis domibus crescere perrexit. Attamen anno 1925, novus valetudinarii Guadalaiarensis « Sanctissimae Trinitatis » rector immerito coepit in Congregationis regimen se interponere eique disciplinam iniunxit a duabus religiosis suggestam, sed nec a sororibus sodalibus probatam nec a Serva Dei. Haec, cum pristinum Operis spiritum servare niteretur, est vel contumaciae accusata et munus Antistitae Generalis ut deponeret invitata: quod quidem mira cum celeritate fecit et humilitate. Primum deinceps Antistita creata est in urbe *Zapotlán El Grande* (anno 1926), deinde iterum Antistita Generalis electa anno 1929: quod munus usque ad annum 1942 sustinuit, cum in eius locum religiosa quaedam successit, quae, quoniam gratiam et auctoritatem non ferebat, qua Serva Dei in Congregatione valebat, eam non paucis acerbitatibus afflixit et indignitatibus. Haec dura condicio anno 1948 mutata est, cum Antistita Generalis est facta Mater Maria Aurora Santana; sed iam Serva Dei ad sui terreni itineris exitum pervenerat: namque die 30 mensis Iulii exstincta est anno 1949, a sua communitate venerata et spiritaliter curata ab archiepiscopo Guadalaiarensi Iosepho Garibi Rivera, qui eam magni existimabat.

Vita Servae Dei Vincentiae a Sancta Dorothea continuus fuit progressus in via perfectionis christianae, quam est assecuta humili Domini Iesu imitatione, accurata officiorum in Deum et in proximum exsecutione, diu-

turna crucis experientia, quam semper singulari cum fortitudine et patientia gerebat. Ex perfecta vixit fidelitate erga suam consecrationem et cum amore, diligentia ac laetitia munus explevit, quod ei Providentia crediderat, pro suo Instituto, pro pauperibus, aegrotis et societate Mexicana, tunc acribus vexata discidiis et legibus Ecclesiae eiusque operibus contrariis. In eiusmodi socialibus condicionibus, quibus opus erant iustitia et pax, Serva Dei splendidum dedit testimonium bonitatis, lenitudinis, effectivae maerentium et pauperum sedulitatis, facilitatis ad excusandos et indulgentiae ad prosequendos eos, qui difficultatum et aegritudinum ei causa fuerunt. Et haec sane potuit quia se ipsam neglexit et, divino auxilio fisa, Christi lineamenta in se reddidit consueto christianarum virtutum exercitio.

Fide nisa, firmiter in verbum Dei credidit et in supremum Ecclesiae magisterium; piam coluit sacrorum frequentationem, Sanctarum Litterarum cognitionem, coniunctionem cum Domino, assiduam deprecationem, fervidam pietatem in Eucharistiam, in Iesu Passionem, in Virginem Mariam.

Animadvertit sibi esse lucem fidei diffundendam inter Sorores, aegros, medicos, Ecclesiae inimicos et peccatores, pro quorum conversione deprecabatur et se reprimebat. Dei amore incensa conata est per omnia ei placere, quam optime eius facere voluntatem et sine intermissione pro eius gloria laborare.

Caritate locuples fuit, sedulitate, clementia in suas Sorores, quas manu forti et materna in Dei viis direxit et in spiritali ac corporeo aegrorum servitio: quibus assedit, ut eos curaret, consolaretur et adduceret ad dolorem accipiendum. Seminarii alumnos pauperes adiuvit; sacerdotes grandes natu excepit, curationis expertes, et sacerdotes in difficultatibus versantes. Summopere spei virtutem coluit, soli Deo confisa et Providentiae auxilio; interiore cum tranquillitate improbationes subiit, iniustitias, pericula ex temporis iniquitate proficiscentia; honores, divitias et quodlibet aliud terrestre bonum pro nihilo duxit, bona cupiens aeterna. Prudens fuit in Instituti regimine sustinendo, iusta in Deum et in proximum, fortis in sua vocatione sequenda inque dolore et eventibus etiam arduis, in cibo ac in vestibus moderata, superioribus obsequens, pauper, casta et humilis.

Tam probi mores hominum eius aetatis animos in eam converterunt, qui eandem sanctam habuerunt. Huiusmodi sanctitatis fama post eius mortem firmata est et aucta: qua re archiepiscopus Guadalaiarensis canonizationis Causae initium fecit per processus ordinarii informativi celebrationem (annis 1966-1967), quem secutus est processus cognitionalis (annis

1977-1981), instructus ad normam M. P. «Sanctitas clarior». Decretum super scriptis promulgatum est die 31 mensis Maii anno 1974, et decretum super processuum auctoritate et vi die 5 mensis Maii anno 1983. Positionis praeparatione ad finem adducta, sunt Servae Dei virtutes inspectae. Die 26 mensis Aprilis anno 1991 exitu cum secundo actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris, praesidente Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Congregatione Ordinaria diei 5 mensis Novembris eiusdem anni, Causae Ponente Exc.mo Domino Paulino Limongi, archiepiscopo titulari Nicaeensi in Haemimonto, Servam Dei Vincentiam a Sancta Dorothea virtutes théologales, cardinales et adnexas heroum in modum exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Vincentiae a Sancta Dorothea (in saec.: Dorothea Chávez Orozco), Fundatricis Congregationis Ancillarum a SS.ma Trinitate et a Pauperibus, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

VII

LUCEN.

DECRETUM

Canonizationis Servae Dei Anitae Cantieri virginis e tertio Ordine saeculari B. M. V. de Monte Carmelo (1910-1942).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

«Adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia » *(Col* 1, 24).

In iis, qui a Deo vocati sunt ad communicandam coniunctius Christi passionem et ad arduum munus eius regni incremento operam navandi per dolorum suorum oblationem, est sane annumeranda Serva Dei Anita Cantieri, quae cum laetitia atque perseverantia non paucos nec leves suos obtulit dolores pro Dei gloria, pro peccatorum conversione, pro sacerdotum sanctificatione ac in suo cubiculo, in quod morbo relegata erat, multum et fructuosum explicavit apostolatum pro sua communitate paroeciali et personis, quae eam salutatum ibant ut consilia peterent ac solacia.

Orta ea est in suburbano Lucensi die 30 mensis Martii anno 1910 a coniugibus Davino Cantieri et Annuntiata Fanucchi, in exigua quidem bonorum condicione viventibus, sed alta imbutis religione. Die 3 mensis Aprilis baptismum accepit, Maria, Bruna et Anita vocata, hocque nomine est plerumque appellata. Die 7 mensis Maii anno 1915, vix annorum quinque alita est primum eucharistico Pane et mense Octobri eodem anno sacramentum accepit Confirmationis.

Ludi litterarii frequentatione perfecta, ab anno 1922 ad annum 1929 scholam laboris frequentavit, quam Lucae regebant Sorores a Sancta Dorothea, magistras et condiscipulas aedificans suis virtutibus, quae iam tum singulares apparebant. In ea enim, duodecim annos nata, magna facta est mutatio quam ipsa definire solebat « conversionis gratiam », et inde initium habuit celer eius spiritalis ascensus, ardenti Crucis et Eucharistiae signatus amore. Vocatione ad vitam consecratam animadversa, Institutum Sororum

a Sancta Dorothea ingredi voluisset, sed hoc votum ad effectum adduci non potuit, non tamen ob causas in Servae Dei voluntate positas.

Viginti aetatis annis expletis, moderatoris spiritus consilium sequens, in probandatum intravit (anno 1930) Tertiariarum Carmelitidum conventus Florentini « Corpus Domini » denominati, citoque impensa eminuit vita interiore et ardenti cupiditate Christum sequendi per omnia. Alacriter Regulas observabat, superioribus obsequebatur, facilis et affabilis in sodales, occultationis studiosa, in pietate fervida, in omni actu prudens. Laeta erat via, in quam se dederat et libenter sane perseveravisset, sed fere post quattuordecim menses ad redeundum domum adacta est, quoniam eius valetudo labescebat. Magna profecto cum aegritudine communitatem suam reliquit, pro certo tamen habens posse se extra conventum sanctam fieri. Aliquamdiu speravit fore ut Carmelitidum vitam redintegrare posset; verum valetudo alternis vicibus mutans eam impedivit. Consilium demum introeundi in monasterium deponere debuit propter manifestam phthisim pulmoneam et interaneam, deinde tenuis intestini et coli necnon peritonaei inflammatione oborta difficiliorem factam et, ultimis temporibus, etiam interaneo tumore.

Lecto tenta octo annos fere sine intermissione, viva cum fide, magna cum tranquillitate et interiore vi suam baiulavit crucem et potius quam se sibi dederet, plus plusque Dei amori et proximi patefacta est. Volens humus esse fertilis gratiae Dei, morbum suum in sanctificationis viam mutavit et apostolatus. Scripsit: « Si verum est vitam meam finem non habere materialem, verum est etiam alium multo praestabiliorem habere, quandoquidem est ab ipso Deo paratus, finem scilicet patiendi et quidem pro eius gloria patiendi, pro animarum salute et animae meae sanctificatione, sicut ab initio statui ».

Calendis mensis Iulii anno 1935 excepta est in Tertium Ordinem saecularem Carmelitarum et in vestitione nomen sumpsit Teresiam a Iesu Infante, in honorem Sanctae Teresiae Lexoviensis: « Ut — scripsit — mihi exemplo sit eius erga Deum obsequium et fiducia, quem totis expeto viribus, utque in nova hac Carmelitarum vita mea sit patrona: quae vita ut omnino talis sit, vere nihil mihi deest, nec clausura, nec cella, nec incommoda ».

Valetudinis infirmitate neglecta, post paucos menses, durum est iter ingressa ut sacram faceret peregrinationem Lapurdum. In valetudinario Cottolengo consistens, non suam ultra exoptavit sanationem, sed aliorum miserorum. Lapurdo reversa plus amore Dei capta est: « Domine, omnia accipe, quae possideo; solum da mihi amorem; amplius fac cor meum, ut recipere possim abundantiam, quam spero te, pro tua bonitate, esse mihi

servaturum; o Iesu, solus potest me amor tuus consolari; nullum alium cupio, nisi te, et tum solummodo, cum cor meum in flammam erit ardentem mutatum, felix ero, cogitans te contentum esse posse et animas omnes inde utilitatem percepturas ».

Domini amori proximi inseruit amorem. Nisa est in familia pacem parere et benignitatem, et in paroecia non paucorum inceptorum fautrix fuit et auctrix. Anno 1936 in sodalicium « Regnum Christi » nominatum est nomen professa; anno 1937 particeps facta est Actionis Catholicae, cuius quasi anima fuit cuique multum profuit consilio, labore ordinativo, sociorum admotione, suarum acerbitatum et deprecationum oblatione. Vocationibus sacerdotalibus studuit excitandis, Evangelio propagando in missionum terris. Nihil exoptavit aliud, nisi Dei gloriam et salutem animarum. Haecque cum simplicitate fecit, humilitate, prudentia et mira cum magnanimitate ad mortem usque.

Omnino Dei voluntati obsequens et a se aliena atque a mundi rebus, in vitam introivit aeternam, quam appetebat, die 24 mensis Augusti anno 1942, a familiaribus et ab iis, qui eam cognoverant, dilecta et venerata. Quamvis bellum fureret, magno cum fidelium concursu funus factum est, qui verae Christi discipulae officium et cultum tribuere voluerunt, quae in humilitate inque infirmitate lucerna fuerat ardens fidei, spei et caritatis.

Sanctitatis fama, qua in vita et in morte fruita est, subsequentibus annis confirmata est et aucta; quam ob rem archiepiscopus Lucensis Causam inchoavit canonizationis per processus ordinarii informativi celebrationem (annis 1954-1951). Die 15 mensis Iunii anno 1960 proditum est decretum super scriptis et die 11 mensis Iunii anno 1977 decretum super Causae introductione. Apud eandem Curiam Lucensem est processus apostolicus celebratus (annis 1979-1982), cuius auctoritas et vis decreto agnita est die 15 mensis Iunii anno 1984 edito. Sunt deinde Servae Dei virtutes inspectae. Die 26 mensis Martii anno 1991, felici cum exitu Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum est actus, Rev.mo Fidei Promotore Antonio Petti praesidente. Dein Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria die 15 mensis Octobris eodem anno habita, Causae Ponente Exc.mo Domino Hieronymo Grillo, episcopo Centumcellarum-Tarquiniensi, Servam Dei Anitam Cantieri heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Anitae Cantieri, virginis, e Tertio Ordine Saeculari B. M. V. de Monte Carmelo, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

VIII

NEMAUSEN.

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Emmanuelis d'AIzon sacerdotis, Fundatoris Congregationum Augustinianorum ab Assumptione et Oblatarum ab Assumptione Religiosarum Missionariarum (1810-1880).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Ad hoc nata est Ecclesia ut regnum Christi ubique terrarum dilatando ad gloriam Dei Patris, omnes homines salutaris redemptionis participes efficiat, et per eos mundus universus re vera ad Christum ordinetur » (Conc. Oecum. Vat. II, Decretum de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem,* 2).

Ecclesiae muneri, columnae et firmamenti veritatis (cf. *1 Tim* 3, 15), singulari cum fervore operam navavit sacerdos Emmanuel d'AIzon, qui Dei incensus amore et animarum, multiplicem et fructuosum explicavit aposto-

latum ac pastoralibus coeptis non paucis in aetatis suae societatem evangelii intulit fermentum et catholicae doctrinae lumen, egregie ita conferens ad Christi regni in terris incrementum.

Dei Servus, Andreae Henrici d'AIzon atque Mariae Ioannae dementiae de Faventine, legitimorum coniugum, qui generis nobilitati et divitiis altam iungebant religionem, maximus natu, in oppido *Vigan,* intra fines Gardonensis regionis posito, die 30 mensis Augusti ortus est anno 1810 et subsequentis mensis Septembris die 2 baptizatus. Calendis Iuliis anno 1824 primum Eucharistico Pane se aluit ac aliquot post dies Confirmationis accepit sacramentum.

A puero praecocem ostendit pietatem, pauperum observantiam et indolem promptam, sinceram atque alacrem. Tredecim annorum parentes est Lutetiam Parisiorum secutus, ubi suam continuavit formationem in Sancti Aloisii ephebeo (annis 1823-1824), in ephebeo Stanislao (annis 1824-1828), apud quod est prima laurea, id est baccalaureatu, donatus in litteris, et ad ultimum in Sorbonensi Universitate, ubi studiorum ordinem iuris frequentava (annis 1828-1830).

Annis, quos Lutetiae Parisiorum egit, cum pluribus doctis catholicis amicitiam fecit, congressionibus interfuit Congregationis Marianae, a Patribus Societatis Iesu rectae, et Consociationis Defensionis Religionis Catholicae atque Sodalicii Bonorum Operum particeps fuit, quod aegrotos visitare in valetudinariis proponebat. Cum animadvertisset se a Domino ad sacerdotium vocari et ad apostolatum pro religione tuenda populoque eius renovando, anno 1833 Seminarium est ingressus Montis Pessulani; sed, accuratiorem cupiens formationem, Romam se contulit, ubi in studium inque deprecationem incumbens, ad sacrum presbyteratus Ordinem se praeparavit, quem die 26 mensis Decembris accepit anno 1834. Eodem anno damnatus est sacerdos E. de Lamennais, cui iuvenis d'AIzon magnopere copulabatur. Hic tamen Litteris Encyclicis verbis *Singulari Nos* incipientibus ob temperavi^ iam tum modum significans suae erga Christi Vicarium fidelitatis.

Postquam ad dioecesim reversus est, ad quam pertinebat, Nemausensem nempe, Canonicus honorarius et Vicarius generalis honorarius nominatus est; deinceps, quadraginta fere annos (ab anno 1839 ad annum 1878) munere est functus germani Vicarii generalis, ministrum se praebens diligentem, probum ac ingeniosum episcopis domino Cart, domino Plantier et domino Besson. Eodem tempore indefatigabili cum ardore apostolico fidei culturaeque christianae disseminandae, operibus caritatis exercendis atque Ecclesiae iuribus defendendis se dedidit. Evangelica invocatio « adveniat regnum tuum » *(Mt* 6, 10) eius fuit vitae ratio et actionis ad mortem usque.

Hinc alacer fuit verbi Dei minister, expetitus confessarius, sapiens multarum animarum spiritalis moderator, in quibus fuit beata Maria Eugenia a Iesu (in saeculo: Anna Eugenia Milleret de Brou), scholarum catechismi fautor, exercitationum spiritalium in solitudine actarum, operum pueris, adulescentibus, senibus, militibus, puellis a recta via abductis, aegris in suis domibus, pauperibus curandis.

Anno 1843 regere coepit parvum et concidens Assumptionis ephebeum, illudque in sedem mutavit praestigiosam litterarum, scientiae et christianae religionis excolendae, quae « Domus Assumptionis » appellabatur. Anno 1845 fundamenta iecit Congregationis Augustinianorum ab Assumptione, ut Dei regnum dilataret Ecclesiaeque serviret institutione, missionibus et caritatis operibus. Episcopo domino Cart consentiente die 25 mensis Decembris anno 1850 priora vota religiosa nuncupavit. Insequenti anno coram praeceptoribus et alumnis Domus Assumptionis perpetuam fecit professionem, solitis tribus voto addito apostolatum colendi, in hanc formam redacto: « Insuper specialiter promitto me regnum Domini Nostri Iesu Christi pro viribus propagaturum apud animas tam christianorum quam infidelium». Ut praeceptionem in Gallicis scholis christiana nota distinguerei ac plenam adipisceretur docendi libertatem, commentarios condidit, qui inscripti sunt « La Revue de l'enseignement chrétien », et aliquot mensibus ante mortem commentarium menstruum, cui « La Croix » titulus erat, ad catholicam causam defendendam.

Quaestionibus etiam socialibus consuluit et praecipue iis, quae ad operarios respiciebant atque huius rei causa in sua dioecesi consilia catholica instituit ad progressionem socialem et christianam opificum consequendam. Summo Pontifice Pio IX exoptante curam adhibuit de fratribus Orthodoxis ad Christi unum ovile reducendis; utque id assequeretur in Bulgariam suos misit Religiosos. Anno 1865 Congregationem Oblatarum ab Assumptione constituit, quarum erat fratres sodales in Orientis missionibus adiuvare. Per sacrarum Peregrinationum Opus renovationi religiosae favit et per Opus Dominae Nostrae a Vocationibus nisus est discrimen continere vocationum sacerdotalium et religiosarum. Multiplicibus coeptibus amorem auxit erga Ecclesiam et Romanum Pontificem. Suum episcopum dominum Plantier inter Concilium Vaticanum I Romam comitatus est.

Numerosae apostolicae eius industriae, quas hic parte tantum memoravimus, alimentum hauriebant, lucem et vim de alta fide qua afficiebatur cuique, non raro difficultatibus, doloribus acerbitatibusque subactae, congruenter vivebat. Mente et corde verbo Dei et veritatibus ab Ecclesia declaratis est assensus et forti animo eas est aperte atque constanter testifi-

catus. Suis discipulis repetere solebat: « In veritate maneamus, veritati serviamus, veritatem testificentur, propagemus, sicque nostrum officium erit expletum ». Voluit idcirco veritatem salvantem, hoc est Christum ipsum (cf. *Io* 14, 6), integram et puram nuntiari diversis populi ordinibus in Institutis quae bonam disciplinam adiuvabant, in ambitu culturae et laboris et etiam in terris missionis, quo anno 1860 suos miserat religiosos.

Erga Dominum Iesum ardenti flagravit amore, qui eius fuit magister, amicus et exemplar, quod semper imitari conatus est cum humilitate et perseverantia, prompte et diligenter eius voluntatem faciendo ac se ipsum totum gloriae Patris caelestis tradendo. Suam cum Deo coniunctionem aluit contemplatione, deprecatione, divinorum mysteriorum celebratione, in Eucharistiam ac Christi Passionem pietate ipsisque apostolatus operibus. Non minus autem Virginem Mariam coluit.

Singulari impulsus caritate in proximum, impigre studium suum ad populum et clerum dioecesis Nemausensis detulit, ad Congregationes Operaque, quae ipse condiderat necnon ad eos, qui eius indigebant auxilii, tum ad spiritum tum ad corpus pertinentis. Ut eorum consequeretur bonum fortiter et patienter difficultates, incommoda obibat, utque aptius usque instrumentum esset in animarum servitio, ultro paenitentias atque vitae asperitates addebat. Pro certo enim habebat apostolatus ardorem et vim deprecationi inesse et sacrificio, ac sine gratia divina et Providentiae auxilio suos labores nihil esse profuturos. Cum prudentia coluit et fovit erga Deum et proximum iustitiam suosque filios et filias spiritales in via rexit perfectionis christianae; diligenter vota religiosa et regulam observavit ad quam se contulerat; fidelitatis studiosus fuit atque sinceritatis.

Meritis refertus et ab iis desideratus, qui eum cognoverant, pie exstinctus est die 21 mensis Novembris anno 1880, postquam exclamavit: « Iesu mi, te amo ».

Sanctitatis fama, quam sibi vivus conciliaverat, post mortem quoque duravit, sed canonizationis Causa, ob rationes ad eam non pertinentes, nonnisi inchoari potuit anno 1931 per processus ordinarii informativi Nemausensis celebrationem (annis 1931-1934), quem secuti sunt rogatoriales Hierosolymitanus, Atrebatensis et Parisiensis, quorum auctoritas decreto die 25 mensis Iulii edito agnita est, anno 1986. Anno 1959 promulgatum est decretum de non cultu et anno 1967 decretum super scriptis Servo Dei tributis. Post Causae introductionem, decreto diei 29 mensis Maii anni 1958 concessam, instrumenta collecta sunt ad Dei Servum atque ad canonizationis Causam spectantia. Positionis praeparatione ad finem adducta, sunt secundum normas inspectae virtutes. Die 12 mensis Februarii anno 1991, fe-

liei cum exitu, actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, Fidei Promotore Rev.mo Domino Antonio Petti praesidente. Die 19 mensis Novembris eodem anno Patres Cardinales et Episcopi, qui in Congregationem Ordinariam convenerant, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Francisco Pironio, Servum Dei Emmanuelem d'AIzon virtutes théologales, cardinales et adnexas heroum in modum exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Emmanuelis d'AIzon, Sacerdotis, Fundatoris Congregationum Augustinianorum ab Assumptione et Oblatarum ab Assumptione Religiosarum Missionariarum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. SS.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus PP. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 7 Aprilis 1992. — Titulari episcopali Ecclesiae Maurensi R. D. Entium Dieci, hactenus paroeciae Pretiosissimi Sanguinis D.N.I.C, in Urbe curionem, quem deputavit Auxiliarem Almae Romanae dioecesis.

die 16 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Nuorensi Exc.mum P. D. Petrum Meloni, hactenus Episcopum Templensem-Ampuriensem.

die 27 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Taraquensi, R. D. Ioannem S. Knight, e clero dioecesis Sanctae Catharinae in Ontario, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Torontinae.

— Titulari episcopali Ecclesiae Remasianensi, R. D. Nicolaum De Angelis, Congregationis Filiorum Immaculatae Conceptionis Superiorem Generalem, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Torontinae.

die 29 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Sancti Leonis, R. D. Iacobum Faivre, e clero Lugdunensi, hactenus Vicarium Generalem, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D.ni Alberti S. R. E. Cardinalis Decourtray, Archiepiscopi Metropolitae Lugdunensis.

— Metropolitanae Ecclesiae Sorocabanae, noviter erectae, Exc.mum P. D. Iosephum Lambert, C.S.S., hactenus Episcopum eiusdem sedis.

— Cathedrali Ecclesiae Sinceleiensi R. D. Nel Hedye Beltrán Santamaría, e clero Barrancabermeiensis dioecesis, hactenus Moderatorem Secretariatus nationalis pro actione pastorali sociali et caritativa Conferentiae Episcoporum Columbiae.

die 5 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Aufenensi Exc.mum P. D. Eustachium Pastorem Cuquejo Verga, C.SS.R., hactenus Episcopum Praelatum De Parania Superiore, quem deputavit Ordinarium Castrensem in dicione Paraguaiana.

die 13 Maii. — Episcopum coadiutorem dioecesis Villavicentiensis Exc.mum P. D. Alfonsum Cabezas Aristizábal, hactenus Episcopum titulo Zamensem minorem et archidioecesis Caliensis Auxiliarem.

die 20 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Aucensi, R. P. Georgium Bergoglio, S.I., quem constituit Auxiliarem archidioecesis Bonaërensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Enerensi, R. D. Radulfum Omarum Rossi, parochum paroeciae « Nuestra Señora de Balvanera » in civitate Bonaerensi, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Bonaërensis.

die 27 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Tubaraoënsi Exc.mum P. D. Hilarium Moser, S.D.B., hactenus Episcopum titularem Casensem Calanensem.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia PP. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 18 Februarii 1992. — Metropolitanae Ecclesiae Pondicheriensi et Cuddalorensi Exc.mum P. D. Michaelem Augustine, hactenus Episcopum Vellorensem.

die 6 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Hiltensi R. D. Thomam Nguyen Van Tram, quem deputavit Auxiliarem dioecesis Xuanlocensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Auguritensi R. D. Simeonem A. Okafor, hactenus Vicarium episcopalem in dioecesi Avkaënsi, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Lokoianae R. D. Iosephum Ojomo, hactenus rectorem Seminarii maioris Sancti Augustini apud Jos.

— Cathedrali Ecclesiae Ilorensi R. D. Ayo-Mariam Atoyebi, Ordinis Fratrum Praedicatorum sodalem.

— Cathedrali Ecclesiae Yamussukroënsi Exc.mum P. D. Bernardum Agré, hactenus Episcopum Manensem.

die 30 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Morotoënsi Exc.mum P. D. Henricum Ssentongo, hactenus Episcopum titularem Pupianensem ac Auxiliarem Masakaënsem.

— Cathedrali Ecclesiae Kibungensi R. D. Fridericum Rubwejanga, e clero dioecesano Butarensi.

— Cathedrali Ecclesiae Tunduruensi-Masasiensi R. D. Magnum Mwalunyungu, e clero dioecesano Iringaënsi.

— Cathedrali Ecclesiae Gauhatinae, noviter erectae in India, Exc.mum P. D. Thomam Menamparampil, S.D.B., hactenus Episcopum Dibrugarhensem.

— Cathedrali Ecclesiae Ghikongorensi, noviter erectae in Ruanda, R. D. Augustinum Misago, hactenus rectorem Seminarii maioris apud Nyakibanda.

NOMINATIO

Peculiari dato decreto, Congregatio pro Gentium Evangelizatione ad suum beneplacitum renuntiavit:

die 22 Aprilis 1992. — Exc.mum P. D. Basilium Mvé Engone, Episcopum Oyemensem, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum S. Sedis » Muilaënsis dioecesis.

ACTA TRIBUNALIUM

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Responsio in casu particulari seu « in re peculiari » ad propositum quaesitum de statu libero nupturientium.

Vicarius iudicialis dioecesis N. ad hanc Signaturam Apostolicam hoc quaesitum proposuit:

«Attento quod acatholici iuxta can. 11 legibus mere ecclesiasticis non tenentur, et perspecto quod canon 1684, de duplici decisione conformi pro nullitate requisita ut quis novum inire possit matrimonium, est lex mere ecclesiastica, *quaeritur* an liceat assistere matrimonio partis catholicae cum parte acatholica, cuius matrimonium antecedens cum parte pariter acatholica a tribunali Ecclesiae catholicae solummodo in prima instantia nullum declaratum fuerit ».

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo perpensa;

Animadverso quod de libero statu contrahentium constare debet *ad normam iuris canonici,* si ipsi matrimonium coram Ecclesia catholica petunt (cf. cann. 1066; 1085, § 2; 1113-1114); quodque item tribunalia ecclesiastica ad normam iuris canonici procedere debent, si quis, etiamsi acatholicus, eorum ministerium petit;

et considerato quod:

— « Matrimonium catholicorum, etsi una tantum pars sit catholica, regitur iure non solum divino, sed etiam canonico... » (can. 1059); quam ob rem pars acatholica in casu, indirecte saltem, subicitur iuri canonico;

— Iuxta can. 1085, § 2 (qui tuetur ius non mere positivum), non licet matrimonium contrahere « antequam de prioris nullitate aut solutione *legitime et certo* constiterit », evidenter ad normam iuris canonici;

— Ius processuale canonicum agnoscit habilitatem coniugum etiam acatholicorum impugnandi matrimoninm coram iudice ecclesiastico (cf. can. 1674, I° coli. cum can. 1476); praescripta iuris processualis canonici sine dubio etiam in huiusmodi casu vigent et consequenter etiam canon 1684 (sicut et canon '1682);

Visis etiam cann. 1686-1688;

Audito Rev.mo Promotore Iustitiae;

Vi can. 1445, § 3, I°;

In Congressu, die 1 Februarii 1990 coram infrascripto Em.mo Cardinali Praefecto habito, quaesito proposito

respondet:

Negative, seu in casu omnino servanda esse praescripta cann. 1682 et 1684, salvis cann. 1686-1688.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 1 Februarii 1990.

ACHILLES card. SILVESTRINI
Praefectus

83 Zenon Grocholewski, *a Secretis*

In S. Sign. Ap.licae Trib. tab., n. 21256/89 V.T.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza:

Giovedì, 7 **Maggio** 1992, **S. E. il Signor** SALI BERISHA, **Presidente della Repubblica di Albania.**

Venerdì, 8 **Maggio** 1992, **S. E. il Signor** JOHN **A.** E. AMARATUNGA, **Vice Ministro degli Affari Esteri della Repubblica Democratica Socialista dello Sri Lanka.**

Venerdì, 16 **Maggio** 1992, **il Signor** JAN ELIASSON, **Sotto-Segretario dell'Organizzazione delle Nazioni Unite.**

Giovedì, 28 **Maggio** 1992, **S. E. il Maresciallo** MOBUTU SESE SEKO, **Presidente della Repubblica dello Zaire.**

Giovedì, 21 Marzo 1992, il Santo Padre ha presieduto una riunione dei Signori Cardinali Capi dei Dicasteri della Curia Romana.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

10 aprile 1992. Gli Em.mi Signori Cardinali: Roger Etchegaray, Angelo Sodano, Pio Laghi, Edward I. Cassidy, *Membri della Congregazione per le Chiese Orientali.*

23 » » Gli Em.mi Signori Cardinali: Jozef Tomko, Prefetto della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli; José T. Sánchez, Prefetto della Congregazione per il Clero; Fiorenzo Angelini, Presidente del Pontificio Consiglio della Pastorale per gli Operatori Sanitari, *Consiglieri della Pontificia Commissione per l'America Latina.*

23	aprile	**1992.**	Il sig. Guzman Carriquiry, *Membro del Pontificio Comitato per i Congressi Eucaristici Internazionali.*

Protonotari Apostolici soprannumerari:

11	dicembre	**1991.**	Mons. Laureato Maio (Benevento).
18	»	»	Mons. Rocco Sciarretta (Termoli-Larino).
17	gennaio	**1992.**	Mons. Józef Gurda (Kielce).
»	»	»	Mons. Tadeusz Marchaj (Kielce).
»	»	»	Mons. Pietro Bellazzi (Vigevano).
31	»	»	Mons. Anthony D. Muntone (Allentown).
7	febbraio	»	Mons. Stanislaus T. Sypek (Boston).
18	»	»	Mons. Stefan Dobrzaáski (Tarnów).
»	»	»	Mons. Stanislaw Wach (Tarnów).
19	»	»	Mons. Moisés González Lino (San Luis Potosí).
»	»	»	Mons. Juvenal Martínez Lara (San Luis Potosí).
»	»	»	Mons. Juan Manuel Rodríguez Silva (San Luis Potosí).
2	marzo	»	Mons. Renato Bruni (Faenza-Modigliana).

Prelati d'onore di Sua Santità:

4	maggio	**1991.**	Mons. Joseph Steup (Paderborn).
13	»	»	Mons. Jesús Ivan Cada vid Gutiérrez (Santa Fe de Antioquia).
22	»	»	Mons. Robert Simon (München und Freising).
11	giugno	»	Mons. Peter Rummel (Augsburg).
28	»	»	Mons. Raffaele Marone (Nola).
»	»	»	Mons. Olindo Pacia (Nola).
27	luglio	»	Mons. Alois Albrecht (Bamberg).
8	ottobre	»	Mons. José María Mengua! Sendra (Valencia).
11	dicembre	»	Mons. Raouf Najjar (Gerusalemme dei Latini).
18	»	»	Mons. Gotthard Egger (Innsbruck).
26	»	»	Mons. Ovidio Félix Tripodi (Buenos Aires).
»	»	»	Mons. Ernesto Alvarez Valenzuela (Culiacán).
»	»	»	Mons. Alfredo González Pérez (Culiacán).
»	»	»	Mons. Isidro Guerrero Macías (Culiacán).
»	»	»	Mons. José Luis Muratalla Oregel (Culiacán).
7	gennaio	**1992.**	Mons. Alfredo Enrique Frossard (Concordia).
11	»	»	Mons. Fernando Tofanelli (Città di Castello).
17	»	»	Mons. Alfred **Bolle** (Basel).
»	»	»	Mons. Walter J. Edyvean (Boston).
»	»	>>	Mons. John R. McSweeney (Burlington).
»	»	»	Mons. Franciszek Pisulla (Katowice).
»	»	»	Mons. Stanislaw Çzerwick (Kielce).
»	»	»	Mons. Mieczyslaw Marcin Rubak (Kielce).
»	»	>>	Mons. Jan Szarek (Kielce).

17	gennaio	1992.	Mons. Edward Sztafrowski (Kielce).
»	»	»	Mons. Norbert Brunner (Sion).
18	»	»	Mons. Ägidius Leipold (Graz-Seckau).
»	»	»	Mons. Willibald Rodler (Graz-Seckau).
»	»	»	Mons. Severo Ferrer Alcubierre (Ponce).
31	»	»	Mons. Giuliano Marangon (Chioggia).
»		»	Mons. Raimund Amann (Kalocsa).
»		»	Mons. Robert H. Aucoin (Ogdensburg).
»	»	»	Mons. Bernard E. Christman (Ogdensburg).
»	»	»	Mons. John R. Murphy (Ogdensburg).
»	»	»	Mons. Aldo Santoro (Otranto).
»	»	»	Mons. Giuseppe Tundo (Otranto).
»	»	»	Mons. Mikel Koliqi (Shkodrë).
3	febbraio	»	Mons. Santo D Arrigo (Catania).
»	»	»	Mons. Salvatore Nicolosi (Catania).
6	»	»	Mons. Dario Barbaresi (Senigallia).
14	»	»	Mons. Luigi Gatti (Alba).
»	»	»	Mons. Riccardo Ruotolo (Andria).
»	»	»	Mons. Gianfranco Rota Graziosi (Bergamo).
»	»	»	Mons. Petro Esterka (Brno).
»	»	»	Mons. Pavel Kucera (Praha).
»	»	»	Mons. Wilhelmus J.M. Heuvelmans (Roermond).
16	»	»	Mons. Philip Carroll (Hexham and Newcastle).
»	»	»	Mons. Michael E. Hanley (Plymouth).
»	»	»	Mons. Adrian T. Toffolo (Plymouth).
19	»	»	Mons. Joaquín Antonio Peñalosa Santillán (San Luis Potosí)
28	»	»	Mons. Jorge Luis Biturro (Buenos Aires).
»	»	»	Mons. Eduardo Briancesco (Buenos Aires).
»	»	»	Mons. Jaime Garmendía (Buenos Aires).
»	»	»	Mons. Adelio Eugenio Guasta (Buenos Aires).
»	»	»	Mons. Carlos Hernando (Buenos Aires).
»	»	»	Mons. Osvaldo Francisco Musto (Buenos Aires).
»	»	»	Mons. Fernando Carlos Maletti (Buenos Aires).
»	»	»	Mons. Fernando Rodolfo Rissotto (Buenos Aires).
»	»	»	Mons. Jorge Rodé (Buenos Aires).
23	marzo	»	Mons. Simeone Duca (Porto-Santa Rufina).
24	»	»	Mons. Diarmuid Martin (Dublin).

Cappellani di Sua Santità:

26	ottobre	1990.	Il sac. Mariano Ascenzo Bianchi (Camerino-San Severino Marche).
»	»	»	Il sac. Decio Cipolloni (Camerino-San Severino Marche).
»	»	»	Il sac. Amedeo Gubinelli (Camerino-San Severino Marche).
»	»	»	Il sac. Gian Carlo Pesciotti (Camerino-San Severino Marche).
5	dicembre	»	Il sac. Massimo Camisasca (Roma).
21	febbraio	1991.	Il sac. Johannes Schwickerath (Köln).
»	»	»	Il sac. Norbert Trelle (Köln).

4	maggio	1991.	Il sac. Hermann Hierold (Regensburg).
»	»	»	Il sac. Johann Hirtreiter (Regensburg).
»	»	»	Il sac. Heimich Schäffler (Regensburg).
28	giugno	1991.	Il sac. Antonio Corbisiero (Nola).
»	»	»	Il sac. Giuseppe Gambardella (Nola).
»	»	»	Il sac. Michele Mautone (Nola).
»	»	»	Il sac. Vincenzo Vecchione (Nola).
26	luglio	»	Il sac. Wilhelm Gegenfurtner (Regensburg).
8	ottobre	»	Il sac. Angelo Sala (Milano).
18	»	»	Il sac. Stefan Geosits (Eisenstadt).
»	»	»	Il sac. Ernst Schermann (Eisenstadt).
22	novembre		Il sac. Albert Diedrich (Fulda).
»	»	»	Il sac. Alois Korn (Fulda).
29	»	»	Il sac. Lucas Batista Neto (Natal).
»	»	»	Il sac. Francisco Canindé Palhano (Natal).
»	»	»	Il sac. Francisco de Assis Pereira (Natal).
»	»	»	Il sac. Jaime Vieira Rocha (Natal).
6	dicembre	»	Il sac. Geraldo Magela de Faria (Uberaba).
»	»	»	Il sac. Vicente Ambrosio dos Santos (Uberaba).
11	»	»	Il sac. Carmine Donisi (Benevento).
»	»	»	Il sac. Antonio Ra viele (Benevento).
»	»	»	Il sac. Naoum Karadsheh (Gerusalemme dei Latini).
»	»	»	Il sac. Rafiq Khoury (Gerusalemme dei Latini).
»	»	»	Il sac. Giacinto-Boulos Marcuzzo (Gerusalemme dei Latini).
»	»	»	Il sac. §tefan Bàlan (Lugoj dei Romeni).
»	»	»	Il sac. Ioan Deliman (Lugoj dei Romeni).
»	»	»	Il sac. Dumitru Säläjan (Lugoj dei Romeni).
12	»	»	Il sac. Jerzy Hazubski (Wroclaw).
»	»	»	Il sac. Jan Mycek (Wroclaw).
»	»	»	Il sac. Marian Sobczyk (Wroclaw).
20	»	»	Il sac. Francantonio Bernasconi (Milano).
26	»	»	Il sac. Richard D. Saad (Saint Maron of Brooklyn dei Maroniti).
11	gennaio	1992.	Il sac. Giovanni Aloigi (Città di Castello).
»	»	»	Il sac. Giovanni Andream (Città di Castello).
»	»	»	Il sac. Terzilio Biagioli (Città di Castello).
»	»	»	Il sac. Magio Bogliari (Città di Castello).
»	»	»	Il sac. Giuseppe Bologni (Città di Castello).
»	»	»	Il sac. Piero Mariotti (Città di Castello).
»	»	»	Il sac. Giuseppe Pellegrini (Città di Castello).
»	»	»	Il sac. Gino Tanzi (Città di Castello).
15		»	Il sac. Rainer Borig (Mainz).
»	»	»	Il sac. Werner Guballa (Mainz).
»	»	»	Il sac. Klaus-Leo Klein (Mainz).
»	»	»	Il sac. Engelbert Priess (Mainz).
16	»	»	Il sac. Francesco Coluceia (Otranto).
17	»	»	Il sac. Josef Maly (Hradec Králové).
»	»	»	Il sac. Stanislaw Malinowski (Kielce).
»	»	»	Il sac. Benon Olejnik (Kielce).

17	gennaio	1992.	Il sac. Teotônio dos Reis e Cunha (Sorocaba).
»	»	»	Il sac. Anthony Ovrovure Ojagberovwe Erhueh (Warri).
»	»	»	Il sac. Paul A. Okudaje (Warri).
»	»	»	Il sac. Anthony Avwejewu Tokpen (Warri).
18	»	»	Il sac. Luis Daza Osorio (Rancagua).
»	»	»	Il sac. Francesco Marmiroli (Reggio Emilia-Guastalla).
31	»	»	Il sac. Pedro María Espinoza Marín (Barcelona en Venezuela)
»	»	»	Il sac. Günter Assenmacher (Köln).
»	»	»	Il sac. Wilhelm Terboven (Köln).
»		»	Il sac. Alberto Velloni (Limeira).
»	»	»	Il sac. Jerzy Waldemar Syryjczyk (Siedice).
»	»	»	Il sac. Tadeusz Dlubacz (Tarnów).
6	febbraio	»	Il sac. Giovanni Campitelli (Chieti-Vasto).
»	»	»	Il sac. Michelangelo Tumini (Chieti-Vasto).
»	»	»	Il sac. Giulio Capotondi (Senigallia).
»	»	»	Il sac. Umberto Gasparini (Senigallia).
»	»	»	Il sac. Germano Greganti (Senigallia).
»	»	»	Il sac. Umberto Mattioli (Senigallia).
7		»	Il sac. Algirdas Olsauskas (Los Angeles).
14	»	»	Il sac. Theophilus Joseph (Castries).
»	»	»	Il sac. Italo Monticelli (Milano).
»	»	»	Il sac. Jacques Papineau (Montréal).
»	»	»	Il sac. Pierre Saint-Cyr (Montréal).
»	»	»	Il sac. Nicola Lanzi (Roma).
18	»	»	Il sac. Wladyslaw Kostrzewa (Tarnów).
»	»	»	Il sac. Andrzej Pekala (Tarnów).
»	»		Il sac. Józef Poreba (Tarnów).
»	»	»	Il sac. Wladyslaw Szewczyk (Tarnów).
»	»	»	Il sac. Jan Watroba (Tarnów).
»	»	»	Il sac. Stanislaw Gebicki (Wloclawek).
»	»	»	Il sac. Bronislaw Kazimierz Grabowski (Wloclawek).
»	»		Il sac. Zdzislaw Kazimierz Pawlak (Wloclawek).
18	febbraio	»	Il sac. Zygmunt Sobieraj (Wloclawek).
»	»	»	Il sac. Eugeniusz Stachura (Wloclawek).
»		»	Il sac. Leszek Tokarski (Wloclawek).
19	»	»	Il sac. Valentin Zsifkovits (Eisenstadt).
»	»	»	Il sac. Erich Kobilka (Graz-Seckau).
»	»	»	Il sac. Estellino Colombaro (Udine).
»	»	»	Il sac. Emilio De Roia (Udine).
»	»	»	Il sac. Giovanni Luigi Gomboso (Udine).
»	»	»	Il sac. Elia Più (Udine).
»	»		Il sac. Francesco Quai (Udine).
»	»		Il sac. Pietro Tomasino (Udine).
»	»	»	Il sac. Ernesto Zanin (Udine).
18	marzo	»	Il sac. Sergio Lanza (Como).
»	»	»	Il sac. Primitivo López Alonso (Guadalajara).
»	»	»	Il sac. Pasquale Pellecchia (Sora-Aquino-Pontecorvo).
»	»	»	Il sac. Renzo Gerardi (Venezia).

ONORIFICENZE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha conferito:

La Oran Croce dell'Ordine Piano:

22	ottobre	1991.	A S. E. il sig. Andrés Cárdenas Monge *{Ecuador).*
»	»	»	A S. E. il sig. Jacob Bawa Salka *(Nigeria).*
6	febbraio	1992.	A S. E. il sig. Emmanuele Scammacca del Murgo e dell'Agnone *(Italia).*
7	»	»	A S. E. il sig. Ivica Mastruko *(Croazia).*

La Gran Croce dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

9	agosto	1991.	Al sig. Carlos Dante Heredia y García (Barcelona).
18	dicembre	»	Al sig. Roberto Reggiani (Modena-Nonantola).

La Commenda con Placca dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

18	dicembre	1991.	Al sig. Antonio Colombo (Milano).
16	gennaio	1992.	Al sig. Flavio Miragaia Perri *(Brasile).*
25	»	»	Al sig. Antonio Viesti *(Italia).*
7	febbraio	»	Al sig. Gerald Rauenhorst (Saint Paul and Minneapolis)
19	»	»	Al sig. Ernst von Waldstein-Wartenberg (Gurk).
3	marzo	»	Al sig. Carlos Alberto Pessôa Pardellas *(Brasile).*
6	»	»	Al sig. Giuseppe Beretta (Milano).
»	»	. »	Al sig. Lionello Costanza Fattori (Milano).
»	»	»	Al sig. Nicolò Giustiniani (Milano).
	»	»	Al sig. Gianfranco Molteni (Milano).
»	»	»	Al sig. Francesco D'Ottavi (Roma).

La Commenda dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

1	aprile	1991.	Al sig. Josef F. van Campen (Rotterdam).
6	agosto	»	Al sig. Clément de la Ruelle (Ordinariato Militare Francia).
10	ottobre	»	Al sig. Norbert Simon (Berlin).
18	dicembre	»	Al sig. Luigi Paganelli (Modena-Nonantola).
20	»	»	Al sig. Edward De Brandt (Gent).
26	»	»	Al sig. Aldo Serio (Roma).
»	»	»	Al sig. Johannes Fredericus G.A.M. Maas (Rotterdam).
25	gennaio	1992.	Al sig. Giacomo Cabrini (Crema).

25	gennaio	1992.	Al sig. Roberto Conforti *(Italia)*.
3	febbraio	»	Al sig. Angel Losada Garda (Madrid).
5	»	»	Al sig. Antonio Angelucci (Velletri-Segni).
6	»	»	Al sig. Mario Gregori Ferri (Senigallia).
7	»	»	Al sig. Mario Buscemi *(Italia)*.
»	»	»	Al sig. Andrea Fornasiero *(Italia)*.
»	»	»	Al sig. Vincenzo Manca *(Italia)*.
11	»	»	Al sig. Sergio Elias Couri *(Brasile)*.
14	»	»	Al sig. Roberto Pacaccio (Roma).
16	»	»	Al sig. Vitale Artese (Chieti-Vasto).
»	»	»	Al sig. Norbert Nothhelfer (Freiburg im Breisgau).
18	»	»	Al sig. Jan Hinnekens (Mechelen-Brussel).
»	»	»	Al sig. Fernando Faure Gonzalez Paneque *(Cuba)*.
3	marzo	»	Al sig. Edouard Beslay *(Francia)*.
4	»	»	Al sig. Gerhard Riegner *(Svizzera)*.
5	»	»	Al sig. Adriano Riva (Milano).
21	marzo	»	Al sig. Nabih Aziz Berzi (Alessandria dei Copti).
»	»	»	Al sig. Kamal Gayed Rafia (Alessandria dei Copti).
»	»	»	Al sig. Samir Badih Bassilli Yassa (Alessandria dei

Il Cavalierato dell'Ordine di San Gregorio Magno,
classe civile:

23	maggio	1991.	Al sig. Otto Träger (Rottenburg-Stuttgart).
7	giugno	»	Al sig;. Franciscus Johannes Cornelius Korff de Gidts (Rotterdam).
27	luglio	.»	Al sig. Albert Frederik Reinout van Opdorp (Breda).
28	agosto	»	Al sıy. Martinus Petrus Johannes Henricus van Doorne ('s-Hertogenbosch).
20	settembre	»	Al sig. Theodorus Hendricus Heeremans (Haarlem).
30	ottobre	»	Al sig. Henricus M. van der Pas (Rotterdam).
15	dicembre	»	Al sig. Jose Ong (Manila).
26	»	»	Al sig. Gerardus Joseph Slee (Breda).
»	. »	»	Al sig. Antonio Di Franco (Roma).
»	»	»	Al sig. Gerardo Pati (Roma).
16	gennaio	1992.	Al sig. Craswick Win ville King (Castries).
»	»	»	Al sig. Rudolf Bussek (Wien).
»	»	»	Al sig. Rudolf Sommer (Wien).
18	»	»	Al sig', Zafer Karamé (Horns, Hama e Jabrud dei Greci Melkiti).
»	»	»	Al sig. Paul Walter (Metz).
»	»		Al sig. Farris Barket (Saint Maron of Brooklyn dei Maroniti).
»	»	»	Al sig;. Francis R. Slay (Saint Maron of Brooklyn dei Maroniti).
»	»	»	Al sig. Aníbal Colón Rosado (San Juan de Puerto Rico).
24	»	»	Al sig. Balduin Schwarz (Salzburg).
25	»	»	Al sig. Francesco Manenti (Crema).
31	»		Al sig. Simeon Ibadayo Ajay (Ibadan).

31	gennaio	1992.	Al sig. Peter Oluwambe Bodunrin (Ibadan).
7	febbraio	»	Al sig. Richard J. Menn (Monterey in California).
14	»	»	Al sig. Cassio Morselli (Bologna).
»	»	»	Al sig. Pietro Gasparri (Manfredonia-Vieste).
»	»	»	Al sig. Renato lori (Roma).
16	»	»	Al sig. Luciano Di Giammaria (Rieti).
18	»	»	Al sig. René Brunet-Lecomte (Lyon).
6	marzo	»	Al sig. Carmelo Calabro (Milano).
»	»	»	Al sig. Maurizio Stefanizzi (Milano).

La Commenda con Placca
dell'Ordine di San Silvestro Papa:

26	dicembre	1991.	Al sig. Roberto Danesi (Roma).
»	»	»	Al sig. Georg Schneider (Wien).
16	gennaio	1992.	Al sig. Karl Köhler (München und Freising)
16	»	»	Al sig. Domenico Volpe (Roma).
25	»	»	Al sig. Theodor Detter (Wien).
14	febbraio	»	Al sig. Eugenio Antiliei (Roma).

La Commenda dell'Ordine di San Silvestro Papa:

18	aprile	1991.	Al sig. Karlheinz Schmitz (Aachen).
18	dicembre	»	Al sig. Carlo Barbieri (Modena-Nonantola).
»	»	»	Al sig. Giorgio Bettelli (Modena-Nonantola).
»	»	»	Al sig. Giuseppe Neri (Modena-Nonantola).
»	»	»	Al sig. Riccardo Pellati (Modena-Nonantola).
26	»	»	Al sig. Calogero Papa (Palermo).
»	»	»	Al sig. Luigi Bartocci (Roma).
»	»	»	Al sig. Peppino Turchetta (Roma).
11	gennaio	1992.	Al sig. Orlando Fabbi (Reggio Emilia-Guastalla).
»	»	»	Al sig. Oriol Schaedel (Roma).
18	»	»	Al sig. Germán Molina Armas (San Bernardo).
25	»	»	Al sig. Helmut Wyklicky (Wien).
27	»	»	Al sig. Enea Prosperi (Sabina-Poggio Mirteto).
31	»	»	Al sig. Michele Benegiamo (Otranto).
18	febbraio	»	Al sig. Lauro Battuti (Mileto-Nicotera-Tropea).
»	»	»	Al sig. Mario Colloca (Mileto-Nicotera-Tropea).
»	»	»	Al sig. Francesco Conti (Mileto-Nicotera-Tropea).
»	»	»	Al sig. Salvatore Mazzara (Mileto-Nicotera-Tropea).
»	»	»	Al sig. Carmelo Riga (Mileto-Nicotera-Tropea).
6	marzo	»	Al sig. Felice Alberio (Milano).
»	»	»	Al sig. Giuseppe Vismara (Milano).
7	»	»	Al sig. Nello Gemignani (Firenze).

Il Cavalierato dell'Ordine di San Silvestro Papa:

23	novembre	1990.	Al sig. Walter van Berk (Köln).
13	dicembre	»	Al sig. Cesare Castignani (Ancona-Osimo).
1	aprile	1991.	Al sig. Petrus Franciscus Arnoldus Zondag (Utrecht).
24	»	»	Al sig. Alessandro Petitti (Ancona-Osimo).
13	maggio	»	Al sig. Heinz Böller (Köln),
»	»	»	Al sig. Ehrenfried Kulozik (Paderborn).
»	»	»	Al sig. Bernhard Nauen (Paderborn).
23	»	»	Al sig. Josef Parstorfer (Rottenburg-Stuttgart).
24	»	»	Al sig. Karl Wolfer (Rottenburg-Stuttgart).
6	giugno	»	Al sig. Antonius Petrus Cornelissen (Roermond).
»	»	»	Al sig. Cornelius Andreas Hubertus Montfort (Roermond).
»	»	»	Al sig. Adrianus van As (Roermond).
7	»	»	Al sig. Johannes Anton Spaan (Utrecht).
»	»	»	Al sig. Franciscus A. van Dam (Utrecht).
15	»	»	Al sig. Wilfried Steuer (Rottenburg-Stuttgart).
12	luglio	»	Al sig. Alois Schätzle (Freiburg im Breisgau).
27	»	»	Al sig. Johannes A. Vriens (Utrecht).
8	agosto	»	Al sig. Petrus P.R.M. Teeuwen (Roermond).
»	»	»	Al sig. Wilelmus van der Kroft (Roermond).
»	»	»	Al sig. Carl Heinrich Joseph Stockmann (Rotterdam).
»	»	»	Al sig. Leonardus Arnoldus Jozef van de Kerkhof ('s-Hertogenbosch).
»	»	»	Al sig. Ludo vicus Johannes Maria van de Laar (Utrecht).
10	»	»	Al sig. Gerardus J. Beckers (Rotterdam).
»	»	»	Al sig. Josephus Johannes Alphonsus van Gils (Utrecht).
7	settembre	»	Al sig. Johannes Joseph van Heijst ('s-Hertogenbosch).
20	»	»	Al sig. Johannes Gerardus van Groenestein (Haarlem).
10	ottobre	»	Al sig. Heinz Michler (Würzburg).
»	»	»	Al sig. Gottfried Miller (Würzburg).
17	»	»	Al sig. Ernesto Chierici (Fiesole).
»	»	»	Al sig. Giuseppe Fratini (Fiesole).
»	»	»	Al sig. Johannes Jacobus Koopman (Haarlem).
»	»	»	Al sig. Jan Marie Joseph Verharen (Ordinariato Militare Paesi Bassi).
15	dicembre	»	Al sig. James Connell (Dublin).
»	»	»	Al sig. Eriberto Misa (Manila).
20	»	»	Al sig. Carlo Moscatelli (Roma).
26	»	»	Al sig. Renato Aquilini (Roma).
»	»	»	Al sig. Nando Bartolini (Roma).
»	»	»	Al sig. Tommaso Dominici (Torino).
16	gennaio	1992.	Al sig. Ronald Ramez Chagoury (Nigeria).
18	»	»	Al sig., Christian Johannes Ludovicus Maria Noordam (Haarlem).
25	»	»	Al sig. Heinrich Gotsmy (Wien).
27	»	»	Al sig. Alessandro Pagliacci (Spoleto-Norcia).
31	»	»	Al sig. Henry Aliam (Ibadan).
»	»	»	Al sig. Nabil Joseph Nahman (Ibadan).

31	gennaio	1992.	Al sig. Adel Elias Zard (Ibadan).
»	»	»	Al sig. Francesco Alessandri (Otranto).
»	»	»	Al sig. Giuseppe Bongiorno (Otranto).
14	febbraio	»	Al sig. Giuseppe Di Marco (Roma).
»	»	»	Al sig. Gerardus Wilhelmus Johannes van Eick (Rotterdam).
16	»	»	Al sig. Michael Ward (East Anglia).
»	»	»	Al sig. Hans Hofstätter (Freiburg im Breisgau).
»	»	»	Al sig. Wilhelm Möller (Köln).
18	»	»	Al sig. Herman-Jozef Bax (Antwerpen).
»	»	»	Al sig. Fortunato Ascoli (Mileto-Nicotera-Tropea).
»	»	»	Al sig. Raffaele Corigliano (Mileto-Nicotera-Tropea).
»	»	»	Al sig. Virgilio Di Carlo (Mileto-Nicotera-Tropea).
»	»	»	Al sig. Giuseppe Pantano (Mileto-Nicotera-Tropea).
18	febbraio	»	Al sig. Carmelo Sergio (Mileto-Nicotera-Tropea).
»	»	»	Al sig. Rocco Vardaro (Mileto-Nicotera-Tropea).
»	»	»	Al sig. Francisque Deshayes (Rennes).
19	»	»	Al sig. Mario Pittari (Udine).
6	marzo	»	Al sig. Carlo Favagrossa (Milano).
7	»	»	Al sig. Egidio Brojanigo (Roma).
21	»	»	Al sig. Karam Ghali Ghattas (Alessandria dei Copti).

NECROLOGIO

6	maggio	1992.	Mons. Michael Cornelis Cormans, Vescovo di Samarinda *(Indonesia).*
8	»	»	Mons. Arnoldo Onisto, Vescovo em. di Vicenza *(Italia).*
13	»	»	Mons. Lancelot John Goody, Arcivescovo em. di Perth *(Australia).*
17	, »	»	Mons. Alfred Pichler, Vescovo em. di Banja Luka *(Bosnia Erzegovina).*
20	»	»	Card. Giovanni Colombo del titolo dei Ss. Silvestro e Martino ai Monti.
22	»	»	Mons. Giovanni Enrico Boccetta, Arcivescovo tit. di Efeso.
24	»	»	Mons. Matthias William Schmidt, Vescovo di Ruy Barbosa *(Brasile).*
25	»	»	Mons. Athanasius Abadir, Vescovo di Ismailia dei Copti *(Egitto).*
»	»	»	Mons. Anselmo Pietrulla, Vescovo em. di Tubarao *(Brasile).*
26	»	»	P. D. Inácio Barbosa Accioly, O.S.B., Abate e Ordinario di Nossa Senhora do Monserrate do Rio de Janeiro *(Brasile).*

An. et vol. LXXXIV 1 Iulii 1992 N. 7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE DECRETALES

Beatae Mariae Margaritae Dufrost de Lajemmerais viduae d'Youville Sanctorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

«Venite, benedicti Patris mei... esuri vi enim et dedistis mihi manducare... infirmus eram et visitastis me » *(Mt* 25, 34 ss).

Beata Maria Margarita Dufrost de Lajemmerais, vidua d'Youville, magna erga pauperes et aegrotos caritate impulsa, haec Domini Iesu est verba secuta XVIII saeculo, cum administratio civilis, pauper et parum ordinata urbis Canadensis Montis Regalis, multos cives vivere et mori in miseria sinebat.

Orta est ea in oppido Varennes, intra fines provinciae Quebecensis, die XV mensis Octobris anno MDCCI. Pater eius homo nobilis erat Aremoricus, coloniae copiarum dux, qui mortuus est cum Margarita septem erat annorum. Puellula ab Ursulinis Quebecensibus excepta est, inter quas duos mansit annos. Domum reversa cum matre laboravit, Maria Renata Gaulthier, umbratilem agens vitam. Procedentibus annis, fulgere cupiebat et iucundas amabat congressiones, cum pulchra esset. Unius et viginti annorum Francisco d'Youville nupsit, loci illius iuveni diviti, ex quo sex generavit filios. Montem Regalem se contulerunt, sed vita coniugalis Beatae eas non prae-

buit iucunditates, quas ipsa exspectabat. Anno MDCCXXX, etiam tum iuveni mortuo marito, inops, quoniam vir eius patrimonium dilapidaverat, duriter laboravit ut familiam sustentaret et eodem tempore impensae vitae pietatis dedidit se atque caritatis operum exercitio. Peculiari modo in valetudinario generali Montis Regalis assidua erat.

Anno MDCCXXXVII, duo eius filii, qui superfuerant, cum essent seminarium ingressi (postea sacerdotes fuerunt), tribus cum sociis Beata vitam religiosam iniit, fundamentis factis Instituti Sororum a Caritate, propter vestis colorem vocatarum « Sœurs grises ». Anno MDCCXXXXVII cunctam valetudinarii Montis Regalis moderationem suscepit, quam anno MDCCLIII Galliae Rex litteris patentibus ei confirmabat eiusque religiosis. Eodem anno Institutum quod condiderat ab Episcopo Quebecensi est approbatum. Beata Maria Margarita regente eiusque Sororibus valetudinarium auctum est, etsi bellum saeviebat, per quod Canada est Britanniae concessa (anno MDCCLXIII) et incendium omnia destruxerat anno MDCCLXV. Beata, nec animi demissioni cedens nec labori, divinae Providentiae confisa, valuit ad valetudinarium reiiciendum maius, quod exciperet CC aegrotos, senes et pauperes. Est vita defuncta die xxin mensis Decembris anno MDCCLXXI.

Eius nota fuit immensa Providentiae fiducia, rarae industriae coniuncta qua opes et auxilia reperiebat pro suis pauperibus, etiam in casibus perditis. Ecclesiae amor et servitium una normarum fuit vitae eius. Amor hic apparuit imprimis in sedulitate qua actionem Ecclesiae localis participavit et incepta pro egenis, prudenter et fortiter, contendendo cum Auctoritatibus, cum opera pauperibus faventia periclitabantur. Provexit in populo illa pietatis genera, quae possent recentis Gallicae coloniae in Canada sanctam religionem recreare.

Perdurante eius sanctitatis fama, anno MDCCCLXXXIV initium factum est canonizationis Causae. Praescriptis Processibus canonicis celebratis perfectisque felici cum exitu variis inquisitionibus theologalibus de virtutibus et postea de duabus miris sanationibus, eius precibus tributis, Summus Pontifex Ioannes XXIII, die III mensis Maii anno MCMLIX, sollemnis Beatificationis ritum celebravit.

Ad canonizationem obtinendam, annis MCMLXXXVII-MCMLXXXVIII apud Curiam Ottaviensem actus est Processus cognitionalis et Processus Additicius super asserta mira sanatione, Beatae deprecationi ascripta, anno MCMLXXVIII patrata. Processuum instrumenta primum consultata sunt a Consilio Medicorum Congregationis de Causis Sanctorum et deinde a Consultoribus Theologis et demum a Patribus Cardinalibus et Episcopis. Faventi habita sententia, die ix mensis Aprilis anno MCMXC editum est super miro decretum.

Fratribus Cardinalibus et Praesulibus, in Consistorio congregatis die XXVI mensis Novembris anno MCMXC, suffragantibus, statuimus ut canonizationis ritus ageretur die ix mensis Decembris eiusdem anni.

Hodie igitur, in Vaticana Basilica Sancti Petri, inter sacra, hanc diximus formulam: « Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exarationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatam Mariam Margaritam d'Youville Sanctam esse decernimus et definimus, ac Sanctorum catalogo adscribimus, statuentes eam in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere ». Quibus exceptis summa cum gratulatione ab omnibus vocibus Nosmet ipsi oratione studiosa quidem suscepimus novensilem hanc Sanctam convenienter primum celebrandam eiusque dein exemplum in huius praesertim aetatis nostrae consuetudinem imitationemque proponendum curavimus ut, quem virtutum thesaurum et bonorum operum numerum eandem per egregiam mulierem universae Ecclesiae praefulgere voluisset Deus, adiuvante in terris ecclesiali communitate fructus salutares plurimos parere sineret.

Datum Romae, apud S. Petrum, die nono mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

EGO IOANNES PAULUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*



Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 287.031

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Servo Dei Raphaeli Chylinski Beatorum caelitum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « O quam bonus est Deus, quam bonum Dominum habemus, quantum ipsi famulati tenemur »! Hae quidem fidei voces, quas Venerabilis Raphaël Chylinski fratribus continenter sociis suis repetebat laicisque christifidelibus, universam illius patefaciunt vitam adeo similem Seraphico eius Patri Sancto Francisco qui suos vicissim ad Dei amorem fratres cohortabatur inclamans: « Nihil aliud placeat et delectet nos nisi Creator et Redemptor et Salvator Noster... qui est plenum bonum, omne bonum, totum bonum, verum et summum bonum, qui solus est bonus» *(Regula non búllala,* 23).

Ortus videlicet idem est Venerabilis Raphaël Chylinski apud Wysoczka, in Posnaniae Palatinatu « Magnae Poloniae », die octavo Ianuarii mensis anno millesimo sexcentésimo nonagésimo quarto. Sacro ipse lavacro expiatus nomineque Melchioris exornatus a parentibus deinceps est christianae religionis principiis usibusque institutus. Cum vero humaniora absolvisset Posnaniae studia, anno millesimo septingentésimo duodecimo Melchior iuvenis stipendiis in exercitu merendis dedit nomen. Anno dein millesimo septingentésimo decimo quinto in Ordinem Fratrum Minorum Conventualium apud Cracoviense coenobium receptus novitiatum peregit nuncupavitque vota die vicesimo sexto mensis Aprilis, sequenti anno Raphaelis sumpto nomine. Presbyteratus autem gratia est sub finem anni millesimi septingentesimi decimi septimi auctus.

Ex septem filiis sexto loco nata, Serva Dei Parmae orta est a comitibus Iulio Zileri, aulae ducis diaetarcho, et Lucretia dal Verme degli Obizzi, calendis Augustis anno 1839: postero die baptismi sacramentum accepit nominibus appellata Drusilla, Anna, Aloisia, Maria. Anno 1849 est ei Confirmatio collata et anno 1852 ad eucharisticam mensam primum accessit. Eius humanae et christianae formationi consuluerunt egregie familia et, postea, Ephebeum Sanctae Ursulae Parmense, in quo eximia fuit alumna ab anno 1849 ad annum 1857, longo cum interiecto tempore per causam valetudinis. Magis Dei rebus illecta quam mundi, pietatem sedulo colebat, caritatem et deprecationem et, quia sentiebat se a Deo vocari ad vitam consecratam, commodam recusavit matrimonii condicionem. Die 7 mensis Iulii anno 1858 Institutum Ursulinarum Parmensium est ingressa, in quo erat educata, et die 21 mensis Novembris subsequentis anni, novitiatu peracto,

vota nuncupavit perpetua castitatis et perseverantiae in Instituto, nominibus captis Maria Lucretia.

Per decem annos humilia domestica munia est exsecuta, sine apostolatus mandatis, quamvis informata esset. Deinde est ei munus concreditum rectricis educandarum puellarum sedis et praeceptricis, et anno 1878 est novitiarum magistra nominata. Excellentibus praedita paedagogicis facultatibus necnon multa caritate et prudentia, suis est fructuose muneribus iuncta, Antistitis et discipulis comprobantibus. Anno 1886, per legitimam designationem est ei Instituti regimen commissum, quod tunc iacebat ob non iustum civilis auctoritatis interventum, ob assistentiae spiritalis privationem ex Patribus Societatis Iesu manantem, anno 1848 Parma pulsis, ob novarum vocationum egestatem, cum Commissio rei publicae vetuisset ne adspirantes exciperentur, quae publicum non haberent diploma publicarumque scholarum tirocinium non perfecissent. Serva Dei, ut hanc rerum condicionem mutaret et Instituti vitam restauraret, maxima industria prospexit Piae Unioni laicali convertendae in Congregationem religiosam. In reformatione peragenda religiosas praesertim adhibuit, quae eius fuerant novitiae, et etiam aliquas aequales, sed aetate provectis plenam concessit libertatem vivere pergendi in Instituto secundum suam pristinam electionem, immo institit ne se mutatione sentirent astrictas, et hanc propter causam nulla Institutum reliquit atque animadverterunt se non ferri, sed amari et optari.

Mutatio in Congregationem religiosam, non sine episcoporum Parmensium consiliis et Patrum Societatis Iesu, rata est habita a Sancta Sede per Constitutionum approbationem, die 10 mensis Maii indultam anno 1899. Quam ob rem Serva Dei, quae multum laboravit ut hoc consequeretur propositum, merito a suis filiabus spiritalibus altera Conditrix habetur Ursulinarum Parmensium, quae anno 1926 nomen ceperunt Ursulinas Parmenses a Sacro Corde et anno 1977 Ursulinas Missionarias a Sacro Corde.

Anno 1898 Mater Maria Lucretia alterum obtinuit exitum magni momenti: suum nempe Institutum a non legitimo auctoritatis publicae interventu liberavit. Vita communis, opere et exemplo Servae Dei recreata, confirmata est et excitata et suam apostolicam actionem extendit ad alia loca novis conditis religiosis domibus. Oratoria diebus festis agendis aperta sunt pro puellis, opificia praeparandis operariis, orphanotrophia, scholae superiores religioni discendae, cursus exercitationum spiritalium meditationumque pro scholarum publicarum praeceptoribus et opificibus, Opera Tabernaculum pro ecclesiis pauperibus, Congregatio Mariana, Contentio pro Eucharistia, et alia similia. Serva Dei cupivit Sorores suas sodales Christi E van-

gelium etiam in missionum terras afferre, sed hoc solummodo post eius mortem evenit.

Anno 1920, iam grandis natu, non dedignata est negotia aggredi cum Antistita Generali Ursulinarum Placentinarum, Matre Felice Radini Tedeschi, ut utriusque Institutum ad unum converteretur. Coniunctio, a Sancta Sede concessa in triennium « ad experimentum », non prospere successit et die 28 mensis Septembris anno 1923 duo Instituta rursus sui iuris facta sunt. Etiam in hoc eventu Serva Dei, quae Magistrae Generalis officium deposuerat pro Matre Radini Tedeschi, magnam ostendit humilitatem, novae Antistitae oboedientiam perfectam, omnis studii sui neglectionem. Dum illa coniunctio pertentabatur, gravibus cordis offensionibus laborare coepit, quas cum patientia tulit, non desistens usitata cum cura sequi vitam Instituti sui. Pie exstincta est die 3 mensis Augusti anno 1923 a Sororibus suis et ab iis, qui eam cognoverant, venerata.

A iuventute usque ad mortem Serva Dei alacriter est perfectionis christianae viam emensa, non suis confisa viribus, sed divinae gratiae auxilio, quam mereri et multiplicare est nisa diligenti et prompta voluntatis Dei exsecutione, deprecatione assidua, fervida pietate erga Eucharistiam, Sacrum Cor Iesu et Domini Iesu Passionem, Virginem Mariam, Regulae observantia, cui se dederat, et votorum, quae erat professa. Sensit suum esse fidem propagare, utque hoc consequeretur propositum, suae Congregationi novam iniecit vitam et apostolicum ardorem, religiosam institutionem provexit, iuventutis christianam formationem, non-christianorum ingressum in Ecclesiam, peccatorum conversionem. In Dominum caritatem habuit vivam et industriam, quam in moribus, in scriptis, in verbis ostendebat.

Cum plus Deum amaret, quam se ipsam, eius quaerebat familiaritatem, omnia pro eius gloria faciebat et quodlibet fugiebat peccati genus. Pauperes dilexit et adiuvit, familias quae in angustiis erant, seminarii alumnos indigentes et, imprimis, Sorores suas, quarum mater fuit officiosa, quas exemplo aedificavit et ita educavit, ut verbo Dei parèrent et Ecclesiae, in sua manerent vocatione, deprecationis, occultationis et silentii atque apostolatus essent studiosae, in caritatis exercitio eminentes.

A mundi vanitatibus aliena et terrestribus bonis, totam spem suam in Domino collocaverat et in Providentia. Repetere solebat: « Omnia transeunt; ea sola valent, per quae aeternitatem consequimur ». Idcirco cum fortitudine et tranquillitate difficultates obiit, res adversas, morbos et senectutis dolores, pro certo habens se suumque Institutum a Deo custodiri.

Tam singularis vita non poterat in se non convertere animos eorum, qui Dei Servam cognoscebant, quae ideo, etiam tum cum viva erat, famam

sibi comparaverat sanctitatis. Quandoquidem eius praestantium virtutum memoria perdurabat, Episcopus Parmensis statuit canonizationis Causae initium facere per processus ordinarii informativi celebrationem (annis 1938-1945), cui additus est processus rogatorialis Romanus (anno 1940 celebratus). Decretum super scriptis est die 19 mensis Decembris promulgatum anno 1963; decretum super Causae introductione die 25 mensis Maii anno 1975 et decretum super non cultu die 24 mensis Octobris eodem anno. Apud eandem Curiam episcopalem Parmensem celebratus est processus apostolicus annis 1977-1979, cuius auctoritas et vis die 7 mensis Octobris agnita est, anno 1982. Exitu cum secundo die 12 mensis Martii anno 1991 Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris est actus, cui Rev.mus Dominus Antonius Petti, Fidei Promotor, praesedit. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Congregatione Ordinaria calendis Octobribus habita eodem anno, Causae Ponente Exc.mo Domino Antonio Mauro, Archiepiscopo titulari Thagastensi, Servam Dei Mariam Lucretiam Zileri dal Verme virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Lucretiae Zileri dal Verme, alterius Fundatricis et Priorissae Generalis Congregationis Sororum Ursulinarum Missionariarum a S. Corde, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. SS. '

68 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus PP. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 26 Maii 1992. — Cathedrali Ecclesiae Ebusitanae R. D. Xaverium Salinas Viñals, hactenus Vicarium episcopalem in archidioecesi Valentina.

— Cathedrali Ecclesiae Palentinae Exc.mum P. D. Richardum Blazquez Perez, hactenus Episcopum titularem Germensem in Galatia et Auxiliarem archidioecesis Compostellanae.

die 27 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Arindelensi Exc.mum P. D. Robertum Antonium Dávila Uzcátegui, hactenus Episcopum Sancti Ferdinandi Apurensis, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Caracensis.

" *die 4 Iunii.* — Praelaturae territoriali Corocorensi Exc.mum P. D. Turnorum Ticona Porco, hactenus Episcopum titularem Timicitanum et Auxiliarem dioecesis Potosiensis.

die 11 Iunii. — Praelatitiae Ecclesiae Calamensi in Chilia R. P. Christianum Contreras Molina, O. de M., hactenus publicorum vigilum ac carcerum Chiliensium maximum cappellanum.

die 16 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Riverormensi, Exc.mum P. D. Ioannem P. 0'Malley, O.F.M. Cap., hactenus Episcopum dioecesis Sancti Thomae in Insulis Virgineis.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Da Giovedì 4 a Mercoledì 10 Giugno 1992, il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio in Angola e Säo Tomé e Príncipe.

Sabato 13 Giugno 1992 si è riunita alla presenza del Santo Padre la Congregazione per le Cause dei Santi.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

2 giugno 1992. S. E. mons. Alfio Rapisarda, Arcivescovo tit. di Canne, *Nunzio Apostolico in Brasile.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

18 maggio 1990. Il sig. Luigi Maria Manzia, *Gentiluomo di Sua Santità.*

23 aprile 1992. P. Julio Teran Dutari, S.I.; i sacerdoti Mariano Artigas; John Egbulefu; Bruno Forte; P. Jean-Baptiste Rinaudo; i sig.ri Alfredo Garcia Quesada; Vittorio Possenti; Gaspare Mura, *Consultori del Pontificio Consiglio per il Dialogo con i non Credenti.*

» » » S. E. mons. Michael Louis Fitzgerald; i sacerdoti José de Jesús Herrera Aceves; Joseph Kariuki; Jean-Pierre Ranga; il sig. Kaspar Kallan, *Consultori del Pontificio Consiglio per il Dialogo con i non Credenti « in aliud quinquennium ».*

NECROLOGIO

30 maggio 1992. Mons. Albert Ndongmo, Vescovo em. di Nkongsamba *(Camerun).*

6 giugno » Mons. José Armando Gutiérrez Granier, Arcivescovo em. di Cochabamba *(Bolivia).*

18 » » ' Mons. Germán Villa Gavina, Arcivescovo em. di Barranquilla *(Colombia).*

18 » » Mons. Ramón Munita Eyzaguirre, Vescovo em. di Puerto Montt *(Cile).*

20 » » Mons. Gyula Szakos, Vescovo em. di Székesfehérvár *(Ungheria).*

An. et vol. LXXXIV 3 Augusti 1992

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

ADHORTATIO APOSTOLICA POSTSYNODALIS

Ad Episcopos, Sacerdotes et Christifideles totius Catholicae Ecclesiae: de Sacerdotum formatione in aetatis nostrae rerum condicione.

IOANNES PAULUS PP. II

VENERABILES FRATRES AC DILECTI FILII ET FILIAE,
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

INTRODUCTIO

1. « Pastores dabo vobis iuxta cor meum » (*Ier* 3, 15).

Per haec Ieremiae prophetae verba promittit Deus populo suo nunquam se illum sine pastoribus relicturum qui eundem colligant ac ducant: « Et suscitabo super eos id est super oves meas pastores, et pascent eos; non formidabunt ultra et non pavebunt » (*Ier* 23, 4).

Ecclesia, Dei populus, huius prophetici nuntii effectionem indesinenter experta, gratias Domino perpetuo laetanter agit, probe sciens ipsum Christum Iesum esse viventem, supremam ac definitivam huius Dei promissionis impletionem: qui enim asseruit: «Ego sum pastor bonus» (*Io* 10, 11), ipse, pastor magnus ovium (cf. *Heb* 13, 20), apostolis eorumque successoribus ministerium concredidit gregem Dei pascendi (cf. *Io* 21, 15ss.; *1 Pe* 5, 2).

Ceterum nunquam sine sacerdotibus potest Ecclesia ad effectum adducere praecipuam illam obedientiam, quae penitus insita est in ipsa eius exsistentia atque in eius missione erga hominum historiam; eam nempe obedientiam erga Iesu mandatum: « Euntes ergo, docete omnes gentes » (*Mt* 28, 19) et «Hoc facite in meam commemorationem » (*Lc* 22, 19; cf. *1 Cor* 11, 24); id est iussum Evangelii nuntiandi et sacrificium sui corporis, pro nobis traditi, necnon sanguinis sui, pro mundi salute effusi, quotidie renovandi.

Per fidem nobis innotuit promissionem Domini non posse deficere. Haec ipsa promissio ratio est ac vis, quae laetificat Ecclesiam florentibus atque increbrescentibus vocationibus sacerdotalibus, quae alicubi hodie suscitantur, pariterque fundamentum est et stimulus ad maioris fidei et acrioris spei actum prae gravi sacerdotum penuria, quae in aliis mundi plagis persentitur.

Advocamur omnes ut participemus plenam fiduciam, Dei promissionis continuae impletionis, quam synodales Patres perspicue atque fortiter testati sunt: « Synodus cum plena fide in promissione Christi qui dixit: "Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi" (*Mt* 28, 20), atque conscia actionis constantis Spiritus Sancti in Ecclesia, firmiter credit non solum indefectibilitatem Ecclesiae sed etiam omnia quae in illa implicantur indefectibilitatem. Sacerdotes nunquam in Ecclesia deficient... Deus nunquam christianos viros ad sacerdotium vocare desinet. Firmiter proinde credamus oportet, etiamsi in variis regionibus clerus deficiat, non proinde actionem Patris, cuius est vocationes suscitare, esse unquam cessaturam

Ut ipsi in concludenda Synodo, de vocationum sacerdotalium penuria agentes, asseruimus: «At prima quam Ecclesia profert responsio invenitur in plena Spiritui Sancto fidenti adhaesione. Pro certo habemus eiusmodi sui ipsius destituitionem non inducere in errorem, dummodo sane praebeamus nos in gratiam acceptam fideles ».[2]

[1] *Propositio* 2.

[2] *Sermo* habitus exeunte Synodo Episcoporum (27 Octobris 1990), 5: *AAS* 83 (1991) 494-499,

2. In recepta gratia fideles permanere, Dei enim donum hominis libertatem non delet, sed exsuscitat, auget, exigit.

Ideo plena fiducia immutabilis fidelitatis erga Dei promissionem sociatur in Ecclesia cum gravi responsalitate cooperandi actioni Dei vocantis atque cum eo conferendi in constituendis et servandis condicionibus in quibus bonum semen, a Deo sparsum, et profundas iaciat radices et fructus copiosos ferat. Cessare enim nunquam potest Ecclesia Dominum messis ut operarios in messem suam mittat rogare (cf. *Mt* 9, 38), neque abstinere a proponendo futurae praesertim progeniei perspicuo ac animoso vocationis amplectendae studio: quam deinceps iuvabit ut veritatem Dei vocantis discernat eique magnanimiter respondeat; peculiarem adhibere curam de formatione candidatorum ad presbyteratum.

Futurorum namque sacerdotum formatio tum dioecesanorum tum religiosorum et assidua cura per integrum vitae cursum protrahenda, in ipsorum tendens sanctificationem personalem in ministerio et per continuam renovationem in ipsorum pastorali navitate operandam, habetur ab Ecclesia unum ex muneribus maioris momenti atque difficultatis ad futuram generis humani evangelizationem.

Hoc formativum Ecclesiae opus aliud non est nisi temporalis continuatio illius Christi operis, quod evangelista Marcus his verbis describit: «Et ascendit in montem et vocat ad se, quos voluit ipse, et venerunt ad eum. Et fecit Duodecim, ut essent cum illo et ut mitteret eos praedicare, habentes potestatem eiciendi daemonia» (*Mc* 3, 13-15).

Affirmari potest hanc Evangelii paginam Ecclesiam semper historiae, etsi ratione et intensitate varia, aptasse per opus formativum quod candidatis ad presbyteratum et presbyteris ipsis applicuit. Hodie autem Ecclesia animadvertit vocari sese ad iterandum quod Magister ipse in Apostolis suis fecit, idque nova quadam sollicitudine, prout expostulant profundiores illae ac velociores mutationes quae societatem et culturam nostri temporis afficiunt, necnon pro multiplicitate ac varietate contextuum in quibus Evangelium nuntiat ac testatur pro ipso incremento vocationum sacerdotalium in quibusdam mundi dioecesibus pro urgentiore necessitate perpendendi tum methodos tum etiam argumenta formationis sacerdotalis; pro

Episcoporum et communitatum sollicitudine ob diuturnam presbyterorum penuriam; denique pro ipsa necessitate absoluta « novae cuiusdam evangelizationis », quae secum fert ut reperiantur quoque inter presbyteros « novi Evangelii praecones seu evangelizatores ».

In hoc ipso contextu historico et culturali versatus est recentior Coetus generalis ordinarius Synodi Episcoporum, qui egit de « formatione sacerdotum in hodiernis adiunctis », eo quidem consilio ut annis post quinque et viginti ab absoluto Concilio, doctrinam conciliarem de eodem argumento compleret, normasque reperiret temporibus nostris aptiores atque fortiores ».[3]

3. Concilii Vaticani II placita continuans circa presbyterorum ordinem et eorum formationem,[4] et volens ad praxim deducere uberem et gravem doctrinam pro variis rerum condicionibus, Ecclesia aggressa saepius est quaestiones quae presbyterorum vitam, ministerium et formationem attingunt.

Occasiones praecipue exstiterunt varii Episcoporum Synodorum Coetus. Inde a primo Coetu generali, mense Octobri anno 1967 celebrato, Synodus per quinque congregationes generales tractavit de seminariorum renovatione. Is labor vim maximam habuit in exarandum documentum Congregationis pro Educatione Catholica, cui titulus: « Ratio fundamentalis institutionis sacerdotalis ».[5]

Sed praesertim in sacerdotium ministeriale Coetus generalis ordinarius anni 1971 incubuit, qui dimidium laborum suorum tempus in hac quaestione consumpsit. Huius diuturnae tractationis fructus, « commendationes » relatae ad Decessorem Nostrum Papam Paulum VI, quae lectae sunt in aperta Synodo anno 1974, respiciebant praecipue ad doctrinam ipsam sacerdotii ministerialis, atque ad nonnullos aspectus spiritualitatis et ministerii sacerdotalis.

Alias etiam occasiones nactum Ecclesiae magisterium perrexit testari suam sollicitudinem de presbyterorum vita et ministerio. Affirmare licet annis Concilium secutis nullum fuis-

[3] Cf. *Propositio* 1.

[4] Cf. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 28; Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis;* Decretum de Institutione sacerdotali *Optatam totius.*

[5] *Ratio fundamentalis institutionis sacerdotalis* (6 Ianuarii 1970): *AAS* 62 (1970) 321-384.

se Magisterii interventum, quin ratione quadam pertinuerit ad sensum praesentiae presbyterorum in ecclesiali communitate, ad eorum munus ac necessitatem pro Ecclesia et pro mundi vita.

Recentioribus vero hisce annis necessitas e permultis partibus percepta erat repetendi quaestionem de sacerdotio, novo quodam modo illam tractando rationeque quadam magis aptata hodiernis circumstantiis ecclesialibus et culturalibus. Attentio nempe alio directa est: non ad sacerdotis sic dictam « identitatem », sed ad quaestiones quae eiusdem ad sacerdotium iter formativum respiciunt, necnon ad vitae qualitates quae presbyterum decent. Namque hodiernorum candidatorum ad sacerdotium ministeriale nova progenies, si eosdem cum vicinioribus praedecessoribus compares, qualitates haud parum diversas prae se ferunt, respectu ad decessorum quippe qui in mundo vivant saepe diverso atque celérrima evolutione sese mutante. Quarum condicionum nemo non videt habendam esse rationem tum in delineandis tum in persequendis itinerariis educativis, quae eosdem ad ministeriale sacerdotium perducant.

Ii autem presbyteri, qui longioribus temporis spatiis in exercitium ministeriale incubuerunt, virium quadam dispersione laborare videntur increbrescentibus continuo pastoralis navitatis formis: et adversus novae socialis consortionis necnon novae culturae necessitates inducuntur ad recensendas proprias vivendi et laborandi rationes, ad perquirendos primatus munerum pastoralium, dum persentiunt maiorem in dies necessitatem « formationis permanentis ».

In Coetu synodali Episcoporum anno 1990 acto, disceptationes et meditationes factae sunt de augendis vocationibus ad presbyteratum, de candidatorum formatione, ut pernoscant et

parantes ad ordinis sacramentum celebrandum et colendum, quod eos conformes reddit Christo Capiti et Pastori, Servo et Sponso Ecclesiae; et per inventa nova formationis permanentis itinera, ad navitatem ministerialem efficaciorem assequendam ac spiritualitatem sacerdotalem vividiorem.

Haec eadem Synodus respondere intendebat praecedentis Coetus optatis, de laicorum vocatione et missione in Ecclesia

et in mundo. Ipsi laici presbyterorum curam ad suam formationem promovendam postulaverant, ut ipsimet laici ab eisdem opportunius in communi explenda missione assumerentur. Etenim « quo magis laicorum apostolatus augetur, eo magis animadvertitur necessitas habendi sacerdotes, et quidem sacerdotes bene formatos, sacerdotes sanctos. Ita ipsa vita Populi Dei ostendit doctrinam Concilii Vaticani II de necessitudine sacerdotii communis cum sacerdotio ministeriali et hierarchico: etenim in mysterio Ecclesiae hierarchia naturam habet ministerialem (cf. *Lumen gentium,* 10). Quo altius perdiscitur vocatio laicorum propria, melius apparet id, quod est sacerdotis proprium ».[6]

4. In ea autem experientia ecclesiali, Synodi propria, quae est «peculiaris experientia communionis episcopalis in universalitate, quae sensum confirmat universalis Ecclesiae, episcoporum responsalitatem erga universam Ecclesiam eiusque munus, in communione adfectiva et effectiva circa Petrum »,[7] exaudita est, clara et accurata, vox diversarum Ecclesiarum particularium, atque in hac Synodo primum voces quarundam Ecclesiarum Orientalium quae suam conclamaverunt fidem Dei explendae promissioni tribuendam: « Dabo vobis pastores iuxta cor meum» *(Ier* 3, 15); pariterque sedulitatem suam pastoralem renovarunt de vocationum cura ac de presbyterorum formatione, persuasum habentes Ecclesiae futura simulque eius incrementum ac universalis salutis missionem ex his pendere.

Nunc ad hanc Adhortationem Apostolicam quae Synodum sequitur multas repetentes meditationes, consilia et monita quae labores Patrum synodalium praeparaverunt et Gomitata sunt, Nostram Romani Episcopi atque Petri Successoris vocem aliis adiungimus, qua corda omnium ac singulorum christifidelium alloquimur, praesertim vero presbyterorum corda et eorum omnium qui operam navant difficili eorum formationis ministerio. Obviam utique Nos offerre cupimus omnibus et singulis presbyteris, dioecesanis ac religiosis, hanc Adhortationem.

[6] *Sermo* habitus exeunte Synodo Episcoporum (27 Octobris 1990), 3: l. mem.

[7] *Ibid.,* 1: l. mem.

Pariter ora et corda Patrum synodalium in usum Nostrum convertimus, haec verba extremi nuntii Synodi ad Populum Dei: «Animo grato et admiratione pleno vos alloquimur tanquam primos adiutores servitii nostri apostolici. Opus vestrum in Ecclesia vere necessarium est et substitui non potest. Vos portatis pondus ministerii sacerdotalis atque contactum directum cum fidelibus habetis. Vos Eucharistiae estis ministri, misericordiae divinae in Paenitentiae sacramento dispensatores, animarum consolatores, omnium fidelium in procella difficultatum vitae hodiernae duces.

Toto ergo corde vos salutatos volumus, gratitudinem nostram vobis exprimimus vosque hortamur ut in hac via perseveretis laeto et prompto animo. Ne sinatis vos deprimi. Opus nostrum non nostrum, sed Domini est.

Qui nos vocavit et mittit, nobiscum est omnibus diebus vitae nostrae. Pro Christo enim legatione fungimur ».[8]

CAPUT I

EX HOMINIBUS ASSUMPTUS

INSTITUTIO SACERDOTALIS ADVERSUS PROVOCATIONES SECUNDI MILLENNII EXEUNTIS

5. « Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum » *(Heb* 5, 1).

Epistula ad Hebraeos perspicue asserit ministri Dei « humanitatem »; is enim ab hominibus et in hominum servitium assumitur, ipsum Christum Iesum imitans, « temptatum per omnia secundum similitudinem absque peccato » *(Heb* 4, 15).

Deus sacerdotes suos vocat ex definitis humanis et ecclesialibus contextibus, quorum designantur notis necessario et ad quos in Christi Evangelii servitium mittuntur.

Propterea Synodus sacerdotii argumentum « pro contextibus tractavit », illud in praesentibus societatis et Ecclesiae constituens, atque ad prospectum aperiens tertii millennii, sicut

[8] *Nuntius* Patrum synodalium ad Populum Dei (28 Octobris 1990), III: diurnarium « *L'Osservatore Romano* », 29-30 Octobris 1990.

ceteroqui patet ex ipsa argumenti formula: « De formatione sacerdotali in hodiernis adiunctis ».

Exsistit sane « quaedam sacerdotalis essentialis imago, quae mutari nequit, cum sacerdos, tam ille quem pro crastino desideramus quam ille qui hodie est, uni Christo assimilari debeat. Christus enim dum in terris vixit, in semetipso exhibuit definitivum presbyteri vultum seu imaginem, ita configurans sacerdotium ministeriale, quod apostoli induere properarunt; idemque destinatum erat per saecula durare, singulis historiae periodis incessanter reproducendum. Presbyter ergo tertii millennii erit hoc sensu continuator presbyterorum qui praecedentibus saeculis Ecclesiae vitam propagarunt. Adeo ut sacerdotalis vocatio, etiam post annum bismillesimum, eadem perstatura sit, vocatio scilicet ad vivendum unicum et permanens Christi sacerdotium ».[9] Pariter presbyteri tum vita tum ministerium, « aptentur necesse est et temporibus et aliis vitae realis adiunctis... Unde, quoad conatus nostros pertinet, enitamur oportet ut, superno Spiritus Sancti lumini expositi, praecipue dispiciamus quo nostris temporibus societas portendat, qualesque sint profundiores eiusdem spirituales exigentiae; caute item decernamus quaenam sint potiora, eaque concretiora, munera; reperiamus denique quaenam pastorales navitates adhibendae sint, donec tandem responsum nostrum adaequate hominum indigentiis coaptetur ».[10]

Cum deberent perennem ministerii veritatem necessitatibus ac proprietatibus huius aetatis aptare, Patres synodales conati quidem sunt respondere quibusdam necessariis quaestionibus: scilicet, quae problemata, atque eodem tempore, quos utiles stimulos suscitat hodiernus contextus socialis, culturalis et ecclesialis, in pueris et adulescentibus, quibus est in animis volvendum consilium de vita sacerdotali eligenda in omne tempus duratura? Quas difficultates quasque novas facultates praebet nostra aetas ad exercendum ministerium sacerdotale quod congruat cum dono suscepti sacramenti et simul cum postulatis vitae spiritualis eidem consentaneae?

Ad quaedam nunc nos elementa revocemus indagationis de rerum condicione, quam Patres synodales effecerunt; sed bene

[9] *Angelus* (14 Ianuarii 1990), 2: diurnarium *« L'Osservatore Romano »,* 15-16 Ianuarii 1990.

[10] *Ibid.,* 3: l. mem.

nobis conscii permagnam varietatem adiunctorum socialium, culturalium et ecclesialium, quae in diversis nationibus sunt, suadere ut nonnisi communia quaedam et maioris momenti phaenomena significemus, praesertim quae ad educationem vel institutionem presbyterorum respiciant.

6. Multae res hodie in hominibus acriorem conscientiam videntur fovere dignitatis personae et novam apertionem ad religionis valores, ad Evangelium et sacerdotale ministerium.

In ipsa societate, quamvis multa sint secum pugnantia, largiorem et fortiorem invenimus iustitiae et pacis sitim, vividiorem sensum curae hominis de mundo deque cultu rerum naturae; apertiorem veritatis inquisitionem atque hominis dignitatis adsectationis, crescentem sedulitatem in multis totius mundi populorum partibus pro necessitudine inter nationes magis in usu posita et pro novo ordine orbis terrarum secundum libertatem et iustitiam. Crescit etiam, dum potentia virium augetur, quae provenit ex scientiis et technologicis disciplinis atque informatio et cultura diffunduntur, nova ethica interrogatio, de significatione videlicet interrogatio, ideoque de vero valorum gradu, quo definiantur progressus facultas et fines.

In campo magis proprie religioso et christiano cessant praeiudicia ideologica, et etiam violentes recusationes nuntii valorum spiritalium atque religiosorum, et simul oriuntur novae ac insperatae facultates evangelizationis et vitae ecclesialis instauratio multis in mundi partibus. Animadvertuntur crescens diffusio cognitionis Sacrorum Bibliorum, multarum Ecclesiarum novellarum vigor et alacritas in provehendis et dilatandis personae valoribus atque vitae humanae dignitate; fulgens martyrii testimonium quarundam Ecclesiarum Europae centralis et orientalis, et etiam fides et strenua fortitudo aliarum Ecclesiarum, quae etiam nunc persecutiones et acerbitates pro fide patiuntur.[11]

Dei desiderium et cum eo vivae significantisque rationis ibi hodie tam apparet vividum, ubi Evangelii deest verus et integer Iesu nuntius, ut foveat religiositatis formas sine Deo ac multiplices sectas. Earum extensio, etiam in plagis ex more tradito christianis, evadit Ecclesiae sinceris filiis et maxime sa-

[11] Cf. *Propositio* 3.

cerdotibus, constans causa cur de credibilitate sui testimonii evangelici recogitent, sed etiam signum, quo cognoscitur quam etiamnum alta sit et communis Dei inquisitio.

7. Cum his rebus, quae propitiae ac positivae dici possunt, multae aliae intermiscentur, problematicae ver negativae.

Latissime imprimis adhuc diffunditur rationalismus qui, nomine cuiusdam notionis reductivae de «scientia», humanam rationem incuriosam reddit divinae Revelationis et Transcendentiae.

Notanda dein pervicax defensio subiectivitatis personalis, qua homo nonnisi in solam sui utilitatem perducitur, ineptus effectus rationum vere humanarum. Atque exinde id provenit, praesertim inter adolescentes et iuvenes, ut solitudinem hanc replere nitantur per succedanea varii generis, imprimis per formas hedonismi plus minusve vehementes, vel per fugam a rebus ipsis; velut fugaci tempori obnoxii « consumere » cupiant experientias illas individuales quam acerrimas ac gratissimas quoad animi motus et corporis sensus praesentes, sed necessario segnes sint et quodammodo torpescant adversus consilium de vita quod rationem spiritualem et religiosam includat et consociatae operae curam.

Diffunditur quoque ubique terrarum, etiam collapsis ideologiis quae materialismum in dogma erexerant et de religione abolenda explicitum instruxerant programma, quaedam nova species atheismi, quem practicum et exsistentialem vocant, qui idem est ac visio saecularis de hominis vita et sorte. Hic igitur homo, « totus in sese conversus, qui in sese ponit centrum cuiuslibet curae, qui audet proclamare sese principium ac rationem cuiuslibet realitatis »,[12] sese semper reperit pauperiorem factum illius « supplementi animae » quod eo magis ei necessarium est quo copiosiores opes et bona corporea ei falso suadent se sibi sufficere. Qui proinde, cum nihil necesse sit Deum pugnaciter recusare, simpliciter putat eo non indigere.

In hac descriptione praesertim notandae sunt: dissolutio consortionis familiaris et obscuratio vel «detorta interpretatio » humanae sexualitatis; quae duo phaenomena fortiter

[12] PAULUS PP. VI, *Homilia* in IX Ss. Concilii Oec. Vat. II Sessione (7 Decembris 1965): *AAS* 58 (1966) 55.

obstant iuniorum institutioni et affectioni ad vocationem religiosam. Praeterea notanda sunt incrementum rerum socialium iniustarum et conglobatio divitiarum in paucorum manibus; quasi fructus « inhumani capitalismi »[13] qui tenuiores populos ab opulentioribus latius in dies seiungit: inseruntur sic in hominum consortionem animorum contentiones et sollicitudines, quibus alte perturbatur personarum et communitatum vita.

Etiam in Ecclesia reperiuntur anxia et noxia, quae directe in presbyterorum vitam et ministerium vim habent: qualia sunt: ignorantia religiosa, qua multi credentes afficiuntur; exigua traditae catechesis efficacia, quam hodie suffocant vulgatiores et suasoriores instrumentorum communicationis nuntii; male intellectus pluralismus theologicus, culturalis, pastoralis, qui licet interdum a bonis propositis proveniat, cedit in difficilem reddendum dialogum oecumenicum et in necessariae fidei unitatis discrimen; perstans etiam quidam veluti diffidentiae vel impatientiae sensus ecclesiastici magisterii: pressiones mancae et reductivae divitiarum nuntii evengelici quae eundem nuntium et fidei testimonium mutant in solam partem liberationis humanae ac socialis, aut in abalienans refugium in superstitionem inque religionem sine Deo.[14]

Aliud magni ponderis phaenomenum, etsi comparata recens in plerisque veteris traditionis christianae nationibus, praesentia est in uno eodemque territorio densorum nucleorum diversarum gentium et religionum. Coalescere ita incipit nova quaedam consortio multarum stirpium ac multarum religionum. Id saepe occasio evadit exercendi crebriorem et fructuosiòrem dialogum, experiendi invicem mentes, dilatandi experientias mutuae acceptationis et iustae tolerantiae; sed pariter fieri potest occasio confusionis et relativismi, idque vel maxime apud personas et civitates quarum fides nondum ad plenam sui maturationem perducta est.

Ad haec, et arcte coniunctum cum crescente studio sui, aliud adiungitur phaenomenum: transiisse quodammodo fidem in aream rerum subiectivo iudicio dimetiendarum. Id est, imminuta est apud crescentem christifidelium turbam perceptio summae universae et obiectivae doctrinae fidei; pro adhaesio-

[13] Cf. *Propositio* 3

[14] Cf. *Ibid*

ne dumtaxat subiectiva ad ea tantummodo quae cuique placent, quae personali experientiae aptatur, quae proprias consuetudines non turbat. Etiam compellatio ad inviolabilitatem sui conscientiae, quae est ipsa per se legitima, evadit in hoc contextu res periculo ambiguitatis non exempta.

Hinc promanant etiam illae accessiones ad Ecclesiam parte tantum tales habendae et condicionibus astrictae, quae damnosam habent vim in ortu novarum ad sacerdotium vocationum; immo, et in ipsam conscientiam presbyterorum et sui ministerii in communitate.

Denique in multis Ecclesiis etiamnum exigua praesentia et penuria virium sacerdotalium vel graviora problemata gignunt. Christifideles namque saepe ac diutius sibimetipsis relinquuntur nullo oblato pastorali iuvamine: unde non solum eorum vita christiana debitis destituitur incrementis, sed facultas ipsa minuitur ut ipsi evadant evangelizationis auctores.

8. Multae res secum pugnantes et vires, quibus signantur non tantummodo hodiernae hominum consortiones et culturae sed et ipsae ecclesiales communitates, percipiuntur, usurpantur, et experimento comprobantur a iuvenibus ardore prorsus peculiari, cum effectibus proximis in ipsorum itinere institutorio maximi momenti. Inde fit ut vocationis sacerdotalis ortus et processus in pueris, adolescentibus, iuvenibus continuo in obstacula et solficitationes incidant.

Trahuntur illi vehementissime peculiari quadam illecebra societatis quam dicimus « consumisticam » qua impelluntur ad amplectendam eam vitae interpretationem quam individualisticam, materialisticam et hedonisticam appellamus. « Commodum » materialiter intellectum principem obtinet locum, uti unicus vitae finis; quod commodum est quovis pretio, quavis condicione consequendum! Hinc necessario recusatur quidquid sacrificium sapit, et abicitur quidquid laborem et conatum exigit, in vivendo iuxta valores spirituales et religiosos. Cura enim unica « habendi », « esse » pervertit, quod primum est, eum consecutione interpretandi et colendi valores personae proprios et inter personas non secundum doni rationem et naturam gratuitam, sed contra secundum possessionem nimium sui amantem et alterius malum. Haec omnia apparent in ipsa

interpretatione sexualitatis humanae, quae, a propria dignitate deiecta (quippe quae in servitium communionis data sit et in signum donationis sui inter personas), reducitur hodie ad genus bonorum consumendorum. Ita experientia affectiva multorum iuvenum desinit non in harmonicum iucundumque incrementum propriae personae sese in sui donum alteri tradentis, sed in vitiosam involutionem, ethicam et psychologicam, quae non poterit eorum futura gravibus condicionibus non astringere. In harum propensionum radice, quod ad multos iuvenes pertinet, est distorta quaedam experientia libertatis: ea enim, potius quam ut obedientia erga veritatem obiectivam et universalem, colitur ab his velut caecus assensus erga appetituum vim et erga singulorum praepotentem voluntatem. Sic quodam modo naturales fiunt, quoad cogitandi atque agendi rationem, dissolutio consensus circa ethica principia, immo, et quoad rem religiosam, si non semper aperta Dei reiectio, magna religionis neglegentia et utcumque vita quae sic vivitur, etiam in gravissimis optatis et in maximis electionibus, velut si nullus esset Deus. In huiusmodi contextu, non solum difficilis intellectu apparet ipsius vocationis ad sacerdotium effectio, sed ipsum sacerdotium sensu suo fere destituitur, quod testatur maius prae se gerere momentum « esse » quam « habere », quod agnitio est vitae sensus tanquam sui doni liberi et conscii aliis dati, et tanquam voluntatis se omnino servitio tradendi Dei Regno et Evangelio nuntiando in peculiari illa forma.

Mundus autem iuvenum, etiam in ecclesiali communitate, saepe « quaestio » efficitur. Si illi enim magis etiam quam adulti fortiter contendunt fidem christianam subiectivam reddere et ex parte tantum et cum exceptione ad vitam et missionem Ecclesiae pertinere in communitate ecclesiali, ob varias causas quaevis nova et efficax navitas pastoralis ardua fit, atque proinde iuniores in periculo sunt ne sibimetipsis relinquantur in potestate propriae fragilitatis psychologicae, nulla re satiati, in adultos critici, qui fidem nec cohaerenter profitentes se exemplaria credibilia non exhibent.

Hinc evidens fit difficultas iunioribus integrum et implexum vitae christianae et ecclesialis exemplar proponendi ad quod ii instituendi sint: vocatio nempe ad sacerdotium longe a concretis et quotidianis iuvenum placitis exsulat.

9. Non tamen desunt condiciones et Stimuli efficaces qui in cordibus adolescentium et iuvenum novum suscitant adiectum atque veram valorum ethicorum et spiritualium inquisitionem, qui natura sua humus apta sunt itineri vocationali ad se prorsus donandum Christo et Ecclesiae per sacerdotium.

Animadvertendum est, imprimis, attenuata hodie esse quaedam phaenomena quae recentioribus annis non paucas excitaverunt difficultates, quales fuere contentio radicitus effecta, impulsus ad libertatem quoquo modo vindicandam, fictae iurium vindictae, formae indistinctae aequationis et communionis bonorum omnium, violentia.

Agnoscendum praeterea est iuvenes hodiernos, quo pollent propter aetatem vigore et flore, sua proposita efferre quae in historia progrediuntur: sitim imprimis libertatis; agnitionem immensi « personae » valoris; veritatis ac perspicuitatis necessitatem; novam vicissitudinis notionem et rationem in necessitudinibus inter virum et mulierem; exquisitionem sinceram ac sedulam mundi iustioris, coniunctioris et concordions; apertionem ac dialogum cum omnibus; curam de pace tuenda.

Incrementum tam amplum ac vivum inter tot iuvenes nostri temporis multorum et variorum generum voluntarii muneris, quibus operam navant condicionibus nostrae civilis consortionis neglectioribus et pauperioribus est via institutoria magni momenti, quippe quae eos stimulet, sustineat ad amplectendum vitae stilum vere integrum et a lucro abstinentem, in pauperes procliviorem et apertiorem. Per hanc procul dubio viam, quam qui percurrant facilius et celerius perveniunt ad apprehendendum quid tandem sit aliis ex vocatione stabili servire, paratiores évadent ad ineundam eam Deo consecrationem quae in vitam sacerdotalem forte desinat.

Recens ideologiarum collapsus, ratio censoria qua iuvenes adultorum mundum intuentur, qui non semper eisdem praebent testimonium vitae valoribus moralibus et transcendentibus ornatae, ipsa aequalium experientia, qui in droga et in violentia effugium quaerunt, in unam eandemque conspirare videntur interrogationem, nullatenus eludendam: quales nempe sunt valores per quos vitae, dolori, morti ipsi plenior sensus restituatur? Hinc est quod apud non paucos iuvenes clarior fit appetitio religiosa ac spiritalitatis necessitas: hinc interior sitis

experiendi solitudinem et deprecationem ac lectionis Verbi Dei magis propriae et consuetae repetitio atque theologiae studium.

Et sicut in regione voluntarii muneris socialis, ita in communitate ecclesiali iuvenes industriores usque fiunt et primas agunt partes, praesertim congregationes participando, tum translaticias sed renovatas, tum recentiores: Ecclesiae experientia, ad « novam evangelizationem » incitatae per fidelitatem erga Spiritum Sanctum, qui eam animat et per necessitates mundi, a Christo longinqui sed eo indigentis, sicut et experientia Ecclesiae coniunctioris in dies cum homine et populis in defendenda et provehenda personae dignitate atque humanis iuribus omnium et cuiusque, iuvenum corda et vitam aperiunt ad boni specimina quam pulcherrima et obligatoria, quae possunt ad affectum adduci Christi assectatione in sacerdotio.

Patet hanc humanam et ecclesialem condicionem, forti ambi valentia signatam, minime neglegi posse non solum in vocationum actione pastorali et in opere formationis futurorum sacerdotum, sed ne in vita quidem et in ministerio sacerdotum inque eorum perpetua formatione. Ita, si intellegi possunt varia «discriminum» genera, quae hodierni sacerdotes experiuntur in ministerii exercitio, in sua vita spiritali et in ipsa interpretatione naturae et significationis sacerdotii ministerialis, notandae quoque sunt, cum gaudio et spe, commodae novae facultates, quas hoc tempus praebet sacerdotibus, ut suum munus expleant.

10. Haec autem rerum condicio, etsi celeriter et minutatim atque exemplis descripta, non tantummodo noscenda, sed etiam, et imprimis interpretanda est. Hac una via apte responderi poterit fundamentali huic interrogationi: « Quomodo formandi sunt presbyteri qui vere nostris temporibus pares sint ad hodiernum mundum evangelizandum idonei? ».[15]

Est quidem magni momenti rerum condicionem novisse. Non enim sufficit simplex argumentorum annotamentum: necessaria est investigatio « scientiae », quae diligenter et certe ac definite socialia, culturalia atque ecclesialia adiuncta describat.

[15] Cf. SYNODUS EPISCOPORUM, *De sacerdotibus formandis in hodiernis adiunctis* - « Lineamenta», 5-6.

Sed maioris quoque momenti est huiusce condicionis interpretatio, quam requirit ambivalentia et interdum inconsequentia, quae eandem condicionem notat, in qua arcte difficultates et potentiae intermiscentur, incommoda et causae spei, impedimenta et apertiones sicut in evangelico agro, in quo seruntur et « simul vivunt » bonum semen et zizania (cf. *Mt* 13, 24ss.).

Non semper facilis est interpretatio quae malum a bono discernat, spei signa a minis. In formandis presbyteris non solum et simpliciter ea quae prosunt accipienda sunt et damnosa e contrario reicienda. Ea ipsa quae prosunt sunt attente discernenda, ne alterum alterum excludat neve invicem pugnent, cum absoluta fiunt et mutuo sibi adversantur. Idem dicendum est de iis, quae damnosa sunt: non omnia sunt sine ulla distinctione penitus respuenda; saepe enim horum unumquodque potest abditum habere valorem aliquem qui forte eruendus in libertatem est et ad plenam suam veritatem restituenda.

Condicionis historiae interpretatio, secundum Christi fidelem, suum invenit cognoscendi principium et normam electionum efficientium, quae inde consequuntur, in se nova ac singulari, videlicet in evangelica discretione: quae interpretatio fit in lumine inque vi Evangelii, Evangelii nimirum vivi et personalis, quod Iesus Christus est, et per Spiritus Sancti donum. Hoc modo discretio evangelica in condicione historica et in eius eventibus non simplex « indicium » deprehenditur diligenter annotandum, ante quod liceat in neglegentia ac socordia manere, sed « officium », provocationem adversus consciam personae libertatem, tum singulorum tum communitatis. Provocatio haec est quae coniungitur « arcessitui », quam Deus, in ipsa historica condicione resonat: in ipsa quoque et per ipsam Deus credentem vocat, et prius Ecclesiam, ad efficiendum ut « Evangelium vocationis et sacerdotii » suam perennem veritatem exprimat etiam vitae adiunctis mutatis. Formationi quoque sacerdotum applicanda sunt verba Concilii Vaticani II: «Per omne tempus Ecclesiae officium incumbit signa temporum perscrutandi et sub Evangelii luce interpretandi; ita ut, modo unicuique generationi accommodato, ad perennes hominum interrogationes de sensu vitae praesentis et futurae deque

earum mutua relatione respondere possit. Oportet itaque ut mundus in quo vivimus, necnon eius exspectationes, appetitiones et indoles saepe dramática cognoscantur et intellegantur ».[16]

Haec evangelica discretio fundamentum habet in fiducia erga amorem Christi Iesu, Ecclesiae curam indesinenter et indefesse sustinentis (cf. *Eph* 5, 29), cum unus Ipse sit Dominus et Magister, lapis angularis, totiusque humanae historiae centrum et finis;[17] luce et vi nutritur Spiritus Sancti, semper et ubique suscitantis fidei obedientiam necnon iucundum in assectatione Christi animum, sapientiaeque donum quae iudicat omnia et ipsa a nemine iudicatur (cf. *1 Cor* 2, 15); requiescit denique in Patris fidelitate erga promissiones suas.

Hac ratione putat Ecclesia posse se difficultatibus et provocationibus huius novi historiae spatii occurrere, immo et in praesens et in reliquum tempus providere presbyteros bene formatos, certos et alacres « novae evangelizationis » ministros, fideles et generosos Christi et hominum famulos.

Non nos difficultates celamus, quae nec paucae sunt nec leves. Sed eas vincunt nostra spes, nostra fides in indeficientem Christi amorem nostraque persuasio ministerium sacerdotale pro Ecclesiae et mundi vita substitui non posse.

CAPUT II

PROPTER QUOD UNXIT ME ... ET MISIT ME PRAEDICARE

DE NATURA ET MISSIONE SACERDOTII MINISTERIALIS

11. « Omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum » *(Lc* 4, 20). Omnia quae evangelista Lucas dicit de iis qui aderant die sabbati in synagoga Nazareth et qui exspectabant quid, plicato Isaiae volumine, esset Christus commentaturus, applicari valent universis christianis, cum et ipsi vocati sint

[16] Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 4.

[17] Cf. SYNODI EPISCOPORUM VIII COETUS GEN. ORD., *Nuntius* Patrum synodalium ad Populum Dei (28 Octobris 1990), I: 1. mem.

ut agnoscant impletum esse in Iesu Nazarethano propheticum praeconium: « Coepit autem dicere ad illos: hodie impleta est haec Scriptura in auribus vestris» *(Lc* 4, 21). «Scriptura» autem haec erat: « Spiritus Domini super me; propter quod unxit me evangelizare pauperibus, misit me praedicare captivis remissionem et caecis visum, dimittere confractos in remissione, praedicare annum Domini acceptum» *(Lc* 4, 18-19, cf. *Is* 61, 1-2). Iesus ergo ostendit sese tanquam Spiritu plenum, unctione consecratum, missum ad annuntiandum pauperibus bonum nuntium; est igitur Messias, et quidem Messias sacerdos, propheta, rex.

Hic est ergo Christi vultus in quem prospiciant necesse est fidei et amoris oculi eorum omnium qui in Christum crediderunt. Atque ex hac potissimum « contemplatione » reputaverunt Patres synodales totam suam reflexionem de formatione presbyterorum in hodiernis adiunctis. Haec quaestio solutionem habere non potest sine praevia reflexione circa metam quam attingere debet totum formationis iter. Quae meta aliud non est nisi sacerdotium ministeriale; idque quatenus Ecclesiae participatio est in Ipsius Christi sacerdotio. Notio plena igitur naturae et missionis sacerdotii ministerialis est absolute necessaria nec removeri potest, immo velut itineris ductor sequenda; ipsa enim stimulus efficax est quo in Ecclesia promoveri possit navitas pastoralis et discretio vocationum sacerdotalium, et qua instruatur aequa formatio eorum qui ad ministerium ordinatum sunt vocati.

Recta igitur et alta notitia naturae et missionis sacerdotii ministerialis via una est persequenda (eamque ipsa Synodus persécuta est) ut exire liceat tandem de « crisi » identitatis sacerdotis. « Discrimen hoc — diximus in extrema Synodi allocutione — ortum suum novit continuo post Concilium Vaticanum II. Consensiones invenit in vitiosa, interdum consulto insidiosa, facultate percipiendi doctrinam magisterii Concilii. Ibi absque dubio insidet magna causa plurium desertionum ab Ecclesia tum perceptarum, desertiones quae graviter sane affecerunt ^pastorale ministerium atque vocationes ad sacerdotium, praesertim vero vocationes missionales. Res se habet veluti si Synodus anni millesimi nongentesimi nonagesimi iterum detegendo, per tot interpellationes quas hac in aula audivimus, in-

tegram sacerdotalis identitatis gravitatem, post acerbas eiusmodi desertiones spem infundere conata sit. Interpellationes huiusmodi patefecerunt conscientiam nexus ontologici peculiaris qui iungit presbyterum Christo, Summo Sacerdoti atque Bono Pastori. Identitas haec componit naturam aptae institutionis ad sacerdotium recte accipiendum, atque deinde totum per sacerdotalis vitae tempus. Hoc Synodi propositum germanum ».[18]

Ob hanc ergo rationem necessarium duxit Synodus revocare, modo quodam synthetico ac fundamentali, naturam et missionem sacerdotii ministerialis, quales Ecclesiae fides per saecula indesinenter recepit, et sicut Concilium Vaticanum II hominibus nostri temporis eas exhibuit.[19]

12. « Identitas sacerdotalis — ita Patres synodales enuntiarunt — in Sanctissima Trinitate fontem habet »,[20] quae in Christo hominibus revelatur atque semetipsam communicat, in eo et per Spiritum constituens Ecclesiam tanquam « semen et initium Regni ».[21] Exhortatio *Christifideles laici* doctrinam Concilii resumens, Ecclesiam exhibet velut mysterium, communionem, missionem; ipsa « mysterium est, quia amor et vita Patris et Filii et Spiritus Sancti donum sunt absolute gratuitum, iis omnibus oblatum qui nati sunt ex aqua et Spiritu (cf. *Io* 3, 5), in id vocati ut ipsam Dei communionem vivant eamque per historiae decursum manifestent et communicent (missionem) ».[22]

Identitas christiana, atque etiam peculiaris identitas sacerdotis eiusque ministerii, revelatur tantummodo intra Ecclesiae mysterium, veluti mysterium communionis trinitariae in tensione missionaria. Presbyter enim, vi consecrationis quam per Ordinis sacramentum recipit, a Patre per Christum Iesum mit-

[18] *Sermo* habitus exeunte Synodo Episcoporum (27 Octobris 1990), 4:1. mem.; cf. Epistola ad universos Ecclesiae sacerdotes adveniente feria V in Cena Domini (10 Martii 1991): *AAS* 83 (1991) 463-468.

[19] Cf. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium;* Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis;* Decretum de Institutione sacerdotali *Optatam totius;* CONGREGATIO PRO INSTITUTIONE CATHOLICA, *Ratio fundamentalis institutionis sacerdotalis* (6 Ianuarii 1970): 1. mem., 321-384; SYNODI EPISCOPORUM II COETUS GEN. ORD., anno 1971 habitus.

[20] *Propositio* 7.

[21] CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 5.

[22] Adh., Ap. postsynodalis *Christifideles laici* (30 Decembris 1988), 8: *AAS* 81 (1989) 405; cf. SYNODI EPISCOPORUM II COETUS GEN. EXTR., anno 1985 habitus.

titur, Cui, tanquam Capiti et populi Pastori, configuratur, peculiari quodam modo, ut in fortitudine Sancti Spiritus vivat et operetur in Ecclesiae servitium et pro mundi Salute.[23]

Satis intellegi potest connotatio praecipuae relationis identitatis presbyteri: per sacerdotium, quod a profunditate inscrutabilis Dei mysterii procedit, id est, ex amore Patris, ex gratia Christi Iesu, exque dono unitatis Spiritus Sancti, presbyter inseritur sacramentaliter in communionem cum episcopo et cum aliis presbyteris,[24] ut Dei Populo, qui Ecclesia est, inserviat, et omnes ad Christum trahat, secundum Domini preces: « Pater Sancte, serva eos in nomine tuo, quod dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos. Sicut tu, Pater, in me et ego in Te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut mundus credat quia tu me misisti» {*Io* 17, 11. 21).

Non aliter proinde definiri potest natura et missio sacerdotii ministerialis nisi intra hunc multiplicem et ditissimum contextum rationum, quae scaturiunt a Sanctissima Trinitate atque prolatantur in communione Ecclesiae, velut signum atque instrumentum, in Christo, unionis cum Deo et unitatis totius humani generis.[25] Hoc contextu « ecclesiologia communionis » fit decretoria ad intellegendam presbyteri identitatem eiusque primigeniam dignitatem, eius vocationem et missionem in Populo Dei et in universo mundo. In definienda proinde presbyteri identitate necessitudo ad Ecclesiam est ideo necessaria, licet non primo in loco ponenda. Ecclesia enim, qua mysterium, essentialiter ad Christum refertur: Ipsius enim est plenitudo, corpus, sponsa; est « signum » atque vivum « memoriale » permanentis Illius praesentiae et actionis intra nos et pro nobis. Presbyter identitatis suae assequitur plenam veritatem in eo quod est deductio, participatio specifica et continuatio est Ipsius Christi novi aeternique Foederis summi et unici sacerdotis; presbyter imago viva et perspicua est Christi sacerdotis. Christi sacerdotium, veluti significatio absolutae cuiusdam « novitatis » in Salutis historia, fons unus evadit et exemplar unicum et insubstituibile christiani sacerdotii, nominatim vero

[23] Cf. *Propositio* 7.

[24] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 7-8.

[25] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 1.

presbyterii. Unde fieri haud potest ut realitatis sacerdotalis apprehensio fiat nisi per absolute necessariam ad Christum relationem.

13. Sacerdotii novi Foederis vultum, eundemque perfectum ac definitivum, in Semetipso Christus nobis ostendit:[26] idque effecit per integram suae in terris vitam, sed praesertim in centrali illo eventu Passionis, Mortis et Resurrectionis.

Ut bene scribit auctor Epistolae ad Hebraeos, Iesus cum esset homo ut nos, itemque Unigenitus Dei Filius, evasit sua ipsius natura Mediator perfectus inter Patrem et homines (cf. *Heb* 8-9), qui, per donum Spiritus, aperit immediatum ad Deum accessum: « Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem: Abba, Pater! » *(Gal* 4, 6; cf. *Rom* 8, 15).

Iesus plane suam mediatoris missionem tum complet cum sese super crucem offert, atque semel et in omne tempus accessum reserat ad caeleste Sanctuarium, ad Patris donum (cf. *Heb* 9, 24-28). Adeo ut, si ad Christum comparentur tum Moyses aliique Veteris Testamenti « mediatores » inter Deum et suum Populum — reges scilicet, sacerdotes et prophetae — remanent « figurae » dumtaxat vel « umbrae bonorum futurorum », non sicut ipsa res *(oí. Heb* 10, 1).

Est enim Iesus bonus pastor quem prophetae nuntiaverant (cf. *Ez* 34), qui oves suas singillatim novit, qui pro eisdem vitam suam tradit, qui universas conducere vult « in unum gregem, sub uno pastore» (cf. *Io* 10, 11-16). Pastor Idem est qui «non ministrari venit sed servire» (cf. *Mt* 20, 28), qui, in illo paschali actu in quo discipulorum pedes laverat (cf. *Io* 13, 1-20), suis tradidit ministrandi exemplar, illis imitandum, cum Ipse sponte, velut « agnus innocens, sese pro nostra tradiderit redemptione » (cf. *Io* 1, 36; *Ap* 5, 6. 12).

Christus autem, per suum unicum ac definitivum crucis sacrificium, communicat cum universis suis discipulis dignitatem et missionem novi et aeterni Foederis, sic promissionem adimplens quam Deus Israeli olim fecerat: « Et vos eritis mihi regnum sacerdotum et gens sancta » *(Ex* 19, 6). Nam, ut ait Apostolus Petrus, totus novi Foederis populus vocatur ut ex eo fiat aedificium spirituale: «et ipsi, tanquam lapides vivi aedifi-

Cf. *Propositio* 7.

camini domus spiritualis in sacerdotium per Iesum Christum » *(1 Pe* 2, 5). Sunt enim baptizati quasi «lapides vivi» quibuscum, cum Christo sociatis, construitur aedificium spirituale in «lapidem vivum... coram Deo autem electum, pretiosum» *(1 Pe* 2, 4-5). Hic novus sacerdotalis populus qui est Ecclesia, non solum propriam sui imaginem in Christo habet, sed ab Eodem recipit realem et ontologicam participationem in authentico et unico sacerdotio, cui cum tota vita erit conformandus.

14. In servitium autem huiusce universalis novi Foederis sacerdotii, Iesus apud se convocat, per terrenae suae missionis cursum, discipulos aliquot (cf. *Lc* 10, 1-12), eosque « Duodecim » peculiari et imperioso mandato in collegium instituit « ut essent cum illo et ut mitteret eos praedicare, habentes potestatem eiciendi daemonia » *(Me* 3, 14-15).

Propterea, iam perdurante suo publico magisterio (cf. *Mt* 16; 18), sed plenius deinceps post mortem et resurrectionem (cf. *Mt* 28; *Io* 20, 21), Iesus confert Petro et duodecim potestates omnino singulares quoad futuram communitatem et pro evangelizandis omnibus gentibus. Quibus, ubi ad se insequendum eos vocavit et apud sese habuit, et vivens cum ipsis, exemplo et verbis, doctrinam tradidit salutis; quos denique testes misit ad omnes gentes. Atque ut huiusmodi missionem implerent, Iesus contulit apostolis, et quidem per virtutem specificae effusionis Spiritus Sancti, eandem auctoritatem messianicam quam a Patre Ipse acceperat, et cuius plenitudo per resurrectionem confertur: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis, et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » *(Mt* 28, 18-20).

Iesus sic statuit arctam necessitudinem inter ministerium quod apostolis concredidit et suam propriam missionem: « Qui vos recipit, me recipit: et qui me recipit, recipit eum qui me misit » *(Mt* 10, 40); « Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui me misit » *(Lc* 10, 16). Immo, quartum Evangelium, in lucis paschalis eventu mortis et resurrectionis, gravi vigore et perspicuità-

te asserit: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » (*Io* 20, 21; cf. 13, 20; 17,18). Sicut ergo Iesus missionem habet quae directe a Deo venit et ipsam Dei auctoritatem exhibet (cf. *Mt* 7, 29; 21, 23; *Mc* 1, 27; 11, 28; *Lc* 20, 2; 24, 19), ita apostoli missionem habent quae a Iesu provenit. Et sicut « non potest Filius a se facere quidquam » (*Io* 5, 19), quandoquidem « mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me » (cf. *Io* 7, 16), ita apostolis suis Ipse dicit: « Sine me nihil potestis facere » (*Io* 15, 5); eorum enim missio non alia est nisi ipsius Iesu missio. Idque fieri potest non ex humanis viribus, sed tantummodo per Christi et Spiritus sui donum, per sacramentum scilicet: « Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remissa sunt eis, quorum retinueritis, retenta sunt » (*Io* 20, 22-23), id est, apostoli, non propter suum aliquod peculiare meritum, sed tantummodo propter gratuitam Christi ipsius gratiae participationem, pro trahunt per humanae historiae decursum usque ad temporum consummationem eandem Christi missionem pro hominum salute.

Signum vero ac praenuntium authenticitatis et fecunditatis huiusce missionis est apostolorum unitas cum Iesu et inter sese et cum Patre, ut perspicue apparet in oratione sacerdotali Domini, quae synthesis habita est totius eius missionis (cf. *Io* 17, 20-23).

15. Apostoli autem, a Domino constituti, quantum ad eos pertinet propriae missioni responsum dabunt si alios aliter homines, diversa sed aeque pari ratione, tanquam episcopos, presbyteros, diaconos advocabunt, qui idem Christi resurgentis mandatum expleant, eosque mittant ad omnes omnium temporum homines.

Novum Testamentum plurimi unanimiter facit quod hi homines inter fratres excepti ab ipso Christi Spiritu mittuntur. Nam per manuum impositionem (*Act* 6, 6; *1 Tim* 4, 14; 5, 22; *2 Tim* 1, 6) quae Spiritus donum transmittit, advocantur atque instruuntur ad perpetuandum idem ministerium, homines scilicet reconciliandi, pascendi, docendi (cf. *Act* 20, 28; *1 Pe* 5, 2).

Vocantur igitur presbyteri ad protrahendam Christi praesentiam, unius Pastoris Summi, idque faciunt Eum per vitae

genus imitantes et evadentes imagines, illius instar, in medio grege ipsis concredito. Ut enim acute et perspicue in I Petri Epistola reperire est: « Seniores (presbyteros) ergo qui in vobis sunt obsecro, consenior (com-presbyter) et testis Christi passionum, qui et eius quae in futuro revelanda est, gloriae communicator: pascite qui est in vobis gregem Dei, providentes non coacte sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed formae facti gregis. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam » *(1 Pe* 5, 1-4).

Sunt igitur presbyteri in Ecclesia et pro Ecclesia velut repraesentatio sacramentalis Christi Capitis et Pastoris: cuius verba cum auctoritate proclamant, cuius misericordis indulgentiae gestum salutem offerentem imitantur, idque in Baptismate praesertim, in Paenitentia, in Eucharistia; eiusdem item exercent dilectionem et sollicitudines, usque ad totale sui donum pro grege, quem in unitatem congregant et ad Patrem perducunt per Christum in Spiritu. Uno verbo, exsistunt et operantur pro Evangelio mundo nuntiando, et nomine et persona Christi Capitis et Pastoris, ad Ecclesiam ipsius aedificandam.[27]

Hic est peculiaris et proprius modus quo ordinati administri participant unum Christi sacerdotium. Sanctus autem Spiritus, per sacramentalem Ordinis unctionem, eosdem configurat novo quodam atque specifico titulo ad Christum Iesum, Caput et Pastorem, eosque per caritatem pastoralem conformat atque animat et in Ecclesia constituit, nobilissima quidem condicione servorum nuntii evangelici ad omnem creaturam, et servorum pro pleniore vita christiana omnium baptizatorum.

Veritas ergo presbyteri, qualis ex Verbo Dei eruitur (id est a Christo ipso et ab Eius placitis Ecclesiam constituendi) celebratur, non sine exsultatione et gaudio, in liturgica Praefatione in Missa Chrismatis: « Qui Unigenitum tuum, Sancti Spiritus unctione, novi et aeterni testamenti constituisti pontificem, et ineffabili dignatus es dispositione sancire, ut unicum Eius sacerdotium in Ecclesia servaretur. Ipse enim non solum regali sacerdotio populum adquisitionis exornat, sed etiam fra-

terna homines eligit bonitate, ut sacri sui ministerii fiant manuum impositione participes. Qui sacrificium renovent eius nomine, redemptionis humanae, tuis apparent filiis paschale convivium, et plebem tuam sanctam caritate praeveniant, verbo nutriant, reficiant sacramentis. Qui, vitam pro te fratrum - que salute tradentes, ad ipsius Christi nitantur imaginem conformari, et constantes tibi fidem amoremque testentur ».

16. Sacerdos unam eamque necessariam habet relationem, scilicet cum Iesu Christo, Capite et Pastore: partem enim habet in eius « consecratione-communione » necnon « missione », et quidem ratione specifica et gravi (cf. *Lc* 4, 18-19). At cum ea relatione ad Christum intime alia cohaeret, scilicet cum Ecclesia. Neque propterea simpliciter dicendae sunt relationes invicem cohaerentes, sed intime coniunctae per mutuam immanentiam. Relatio enim ad Ecclesiam inclusa est in unica relatione sacerdotis ad Christum, in quantum est Christi ipsius « rapraesentatio sacramentalis », quae fundat atque sustinet sacerdotii relationem ad Ecclesiam.

Atque hoc sensu scripserunt Patres synodales: « Quatenus repraesentat Christum Caput, Pastorem et Sponsum Ecclesiae, sacerdos non tantum in Ecclesia, sed etiam erga Ecclesiam ponitur. Sacerdotium una cum Verbo Dei ac signis sacramentalibus quibus inservit pertinet ad Ecclesiae elementa constitutiva. Ministerium presbyteri est omnino pro Ecclesia et pro exercitii provectione communis sacerdotii totius populi Dei et non solum ad Ecclesiam particularem sed etiam ad Ecclesiam universalem ordinatur (cf. *Presbyterorum ordinis,* 10), in communione cum episcopo, cum Petro et sub Petro. Per episcopi sacerdotium, alterius ordinis sacerdotium coniungitur cum Ecclesiae apostolica constitutione. Ideo sacerdos, sicut Apostoli, munere fungitur legati Christi (cf. *2 Cor* 5, 20). Hoc super fundamentum stat cuiusvis sacerdotis missionarius animus ».[28]

Ministerium ergo ordinatum cum ipsa Ecclesia incipit, et in episcopis, necnon in presbyteris, in relatione-communione cum ipsis, peculiarem in modum refertur ad primigenium ministerium apostolorum, in quorum « successionem » realiter advocantur, etiam si per alias formas id perficitur.

[28] *Propositio* 7.

Non igitur censendum erit ordinatum sacerdotium velut aliquid Ecclesia ipsa antiquius, quandoquidem totum id in Ecclesiae servitium sit natum; neque ut aliquid communitate ecclesiali posterius, quasi concipi hanc possit prius constitutam esse et postea sacerdotio donatam.

Relatio sacerdotis ad Christum Iesum, et in Ipso ad ipsius Ecclesiam, ponenda est in eo quod sacerdos est factus vi consecrationis-unctionis sacramentalis, et in eo quod ut talis operatur, id est in missione et ministerio. Nominatim « Sacerdos ministerialis est servus Christi,, praesentis in Ecclesia-mysterio-communione-missione. Cum participare valeat "unctionem" et "missionem" Christi, potest perpetuas in Ecclesia facere Eiusdem preces, verba, sacrificium, actionem salvificam. Evadit sic servus Ecclesiae mysterii, cum agere valeat, signis ecclesialibus et sacramentalibus, praesentiam Christi resurgentis. Est quoque servus Ecclesiae communionis quia cum sit ipse coniunctus Episcopo in arcta cum presbyterio relatione, constructor evadit communitatis ecclesialis in harmonia diversarum vocationum diversorum que charismatum et servitiorum. Evadit denique servus Ecclesiae missionis, qui sua ipsius navitate communitatem reddit praeconem atque testem Evangelio ».[29]

Atque ita sacerdos, ob suam ipsius naturam et missionem sacramentalem apparet in Ecclesiae structura tanquam signum absolutae prioritatis et gratuitatis illius gratiae quae a Christo resurgente confertur Ecclesiae. Atque per ministeriale sacerdotium Ecclesia conscientiam sui ipsius in fide adquirit, se non a semetipsa originem sumpsisse, sed a Christi gratia in Spiritu Sancto. Apostoli autem eorumque successores, cum potestatem non suam sed a Christo Capite et Pastore receptam habeant, locum coram Ecclesia occupant — per suum ministerium — quod non nisi signum et continuatio sacramentalis et visibilis est Ipsius Christi, qui coram Ecclesia et mundo unus auctor et origo est Salutis; Salutis scilicet permanentis et semper novae, cum unus sit «ipse salvator corporis» (*Eph* 5, 23).

17. Ministerium ordinatum, vi ipsius naturae tum tantummodo impletur cum presbyter Christo coniunctus perstat per

[29] SYNODI EPISCOPORUM VIII COETUS GEN. ORD., *De sacerdotibus formandis in hodiernis adiunctis* - « Instrumentum laboris », 16; cf. *Propositio* 7.

insertionem sacramentalem in ordinem presbyteralem, id est, quatenus in communione hierarchica remanet cum proprio Episcopo. Ministerium enim ordinatum suam habet praecipuam « formam communitariam », unde tantummodo ut « opus collectivum » impletur.[30] In hac sacerdotii natura « communionali » diu immoratum est Concilium,[31] distincte perpendens relationes presbyteri cum proprio Episcopo, cum aliis presbyteris, cum christifidelibus laicis.

Presbyterorum ministerium est imprimis communio necnon necessaria et responsalis collaboratio pro ministerio episcopi, in sollicitudine pro Ecclesia universali et pro singulis Ecclesiis particularibus, in quarum servitium presbyteri unum constituunt cum episcopo presbyterium.

Singuli autem sacerdotes, sive dioecesani sive religiosi sunt, uniuntur ceteris presbyterii membris vi communis sacramenti Ordinis, per peculiaria caritatis apostolicae vincula. Universi enim presbyteri, seu dioecesani seu religiosi, participes effecti sunt unius sacerdotii Christi Capitis et Pastoris, « omnes pro eadem causa laborant, id est in corporis Christi aedificationem; quae rursus, cum multiplices functiones exigat novasque identidem adaptationes secum ferat, praesertim hisce nostris, temporibus »,[32] decurrentibus saeculis ditanda indesinenter est novis charismatibus.

Presbyteri tandem, siquidem eorum imago et peculiare in Ecclesia munus sacerdotium baptismale totius Dei Populi non removet, sed ad adiuvandum natum est, id ad plenum sui actum ecclesialem perducendo, erga christifideles laicos sese habeant necesse est velut definiti promotores, cum in servitium positi sint eorum fidei, spei et caritatis. Eorundem ergo, tanquam fratres et amici, agnoscant et sustineant dignitatem filiorum Dei, eosque adiuvent ut in plenitudine exercere valeant munus quod in ambitu missionis Ecclesiae eisdem contigit.[33]

Sacerdotium ministeriale quod per Ordinis sacramentum confertur et illud commune seu « regale » christifidelium sacerdotium, inter sese non gradu tantum sed essentialiter diver-

[30] *Angelus* (25 Februarii 1990): diurnarium « *L'Osservatore Romano* », 26-27 Februarii 1990.

[31] Cf. Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 7-9.

[32] *Ibid.,* 8; cf. *Propositio* 7,

[33] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 9.

sum ad invicem tamen coordinantur, cum utrumque — licet aliud alia forma — ab uno Christi sacerdotio proveniat. Ceterum sacerdotium ministeriale non per sese altiorem sanctitatis gradum requirit respectu communis christifidelium sacerdotii; sed per id presbyteris a Christo per Spiritum peculiare datur donum quo possint Populum Dei iuvare ut fideliter et plene adimpleat sacerdotium sibi collatum.[35]

18. Ut opportune Concilium animadverterat: « Donum spirituale quod presbyteri in ordinatione acceperunt, illos non ad limitatam quandam et coartatam missionem praeparat, sed ad amplissimam et universalem missionem Salutis usque ad ultimum terrae, nam quodlibet sacerdotale ministerium participat ipsam universalem amplitudinem missionis a Christo Apostolis concreditae ».[36]

Propter naturam autem ipsius ministerii oportet ut presbyteri penitus animentur profundo spiritu missionario: « eo scilicet spiritu vere catholico quo propriae dioecesis, nationis vel ritus fines transcendere et totius Ecclesiae necessitates iuvare assuescant, animo parati ad Evangelium ubique praedicandum ».[37]

Presbyter praeterea, cum intra Ecclesiae vitam eo vocetur ut communionis promotor sit, id conari debet ut, inter alios, ipse potissimum missionis et dialogi sit fautor. Actis ergo profundioribus in veritate et caritate christiana radicibus, et desiderio ardens nuntiandi universorum Salutem, auctor imprimis exstabit nectendis fraternitatis et servitii vinculis, veritatis in omnibus persequendae, iustitiae et pacis inter omnes homines provehendae; idque praesertim cum aliarum Ecclesiarum vel christianarum confessionum fratribus, non ipsis aliarum religionum fidelibus exclusis; brevi, cum hominibus bonae voluntatis et peculiari modo cum tenuioribus et infirmiorihus,immo et cum iis qui, licet inscii et indocti, veritatem et Christi salutem sitiunt, secundum verbum Iesu qui dixit: « Non egent, qui sani sunt, medico, sed qui male habent. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad paenitentiam » (*Mc* 2, 17).

[34] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 10.

[35] Cf. *Propositio* 7.

[36] Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 10.

[37] Decretum de Institutione sacerdotali *Optatam totius,* 20.

Hodie praesertim urgentius illud munus pastorale novae evangelizationis, quod universum Dei Populum sollicitat novamque alacritatem, novas methodos, novam denique linguam pro Evangelio nuntiando postulat, sacerdotes requirit qui radicitus atque integre in Christi mysterium immersi sint, capaces novum pastoralis vitae stilum in actum ponendi; qui et profunda communione cum Summo Pontifice, cum Episcopis, apud semetipsos emineant, et per fecundam cum christifidelibus laicis collaborationem signentur, reverentes nihilominus et provehentes quae, intra ecclesialem communitatem, diversa sunt vel munera, vel charismata, vel ministeria.[38]

« Hodie impleta est haec Scriptura in auribus vestris » *(Lc* 4, 21). Audiamus denuo oportet haec Iesu verba, sub luce tamen sacerdotii ministerialis, prout id ostendimus, natura praesertim in missione eius perspecta. Si Iesus « hodie » dicit, meminerimus etiam temporum plenitudinem designari, tempus nempe assequendae plenioris et definitivae salutis, id est, Ecclesiae tempus! Consecratio ergo et missio Christi: « Spiritus Domini... unxit me, evangelizare pauperibus, misit me praedicare... annum Domini acceptum » *(Lc* 4, 18), sunt radices vivae e quibus consecratio et missio Ecclesiae germinant, cum ipsa sit Christi «plenitudo» (cf. *Eph* 1, 23): per baptismi enim lavacrum Spiritus Domini super universos effunditur credentes, qui in id consecrantur ut aedificatio fiant spiritualis per sacerdotium sanctum, quos eosdem mittit ut testes sint prodigiorum illius qui eos e tenebris eruit in admirabile lumen suum (cf. *1 Pe* 2, 4-10). Presbyter partem habet modo quodam specifico ac probabili, consecrationis et missionis Christi, id est per sacramentum ordinis, cuius vi ipse configuratur ad similitudinem Christi Capitis et Pastoris, missionem tum accipiens «nuntiandi pauperibus... annum Domini acceptum». Idque nomine et persona Ipsius Christi.

Patres synodales, in ipsorum ad Populum Dei nuntio, paucis quidem sed ditissimis verbis in compendium duxerunt sacerdotii ministerialis « veritatem », melius « mysterium » seu «donum», cum ita scripserunt: «Nostra identitas, tanquam ultimum fontem amorem habet Patris. Cum Filio, Summo Sa-

[38] Cf. *Propositio* 12.

cerdote et Bono Pastore ab eo misso, in sacerdotio ministeriali per Spiritus Sancti actionem sacramentaliter coniungimur. Vita et navitas sacerdotis est vitae et navitatis ipsius Christi Sacerdotis continuatio: haec est nostra identitas, vera dignitas, gaudii fons, vitae certitudo ».[39]

CAPUT III

SPIRITUS DOMINI SUPER ME

DE VITA SPIRITUALI PRESBYTERORUM

19. « Spiritus Domini super me » (*Lc* 4, 18). Spiritus non « super » simpliciter est: Messiam « replet », penetrat, in suo esse et operari assequitur. Spiritus enim principium est « consecrationis » et « missionis » Messiae: « Propter quod unxit me... et misit me... praedicare annum Domini acceptum » (*Lc* 4, 18). Propter Spiritum ergo Christus totaliter et exclusive ad Deum pertinet, partem habet in infinita Dei sanctitate, Ipsum vocantis, eligentis, mittentis. Sic itaque sese Spiritus Domini revelat, tanquam sanctitatis fontem et ad sanctificationem vocationem.

Idem autem « Spiritus Domini » est etiam « super » integrum Dei Populum, qui in id tanquam « consecratus » populus a Deo constituitur, et a Deo « mittitur » ut salvificum annuntiet Evangelium. Atque ab eodem Spiritu Populi Dei membra omnia « inebriantur », «signantur» (cf. *1 Cor* 12-13; *2 Cor* 1, 21ss.; *Eph* 1, 13; 4, 30) et ad sanctitatem denique vocantur.

Peculiari autem modo Spiritus nobis revelat et communicat eam fundamentalem vocationem quam ab aeterno universis destinat Pater: vocationem scilicet ut « sancti simus et immaculati in conspectu eius in caritate », vi illius beneplaciti voluntatis suae « qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum » (*Eph* 1, 4-5). Atque huiusmodi vocationem non revelando tantum et communicando Spiritus fit in nobis robur et voluntas ad eius effectionem: ipse

[39] *Nuntius* Patrum synodalium ad Populum Dei (28 Octobris 1990), III: 1. mem.

enim Filii Spiritus (cf. *Gal* 4, 6) nos cum Christo conformat participesque efficit suae filialis vitae, id est caritatis erga Patrem et erga fratres nostros: « Si vivimus Spiritu, Spiritu et ambulemus » *(Gal* 5, 25). Quibus verbis nos apostolus Paulus commeminit christianorum exsistentiam «vitam esse spiritualem », id est per Spiritum animatam et ductam versus sanctitatem vel caritatis perfectionem.

Assertio autem Concilii: « Omnes christifideles cuiuscumque status vel ordinis ad vitae christianae plenitudinem et caritatis perfectionem vocari »[40] peculiarissimo quodam modo presbyteris applicanda est: illi ad id enim vocantur non eo tantum quod baptizati sunt, sed ea ipsa ratione quia sunt presbyteri, id est, novo quodam titulo et peculiaribus rationibus ex Ordinis sacramento derivantibus.

20. De presbyterorum « vita spirituali » et de eorum dono et responsalitate ut « sancti » fiant, Concilii Decretum de presbyterorum ministerio et vita compendium suppeditat copia et stimulis perquam munificum: « Sacramento Ordinis presbyteri Christo Sacerdoti configurantur, ut ministri Capitis, ad totum Eius corpus, quod est Ecclesia, exstruendum et aedificandum, tanquam ordinis episcopalis cooperatores. Iam quidem in Baptismi consecratione, sicut omnes christifideles, signum et donum acceperunt tantae vocationis et gratiae ut, vel in infirmitate humana, perfectionem prosequi possint et debeant, iuxta verbum Domini: "Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est" *(Mt* 5, 48). Ad hanc vero perfectionem acquirendam peculiari ratione tenentur sacerdotes, quippe qui, Deo in ordinis receptione novo modo consecrati, Christi Aeterni Sacerdotis viva instrumenta efficiantur, ut mirabile opus Eius, quod superna efficacitate universum hominum convictum redintegravit, per tempora persequi valeant. Cum ergo omnis sacerdos, suo modo, Ipsius Christi personam gerat, particulari quoque gratia ditatur ut, inserviendo plebi commissae et universo populo Dei, Eius perfectionem altius prosequi possit, cuius partes sustinet, utque humanae infirmitati carnis medeatur sanctitas Illius, qui nobis factus est Pontifex, "sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus" *(Heb* 7, 26) ».[41]

[40] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 40.

[41] Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 12.

Asserit ergo imprimis Concilium « communem » esse vocationem ad sanctitatem. Quae quidem vocatio radices habet in Baptismate, quod presbyterum notat tanquam christifidelem, « fratrem inter fratres », insertum Dei Populo atque cum eo unitum, laetum in Salutis donis cum reliquis compartiendis (cf. *Eph* 4, 4-6) et in communi officio incedendi « secundum Spiritum » in adsectatione unius Magistri et Domini. Meminerimus celeberrimi divi Augustini effati: « Vobis sum episcopus, vobiscum sum christianus... Illud nomen est periculi, hoc salutis ».[42]

Eadem perspicuitate conciliaris loquitur textus de vocatione « specifica » ad sanctitatem, idque profecto tanquam de vocatione originem trahente a sacramento Ordinis, quod presbyterorum proprium est atque peculiare, vi novae cuiusdam consecrationis quam ordinationem dicimus. Ad eandem praecipuam vocationem innuere pergit S. Augustinus cum superiora verba explanans, ita prosequitur: « Si ergo plus me delectat, quod vobiscum emptus sum, quam quod vobis praepositus sum; tunc, ut Dominus praecipit, ero abundantius vester servus, ne ingratus sim pretio, quo vester merui esse conservus ».[43] Pertractat deinceps conciliaris textus quasdam minutatim res earum e quibus dignoscitur praecipua presbyterorum vita spiritualis. Quarum pleraeque connectuntur cum « consecratione », quae eorum propria est eosque ad Christum, Ecclesiae Caput et Pastorem configurat; vel cum « missione » vel ministerio presbyterorum proprio, quod eos habiles efficit et instruit ut fiant « Christi Sacerdotis aeterni viva instrumenta » et ad agendum provehit « Ipsius Christi nomine et persona »; idque per totam ipsorum vitam, quae manifeste invitatur ad testimonium reddendum modo quodam originali et alacri, per sic dictum « radicalismum evangelicum ».[44]

21. Presbyter, per sacramentalem hanc consecrationem, configuratur Christo Iesu quatenus Capiti et Pastori Ecclesiae, atque exinde, donationis instar, recipit eam « spiritualem potestatem » quae participatio est auctoritatis summae qua Christus, per Spiritum suum, ducit Ecclesiam.[45]

[42] *Sermo 340,* 1: *PL* 38, 1483,

[43] *Ibid.:* l. mem.

[44] Cf. *Propositio* 8.

[45] Cf CONC. OEC. VAT. II, Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 2; 12.

Per hanc ergo consecrationem a Spiritu peractam in sacramentali effusione, spiritualis presbyteri vita instruitur, confingitur, signatur quodammodo iis habitibus, gestibus, placitis, quae Ipsius Christi Iesu, Capitis et Pastoris Ecclesiae, propria sunt, et quae compendio efficiunt caritatem quam dicimus pastoralem.

Christus est Ecclesiae Caput, sui scilicet Corporis. « Caput » est eo quidem novo et sibi proprio modo, « servum » scilicet significandi, prout ab Ipsius verbis evincitur: «Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis » *(Me* 10, 45). Quod servitium seu « ministerium » plenitudinem sui attigit per mortem in cruce acceptam, id est per totale sui donum, in humilitate et amore: « Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus; et habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis » *(PMlp* 2, 7-8). Auctoritas autem Christi Iesu Capitis eadem est ac Ipsius servitium, donum, totalis deditio, humilis atque dilectionis plena, erga Ecclesiam. Idque in perfecta erga Patrem obedientia. Ille enim, unicus verusque est afflictus et dolens Domini Servus, idemque Sacerdos et Hostia seu Victima.

Hac potissimum auctoritatis forma, id est, servitio Ecclesiae oblato, tota animatur et vivificatur existentia spiritualis cuiusvis presbyteri, idque perficitur exigente ipsius configuratione ad Christum Iesum, Ecclesiae Caput et Servum.[46] Bene ergo divus Augustinus episcopum aliquem ita hortabatur occasione illius ordinationis: « Qui populo praeest oportet ante omnia cognoscat se multis inservire. Neque hoc eum paeniteat, eum non abhorreat se multorum servum esse, quia Dominum Dominorum non dedecuit nostrum fieri servum ».[47]

Instruenda igitur erit spiritualis vita ministrorum Novi Testamenti iuxta necessarium hoc exemplar in Populi Dei servitium (cf. *Mt* 20, 24ss.; *Me* 10, 43-44), procul a quavis ostentatone et a desiderio « dominandi » in gregem cuique concreditum (cf. *1 Pe* 5, 2-3). Sit igitur servitium magno animo

[46] Cf. *Propositio* 8.

[47] *Sermo Morin Ouelferbytanus,* 32, 1: *PLS* 2, 637.

acceptum et libenter secundum Deum exhibitum; ita fiet ut ministri, qui in communitate « seniores », id est presbyteri nominantur, evadere possint « exemplar » gregis, qui vicissim erga universum mundum eandem hanc servitii indolem, tanquam sacerdotalem habitum, induant pro pleniore hominis vita, vel etiam pro ipius integra liberatione.

22. Christi imago, Pastoris Ecclesiae, quae Eius est grex, recipit atque denuo proponit novis ac versicoloribus delineamentis eadem quae in imagine Christi Capitis vel Servi reperiuntur. Est enim ipse Christus Iesus qui verum faciens propheticum praeconium de Messia Salvatore, olim laetanter a Psalmorum vate et ab Ezechiele propheta cantatum (cf. *Ps* 22-23; *Ez* 34, 11ss), semetipsum velut « bonum Pastorem » ostendit *(Io* 10, 11-14) neque Israelis tantummodo, sed hominum universorum *(Io* 10, 16); eiusque vita manifestatio est, nunquam interrupta, immo quotidiana exhibitio eius « caritatis pastoralis »: multitudinum miseretur, quippe quae, velut oves sine pastore, defessae et confectae sint (cf. *Mt* 9, 35-36); quaerit quae vel erraverunt vel viribus defecerunt (cf. *Mt* 18, 12-14), festum que agit quoties invenit; eas denique colligit et tuetur, novit, vocat tandem nominatim (cf. *Io* 10, 3), in pascuis etiam virentibus et super aquas quietis collocat (cf. *Ps* 22, 23); mensam denique pro ipsis instruit, eas suae ipsius vitae nutrimento fovet. Hanc bonus Pastor vitam, per suam mortem et resurrectionem offert, ut perspicue liturgia Romana pangit: « Surrexit Pastor bonus, qui animam suam posuit pro ovibus suis, et pro grege suo mori dignatus est ».[48]

« Pastorum Principem » appellat Iesum Petrus *(1 P e* 5, 4) idque quia eius opus et missio continuatur in Ecclesia per apostolos (cf. *Io* 21, 15-17) et per eorum successores (cf. *1 Pe* 5, 1ss.) et per presbyteros. Vi huius consecrationi^, presbyteri, qui cum Iesu bono Pastore configurantur, vocati sunt ad imitandam illius caritatem pastoralem eamque per vitam exprimendam.

Eadem sui donatio qua Christus sese Ecclesiae suae tradit cum eam facit amoris sui fructum, perfecte cohaeret cum illa

[48] MISSALE ROMANUM, *Antiphona* ad communionem in Missa Dominicae P7 Paschae.

primigenia deditione quae propria sponsi est erga sponsam, ut saepe, etiam in sacris textibus innuitur. Iesus enim verus est sponsus, qui Ecclesiae Salutis porrigit vinum (cf. *Io* 2, 11). Ipse, « qui Caput est Ecclesiae... ipse salvator corporis » *(Eph* 5, 23), dilexit Ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea ut eam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid eiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata » *(Eph* 5, 25-27). Ecclesia profecto corpus est in quo praesens adest atque operatur Christus Caput, sed eadem est etiam sponsa, quae velut nova Eva, ab aperto latere Redemptoris in cruce pendentis prosilit. Propterea dicitur Christus prostare « coram » Ecclesia, eamque « nutrire et fovere » *(Eph* 5, 29), vitam pro ea in donum offerens. Sacerdos ergo advocatur ut sit imago vivens Iesu Christi, Ecclesiae sponsi:[49] remanet ipse quidem semper communitatis pars, sicut remanent credentes ceteri, omnesque alii fratres et sorores, qui ab Spiritu sunt convocati, sed vi eiusdem configurationis ad Christum Caput et Pastorem, ipse presbyter positus est in eiusmodi relatione sponsali erga propriam communitatem: « Quatenus repraesentat Christum Caput, Pastorem et Sponsum Ecclesiae, sacerdos non tantum in Ecclesia, sed etiam erga Ecclesiam ponitur ».[50] Sic ergo invitatur presbyter ut in sua vita spirituali dilectionem eam vivat quam Christus Sponsus erga sponsam Ecclesiam fovet. Eius igitur vita sic illustranda est et instruenda, sub hoc quoque sponsali prospectu, ut testis fiat amoris sponsalis Christi; valens proinde omnes diligere, corde quidem novo, magnanimo et puro, per veram sui ipsius neglegentiam, per plenam deditionem, continuam fidelemque, et simul per quandam amantis aemulationem (« aemulor enim vos»: *2 Cor* 11, 2), ea animi materni lenitate quae nec blanditias spernat materni animi proprias, nec loquelam ipsius « parturientis » suam facere recuset, « donec in christifidelium cordibus denuo formetur Christus » (cf. *Gal* 4, 19).

23. Principium interius, virtus scilicet qua presbyteri vita spiritualis animetur et quasi manuducatur, quatenus is con-

[49] Cf. Ep. Ap. *Mulieris dignitatem* (15 Augustii 1988), 26: *AAS* 80 (1988) 1715-1716.

[50] *Propositio* 7.

figuratur Christo Capiti et Pastori, ponendum est in caritate pastorali, id est in participatione ipsius caritatis pastoralis Christi Iesu; quae et gratuitum Spiritus Sancti donum erit, et simul munus et liberum responsale presbyteri responsum.

In qua pastorali caritate primum contineatur necesse est donum sui: donum scilicet totale, Ecclesiae tradendum, ad imaginem Christi eiusdemque donationis imitationem. «Caritas enim pastorum ea virtus est qua Christum in sui donatione et in servitio imitamur: non proinde ponenda est in illis quae facimus, sed reperienda in nostrum ipsorum dono, quo exprimatur Christi amor gregi oblatus. Huiusmodi caritas pastoralis confirmabit nostram cogitandi et agendi rationem nostrumque morem ad homines accedendi. Idque severam a nobis postulat renuntiationem... ».[51]

Hoc nostri donum, quod radix et synthesis est caritatis pastoralis, Ecclesiae est destinandum. Sic nos edocuit Christus qui «dilexit Ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea » *(Eph* **5, 25); eodem ergo modo sacerdos operetur. Per caritatem pastoralem, quae ministerii sacerdotalis exercitium sic instruit tanquam « amoris officium sacerdos, qui vocationem ad ministerium amplexus est, capax redditur id ipsius velut optatum amoris exemplum exercendi, unde nullum potiorem profiteatur amorem, quam Ecclesiae et animarum; hac concreta spiritualitate munitus eadem cordis incitatione qua sponsus ad sponsam trahetur, et universalem pariter Ecclesiam diliget et eam eiusdem portionem quae fuerit ipsi concredita ».**[53] **Donum sui limites non novit, cum eius insigne sit idem atque apostolicus et missionarius Christi, boni Pastoris, impetus, qui dixit: « Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unus grex, unus pastor »** *(Io* **10, 16).**

Intra communitatem autem ecclesialem Tiaec'pastoralis ea-'' ritas sacerdotis sollicitat, immo peculiari ac specifico modo exigit, personalem quandam relationem cum cetero presbyte-

[51] ***Homilia* in adoratione eucharistica Seuli habita** (7 **Octobris** 1989), 2: ***Insegnamenti,*** **XII,** 2 (1989) 785.

[52] S. AUGUSTINUS, ***In Iohannis Evangelium Tractatus,*** 123, 5: ***CCL*** 36, 678.

[53] ***Allocutio ad presbyteros* qui interfuerunt conventui a Conferentia episcopali Italica promoto** (4 **Novembris** 1980): ***Insegnamenti,*** **III,** 2 (1980) 1055.

rio, intra sese et cum Episcopo compacto, ut explicite a Concilio declaratum est: « Pastoralis ergo caritas postulat ut Presbyteri, ne in vacuum currant, in vinculo communionis cum Episcopis et cum aliis in sacerdotio fratribus semper laborent».[54]

Donum nostri Ecclesiae ad eam respicit in quantum Ipsa Christi Iesu Sponsa est. Caritas ergo sacerdotis Christum primum respicit: et tantummodo ea caritas quae Christum Caput et Sponsum amat eique inservit, evadere potest fons, criterium, mensura, incitatio denique amoris et servitii, quod presbyter Ecclesiae, Christi Corpori et Sponsae, tradit. Atque haec erat perlucida et strenua perceptio Pauli apostoli, cum ad christianos Ecclesiae Corinthi sic scribebat: « Nos autem servos vestros per Iesum » *(2 Cor* 4, 5). Nam haec fuerat praesertim doctrina Iesu explicita et pro futuro, cum ipse Petro tradidit pascendum gregem non antequam ab eo triplicem amoris, immo praedilectionis, attestationem exquisivit: « Dicit ei tertio: Simon Ioannis, amas me?... Dicit ei Petrus: Domine, tu omnia scis: tu cognoscis quia amo te. Dicit ei: pasce oves meas... » *(Io* 21, 17).

Pastoralis caritas, quae fontem specificum in Ordinis sacramento habet, pleniorem sui sensum et supremum alimentum in Eucharistia reperit: « Haec quidem pastoralis caritas maxime profluit a sacrificio eucharistico, quod ideo centrum et radix totius vitae presbyteri exstat, ita ut quod in sacrificali ara agitur, sacerdotalis animus in se referre studeat ».[55] In Eucharistia enim « repraesentatur », id est denuo praesens fit, crucis sacrificium, totale Christi ad Ecclesiam suam donum, corporis scilicet quod traditur, sanguinis qui effunditur; supremum testimonium Illius qui Caput est et Pastor, Servus et Sponsus Ecclesiae. Atque ob hanc potissimum caritatis pastoralis postulationem presbyter non tantum dicitur ab Eucharistia procedere sed in eadem invenire meliorem sui significationem, sicuti ab Eucharistia quoque et gratiam et munus recipit conferendi auctoritatem « sacrificalem » toti suae exsistentiae.

Haec eadem caritas pastoralis principium habetur, interius et dynamicum, capax in unum perducendi multiplicem et va-

[54] Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 14.

[55] *Ibid.*

riam sacerdotis navitatem. Per eam enim responsum dari potest exigentiae illi, essentiali necnon permanenti, unitatis inter vitam scilicet interiorem et complures actiones et munia quae secum fert ministerii responsalitas; quod postulatum urgentius et implicatius hodie effectum est, in hoc socio-culturali et ecclesiali contextu, in quo etiam munera internectuntur, minutatila dividuntur, dispertiuntur. Unde tum tantum incitatio quaevis et gestus quivis possunt in unam intentionem reduci « vitam pro grege ponendi » cum omnia haec in unitatem rediguntur, aequilibrio interiori spirituali presbyteri necessariam. «Quam vitae unitatem... struere valent presbyteri, exemplum in ministerio adimplendo sequentes Christi Domini, cuius cibus erat voluntatem facere Illius qui Eum misit, ut opus suum perficeret... Sic Boni Pastoris partes agendo, in ipso caritatis pastoralis exercitio invenient vinculum perfectionis sacerdotalis, ad unitatem eorum vitam et actionem redigens ».[56]

24. Spiritus Domini Christum consecravit et ad Evangelium misit nuntiandum (cf. *Lc* 4, 18). Missio ergo non est elementum exterius, consecrationi adiunctum, sed eiusdem intrinsecum vitalem que sensum constituit: consecratio enim missioni destinatur. Atque ita fit ut non tantummodo consecratio sed etiam missio subsit Spiritus dominatui, sub Ipsius scilicet sanctificanti influxu.

Id Iesu Ipsi contigit, idemque apostolis eorumque successoribus exspectandum fuit. Idem ergo Ecclesiae et eius presbyteris erit experiendum: omnibus enim Spiritus ut donum exspectandum est, ut vocatio ad sanctificationem, ut sustentandae missionis iuvamen.

Datur igitur interior quaedam relatio inter vitam spiritualem presbyteri et exercitium eius ministerii,[58] quod ita per Concilium descripta sunt: « Itaque ministerium Spiritus.et iustitiae exercentes, dummodo sint docibiles Spiritui Christi qui eos vivificat et ducit, in vita spiritus firmantur. Per ipsas enim cotidianas sacras actiones, sicut et per integrum sui ministerium, quod cum Episcopo et Presbyteris communicantes exercent,

[56] *Ibid.*

[57] Cf. PAULUS PP. VI, Adh. Ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 75: *AAS* 68 (1976) 64-67.

[58] Cf. *Propositio* 8.

ipsi ad vitae perfectionem ordinantur. Ipsa autem sanctitas Presbyterorum ad proprium ministerium fructuose complendum plurimum confert ».[59]

« Agnosce ergo quod agis, imitare quod tractas ». Hanc seu invitationem seu admonitionem Ecclesia presbytero in ipso ordinationis ritu proponit, cum eidem defertur oblatio populi sancti pro compiendo sacro sacrificio. « Mysterium » autem, cuius presbyter est « dispensator » (cf. *1 Cor* 4, 1), est ad ultimum ipse Christus qui in Spiritu est fons sanctitatis et ad sanctificationem invitatio. « Mysterium » ergo in presbyteri vitam inserendum est; quantum hinc exsurgit vigilantiae officium, quanta conscientia! Propterea idem ordinationis ritus ad commemorata verba haec quoque addidit: « Vide ut quod legeris credas, quod credideris doceas, quod docueris imiteris ». Bene igitur Paulus episcopum Timotheum admonebat: « Noli neglegere donationem quae in te est » *(1 Tim* 4, 14; cf. *2 Tim* 1,6).

Aliquam explicationem etiam habet relatio inter vitam spiritualem et ministerium sacerdotale; consideretur caritas pastoralis quae per Ordinis sacramentum donatur. Cum ministerium sacerdotale participatio potissimum sit ministerii salvifici Christi Capitis et Pastoris, non potest vivam non exprimere Eiusdem caritatem pastoralem, quae simul est fons et spiritus huiusmodi servitii et sui ipsius doni. Est enim presbyterale ministerium, si obiectiva eiusdem realitas consideratur, « amoris officium », iuxta Augustini effatum; obiectiva proinde haec realitas fundamentum evadit et invitatio erga inde nascens « ethos », quod non aliud erit nisi vivendi dilectio, ut bene adnotat ipse Augustinus: « Sit amoris officium pascere dominicum gregem ».[60] Hoc « ethos » et proinde ipsa vita spiritualis, aliud non est nisi acceptatio, in libertate, in conscientia, et proinde mente, corde, optatis et actibus, illius « veritatis » ministerii sacerdotalis tanquam amoris officii.

25. Summi est momenti pro vita spirituali quae per ministeriale explicatur exercitium, ut presbyter indesinenter renovet atque profundiorem efficiat conscientiam esse se Christi

Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 12„
In Iohannis Evangelium Tractatus, 123, 5: 1. mem.

Iesu administrum, idque per sacramentalem consecrationem et per conformationem Eius qui Ecclesiae est Caput et Pastor.

Conscientia haec non dumtaxat cohaeret cum natura missionis quam sacerdos pro Ecclesia et pro hominibus explet, sed et praecipui ponderis est ipsa vita spiritualis sacerdotis in missionem suam incumbentis; sacerdos enim a Christo non ut « res » sed ut « persona » assumitur; non ille fit iners et passivum instrumentum, sed « instrumentum vivum », ut asserit Concilium eo potissimum loco ubi de obligatione loquitur in huiusmodi perfectionem tendendi.[61] Idemque Concilium, de sacerdotibus loquitur « sociis et adiutoribus »: Deum autem « Sanctum et Sanctificatorem » nominat![62] Eo igitur sensu id certe elucet: provocari liberam et responsalem personae conscientiam per ministerii exercitium, cum vinculum illud quod presbyterum et Christum nectit, quodque ex consecratione et conformatione per Ordinis sacramentum promanat itemque fundamentum exstat et postulatum alterius vinculi quod reponitur in sic dicta « intentione » id est, in voluntate conscienter faciendi per ministerialem gestum quidquid facere intendit Ecclesia. Hoc autem novum vinculum, natura sua, eo tendit ut quam latissime omnino pateat, mentes, affectus, vitam ipsam pertrahens, scilicet ipsam congeriem « dispositionum » moralium et spiritualium, quae seiungi non possunt a navitate pastorali quam presbyter exsequitur.

Nullum est dubium quin ministerii presbyteralis exercitium, et nominatim sacramentorum celebratio, vim suam salutiferam ab una Christi actione in sacramento praesenti nanciscantur. At eadem efficacia ministerii exercitii pendet etiam e minore vel maiore acceptione et humana participatione.[63] Singulariter maior vel minor ministri sanctitas re vim habet in nuntium verbi, in sacramentorum celebrationem^ in moderationem communitatis, in caritate. Quae omnia lucidius ab ipso Concilio declarantur: « Ipsa autem sanctitas Presbyterorum ad proprium ministerium fructuose complendum, plurimum confert: quamvis enim gratia Dei etiam per indignos ministros

[61] Cf. Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 12.

[62] *Ibid.,* 5.

[63] Cf. CONC. OEC. TRIDENT., *Decretum de iustificatione,* cap. 7; *Decretum de sacramentis,* can. 6 *(DS* 1529; 1606).

opus salutis explere possit, tamen per illos ordinaria lege praeoptat Deus sua mirabilia ostendere, qui dociliores impulsui et ductui Spiritus Sancti facti, ob suam intimam cum Christo unionem et vitae sanctimoniam, cum apostolo dicere valeant: "Vivo autem, iam non ego, vivit vero in me Christus" (*Gal* 2, 20) ».[64]

Presbyter ergo, conscius factus esse se Christi Capitis et Pastoris administrum, hanc quoque conscientiam adquirit gaudio plenam, peculiari se gratia esse a Christo Iesu donatum, cum gratiam receperit et gratuito se a Domino electum comperiat tanquam « instrumentum vivum » in opera salutis. Huiusmodi electio amorem Christi Iesu testatur erga presbyteros. Ceterum haec dilectio, vel etiam forte magis quam quaevis aliae dilectiones, ad eundem propemodum, amoris responsum secum fert. Haec quaestio fundamentalis est, quam Iesus, post resurrectionem, Petro posuit: « Simon Ioannis, diligis me plus his? ». Petro autem affirmative respondenti ilico missio traditur: « Pasce oves meas » (*Io* 21, 15). Petrum scilicet Iesus interrogat ut tum tantum cum diligere asseruerit, eidem gregem suum tradat. Re vera praevenit omnia ipsa libera Iesu dilectio, quae et interrogationem ab apostolo instruit et in concredenda cura « suarum » ovium completur. Sic quivis ministerialis gestus, dum eo tendit ut Ecclesiae sincera dilectio et servitium exhibeatur, maturat pariter amorem et servitium Iesu exhibitum, qui Ecclesiae ipsius et Caput et Pastor et Sponsus est. Isque amor exprimitur ad modum responsionis praevenienti liberae ac gratuitae Dei in Christo dilectioni. Atque rursus quodvis incrementum dilectionis erga Christum, incrementum secum fert in amore Ecclesiae: « Pascimus vos — Augustinus ait — pascimur vobiscum: det nobis Dominus vires sic amandi vos ut possimus etiam mori pro vobis aut effectu aut affectu ».[65]

26. Percipere ex ditissima Concilii Vaticani II doctrina possumus[66] quaenam sint condiciones, exigentiae, fructus ex intima relatione quae viget inter vitam spiritualem presbyteri et

[64] Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 12.

[65] *Sermo de Nat. sanct. Apost. Petri et Pauli ex Evangelio in quo ait: Simon Iohannis diligis me?: Bibliotheca Casinensis,* in « Miscellanea Augustiniana », vol. I., studio ac diligentia G. MORIN, O.S.B., Romae, Typis Polygl. Vat., 1930, p. 404.

[66] Cf. Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 4-6; 13.

exercitium eius triplicis ministerii: Verbi, Sacramenti, servitii Caritatis.

Est enim sacerdos Verbi Dei administer, cum consecratus et missus sit ad nuntiandum hominibus universis Evangelium Regni, singulos ad obedientiam fidei provocando et christifideles perducendo ad profundiorem in dies notitiam et communionem Dei mysterii, nobis in Christo re velati et communicati. Sacerdos ergo debebit propterea usum et consuetudinem cum Dei verbo imprimis fovere, cui non sufficiet lingüísticos dumtaxat et exegeticos aspectus novisse, licet id quoque necessarium sit; accedendum enim ad Dei Verbum est, corde docili et orante, ut sic possit ipsum cogitationes et affectum sacerdotis penitus permeare novamque instruere mentis conformationem — « sensum Domini » *(1 Cor* 2, 16) — ita etiam presbyteri verba, immo optata et placita, sensim evadant perlucidum Evangelii testimonium et nuntium. Tum enim, tantummodo si in Verbo « remaneat », poterit sacerdos fieri perfectus Domini discipulus; tum veritatem discernet; tum vere liber erit, cum superare didicerit quidquid Evangelio contrarium sit aut ab eo diversum (cf. *Io* 8, 31-32). Presbyteri est in Verbo « credentium » esse primum, bene scientem Verba sui ministerii non « sua » esse, sed illius qui eum misit. Cuius Verbi non ille dominus est, sed servus; neque unus possessor, sed debitor, coram Dei Populo. Quandoquidem autem sacerdos, qui de facto evangelizat, ut etiam evangelizare queat, ipse, sicut Ecclesia, conscius omnino esse debet necessitatis suae ipsius evangelizationis.[67] Verbum ipse nuntiat, qua administer est, particeps prophetiae auctoritatis Christi et Ecclesiae; propterea, ut christifideles tutos faciat sese eis Evangelium integrum traditurum, vocatur sacerdos ad animi sensibilitatem augendam; omnem dilectionem colendam, peculiarem quandam promptitudinem exhibendam erga vivam Ecclesiae et Magisterii traditionem: quae nullatenus aliena a Verbo Dei sunt, sed illius rectam interpretationem fovent verumque sensum custodiunt.[68]

Maxime autem vocatur sacerdos ad testificandam profundam unitatem quae viget inter exercitium sui ministerii et

[67] Cf. PAULUS PP. VI, Adh. Ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 15:1. mem., 13-15.

[68] Cf. Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum,* 8; 10.

vitam spiritualem, in celebrandis Sacramentis et in celebratione Liturgiae Horarum: donum gratiae, quod Ecclesiae offertur, vitae et sanctitatis principium et vocatio ad sanctificationem est. Ministerii et spiritualis vitae etiam sacerdoti locus centralis, tum in ministerio exercendo, tum in vita spirituali Eucharistiae est quoniam in ea «totum bonum spirituale Ecclesiae continetur, ipse scilicet Christus, Pascha nostrum panisque vivus per carnem suam Spiritu Sancto vivificatam et vivificantem, vitam praestans hominibus, qui ita invitantur et adducuntur ad se ipsos, suos labores cunctasque res creatas una cum ipso offerendos ».[69]

A reliquis autem sacramentis, sed singulatim ab uniuscuiusque propria et peculiari gratia, recidunt in presbyteri vitam spiritualem peculiares quaedam notae. Ea enim instruitur quodammodo et coagmentatur per proprietates et postulata variorum sacramentorum, quae illi celebranda immo et vivenda veniunt.

Peculiare volumus addere verbum circa Paenitentiae sacramentum, cuius, cum presbyteri ministri sint, esse pariter debent beneficiarii ut miserentis Dei indulgentiae erga peccatores non ministros sese tantummodo exhibeant, sed testes evadant. Recolere hic placet quae olim, in Adhortatione *Reconciliatio et Paenitentia* collegeramus: « Spiritualis ac pastoralis vita sacerdotis, perinde ac fratrum eius laicorum ac religiosorum, pendet ex assiduo diligentique usu personali sacramenti Paenitentiae. Eucharistiae celebratio ac sacramentorum reliquorum ministerium, ardor pastoralis, necessitudo cum fidelibus, communio cum fratribus, socia cum Episcopo opera, vita orationis: ut paucis dicamus, tota sacerdotalis vita contrahit sibi necessario detrimentum, si ob neglegentiam aliamve quamvis ob causam, usus periodicus, in vera fide ac pietate innixus, Sacramenti Paenitentiae ei defuerit. In sacerdote, qui non amplius peccata sua confiteretur, aut male confiteretur, ipsum eius sacerdotem esse et eius sacerdotem agere inde afficerentur, atque etiam Communitas id animadverteret, cuius ille est pastor ».[70]

[69] CONC. OEC. VAT. II, Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 5.

[70] Adh. Ap. postsynodalis *Reconciliatio et paenitentia* (2 Decembris 1984), 31, VI: *AAS* 77 (1985) 265-266.

Vocatur denique presbyter ut auctoritatem et servitium Christo, Ecclesiae Capiti et Pastori exhibeat, etiam communitatem animans et ducens, id est, « familiam Dei ut fraternitatem in unum » animans colligat eamque « per Christum in Spiritu ad Deum Patrem adducat ».[71] Hoc autem « munus regendi », munus est difficile admodum et implexum, cum includat, praeter curam singulorum et diversarum vocationum, facultatem in unum colligendi varietatem donorum et charismatum quae Spiritus in communitate exsuscitat, singula inspiciendo et pretium addendo in aedificationem Ecclesiae, et nunquam non in communione cum episcopis. Agitur enim de ministerio quod in sacerdote intensiorem exigit vitam spiritualem, florentem illis qualitatibus et virtutibus quae propriae sunt eius cui « praesidere » contigit communitati eamque ducere, id est « senioris » seu « presbyteri », nobiliore vocabuli sensu: quales sunt fidelitas, cohaerentia seu constantia, sapientia, omnium acceptatio, affabilis et comis bonitas, firmitas et auctoritas in essentialibus, libertas praesertim a prospectu minus subiectivo, abstinentia in proprio bono curando, patientia, oblectatio etiam laboris quotidiani, fiducia denique in Dei gratiam, quae etiam hac ratione in simplicioribus et tenuioribus saepe manifestatur (cf. *Tit* 1, 7-8).

27. « Spiritus Domini super me » *(Lc* 4, 18). Spiritus Sanctus per Ordinis sacramentum effusus, fons sanctitatis est et invitatio ad sactificationem, neque id tantum quia sacerdotem ad Christum, Ecclesiae Caput et Pastorem, assimilât vel configurat, eique missionem tradit propheticam, sacerdotalem, regalem, quam nomine ac persona Christi adimplet, sed etiam quia animat et vivificat eius vitam quotidianam, ditissimis eam instruens donis, exigentiis, virtutibus, impulsionibus, quae omnia in caritatem pastoralem veluti in compendium trahunt. Huiusmodi caritas fit synthesis quae valores et virtutes evangélicas unificat et simul vis quae provehit pleniorem cursum versus christianam perfectionem.[72]

Cf. CONC. OEC. VAT. II, Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 6.

[72] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 42.'

Radicalismus igitur evangelicus sic, et quidem pro christianis omnibus, nullo excluso, exigentia fundamentalis evadit nemini abdicanda, cum ab Ipsius Christi invitatione proveniat Eum sequendi et imitandi, vi artioris communionis cum Illo, quam Spiritus operatur (cf. *Mt* 8, 18ss.; 10, 37ss.; *Mc* 8, 34-38; 10, 17-21; *Lc* 9, 57ss.). Haec eadem exigentia sacerdotes pertingit, neque ob eam dumtaxat causam quod et ipsi in Ecclesia sunt, sed qui in Ecclesia quodammodo praesunt, quatenus Christo Capiti et Pastori configurantur, instructi praeterea atque missi ad ministerium per Ordinem collatum, caritate denique pastorali muniti. Iamvero intra hunc evangelicum radicalismum, quem manifestum exhibent, reperiri potest dives multiplicium virtutum et exigentiarum ethicarum seges, quae necessariae censentur pro sacerdotis pastorali et spirituali vita, quales, exempli causa, sunt: fides, humilitas adversus Dei mysterium, indulgentia, prudentia; potior vero radicalismi significatio reperienda est in varietate « consiliorum evangelicorum » quae Iesus in Beatudinum Sermone proposuit (cf. *Mt* 5, 1-12), et quorum potiora, intime inter sese cohaerentia, consilia sunt: obedientia, castitas, paupertas:[73] quae omnia sacerdos vocatur in vita sua ad exercenda iuxta modum, et altius secundum fines et significationem primigeniam, quibus identitas sacerdotalis exprimitur vel ab eadem derivantur.

28. « Inter virtutes quae maxime in ministerio sacerdotali necessariae censentur, commemoranda venit illa animi dispositio quae eosdem indesinenter impellit non ad voluntatem propriam exsequendam, sed ad implendam voluntatem Eius qui misit eos (cf. *Io* 4, 34, 5, 30; 6, 38) ».[74] Agitur alio verbo de obedientia, quae cum hic de sacerdotis vita spirituali agatur, peculiaritates quasdam induere debet, quas recensere oportet.

Sit imprimis obedientia « apostolica », eo sensu ut Ecclesiam in sua structura hierarchica agnoscat et amet, eidemque servire profiteatur. Nullum enim datur sacerdotale ministerium nisi in communione cum Summo Pontifice et cum collegio episcopali, praesertim cum propriae dioecesis Episcopo cui

[73] Cf. *Propositio* 9.

[74] CONC. OEC. VAT. II, Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 15.

debetur « peculiaris quaedam reverentia atque obedientia » prout in Ordinationis ritu promittitur. Huiusmodi autem « submissio » illis oblata a quibus auctoritas ecclesialis induitur, nihil propterea indecori habet, sed proveniat necesse est ab ipsa responsali presbyteri libertate, qui non tantummodo sua facit postulata vitae ecclesialis, prout organice haec instructa est, sed gratiam ipsam discretionis et responsalitatis erga ecclesialia placita, quippe quae concredita a Iesu ipso sint apostolis eorumque successoribus, ut fideliter servetur Ecclesiae mysterium et tota christianae communitatis compago nullo privetur subsidio, quo per unum idemque iter salutem suam attingat.

Nam christiana obedientia, si talis est, si scilicet, suo fundamento nisa, non serviliter vivitur, presbyterum iuvat ut etiam perlucida quadam evangelica ratione, auctoritatem adhibeat quae ad regendum Dei populum eidem concredita est: sine auctoritatis scilicet abusu et sine demagogicis placitis. Is enim tantummodo qui in Christo didicit obedire, didicit quoque quomodo, iuxta Evangelium, sit aliorum obedientia exigenda.

Habet quoque presbyteralis obedientia exigentiam quandam « communitariam »: non enim erga auctoritatem consideranda est individua singulorum obedientia; sed profunde inseritur in unitatem presbyterii, quod, ut tale, ad concordem cum Episcopo collaborationem fovendam vocatur, et per eum cum Petri successore.[75]

Hic aspectus obedientiae sacerdotalis non qualemcumque asceticam postulat contentionem; idque ita est intellegendum ut presbyter nunquam nimis propriis placitis vel personali suo rerum prospectui adhaereat, et sciat praeterea locum sodalibus concedere ut ipsi quoque talenta et facultates sine zelotypia, sine invidia, sine aemulatione exhibeant. Propria ergo sacerdotis obedientia sit imprimis solidalis, qua scilicet prodat sentire sese ut unius presbyterii membrum, suaque responsaliter et libere exprimat placita vel optata intra presbyterii unitatem.

Sacerdotalis denique obedientia characterem quendam habet « pastoralitatis ». Vivitur scilicet per indesinentem animi disponibilitatem, quasi sese sacerdos praebeat « edendum » per

[75] Cf. *ibid.*

necessitates et exigentias gregis. Quae proinde erunt ratione quodammodo perpendendae, et si casus ferat, inter sese comparandae, unde ad veritatis criterium earum selectio fiat; id, quoquomodo demum fit, plane « occupatam » presbyteri vitam tandem ostendet, fame scilicet Evangelii, fidei, spei, dilectionis Dei Eiusque mysterii; quae omnia ipse presbyter praesentia animadvertit in Dei populo suis curis concredito.

29. Inter evangelica consilia, asseritur in Concilio: « Eminet pretiosum gratiae divinae donum, quod a Patre quibusdam datur (cf. *Mt* 19, 11; *1 Cor* 7, 7), ut in virginitate vel caelibatu facilius indiviso corde (cf. *1 Cor* 7, 32-34) Deo soli se devoveant. Haec perfecta propter regnum caelorum continentia semper in honore praecipuo ab Ecclesia habita est, tanquam signum et stimulus caritatis, ac quidam peculiaris fons spiritualis fecunditatis in mundo ».[76] In virginitate autem et caelibatu significationem suam primigeniam servat castitas, id est, sexualitatis humanae quae vivitur velut authentica manifestatio ac pretiosum servitium erga amorem communionis et donationis interpersonalis. Haec significatio plene in virginitate remanet, quae realem efficit, et quidem etiam per renuntiationem coniugii, « significationem sponsalem » corporis, idque per communionem et donationem personalem Christo Iesu et eius Ecclesiae; quae omnia praefigurant quodammodo et ante vertunt communionem, et donationem perfectam et definitivam futurae vitae: « In ipsa virginitate homo exspectat, etiam corpore, nuptias eschatologicas Christi cum Ecclesia, dum se totum Ecclesiae tradit, sperans Christum quoque se Ecclesiae daturum in plena vitae aeternae veritate ».[77]

Sub hac luce intellegi facilius atque aestimari poterunt rationes ob quas occidentalis Ecclesia per plura saecula perrexerit nihil obstantibus difficultatibus et obiectionibus, perdurantibus saeculis indentidem manifestatis, conferre ordinem presbyteralem solis viris qui ostenderint se a Deo vocari in donum castitatis in caelibatu et absoluto et perpetuo.

Patres synodales perspicue, immo et fortiter, expressum voluerunt proprium de hac re iudicium, per Propositionem sum-

[76] Const. dogm, de Ecclesia *Lumen gentium,* 42.

[77] Adh, Ap. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 16: *AAS* 74 (1982) 98.

mae cuiusdam gravitatis, quam idcirco integram hic suscipere et exhibere placet: «Firma manente disciplina Ecclesiarum orientalium, Synodus persuasum habens caelibatum sacerdotalem charisma esse, presbyteris recolit ipsum Dei donum inaestimabile pro Ecclesia constituere, et valorem propheticum pro hodierno mundo praeferre. Haec Synodus fortiter iterum affirmat id quod Ecclesia Latina et aliqui orientales ritus requirunt, sacerdotium nempe conferendum esse illis tantum viris qui acceperunt a Deo donum vocationis ad castitatem caelibem (sine praeiudicio traditionis quarumdam Ecclesiarum Orientalium et casuum particularium cleri conversi uxorati, pro quo datur exceptio in Encyclica *Sacerdotalis caelibatus* Papae Pauli VI). Synodus nullum in cuiuslibet mente dubium relinquere vult de Ecclesiae firma voluntate legem retinendi, quae requirit caelibatum libere electum atque perpetuum pro admissis et admittendis ad ordinationem sacerdotalem in ritu Latino. Synodus exoptat ut caelibatus exponatur et explicetur in sua plena ubertate et biblica et theologica et spirituali, tanquam donum pretiosum a Deo Ecclesiae suae datum, atque signum Regni quod non est huius mundi, signum utique Dei amoris erga hunc mundum, necnon sacerdotis amoris indivisi erga Deum et populum Dei, ita ut caelibatus perspiciatur tanquam locupletato positiva sacerdotii ».[78]

Peculiaris sane momenti est ut sacerdos theologicas causas bene intellegat huius legis ecclesiasticae de caelibatu. Ea enim, quae lex est, Ecclesiae voluntatem exprimit, quae tempore praecedit ipsi subiecti presbyteri voluntati circa eius disponibilitatem. Sed Ecclesiae voluntas ultimam sui rationem invenit in eo vinculo quod caelibatus habet cum Ordinatione sacra, in id tendente ut sacerdos Christo Iesu, Ecclesiae Capiti et Sponso, configuretur. Ecclesia enim, ut Christi Iesu Sponsa, amari a sacerdote vult eadem illa totali et exclusiva ratione qua a Christo amatur. Caelibatus igitur sacerdotalis sic est donum sui in Christo et cum Christo, Ecclesiae Eius oblatum; idemque sic exprimit sacerdotis servitium Ecclesiae in et cum Domino praestitum.

[78] *Propositio* 11.

Quo autem adaequate agatur vita spiritualis presbyteri, convenit ut caelibatus ita apprehendatur atque in vitam adducatur, non ut segregata eaque negativa condicio, sed tanquam aspectus positivi cuiusdam valoris, specifici ac vitae sacerdotalis proprii; presbyter enim, patre ac matre relictis, Iesum bonum Pastorem in communione apostolica et in Dei servitio sequitur. Caelibatus ergo deliberandus est benevolenti ac libera optione, indesinenter renovanda, tanquam inaestimabile Dei donum, velut « stimulus caritatis pastoralis »,[79] ut singularis participatio tum in Dei paternitatem tum in Ecclesiae fecunditatem; brevi, ut testimonium mundo exhibitum Regni cuiusdam eschatologici. Ut autem in vitam transeant caelibatus sacerdotalis exigentiae, seu morales seu pastorales seu spirituales, necessaria absolute redditur oratio humilis et fiduciosa, prout opportune Concilium admonuerat: « Quo magis autem perfecta continentia in mundo huius temporis a non paucis hominibus impossibilis reputatur, eo humilius et perseverantes presbyteri gratiam fidelitatis, nunquam petentibus denegatam, una cum Ecclesia expostulabunt, cuncta subsidia supernaturalia et naturalia insimul adhibentes, quae omnibus praesto sunt ».[80] Eademque oratio, Ecclesiae sacramentis adiuncta et cum ascetica contentione sociata, victoriae spem in difficultate versantibus restituet, indulgentiam cadentibus, fiduciam et strenuitatem in viam sese denuo immittentibus.

30. Brevem, eamque profundam paupertatis evangelicae descriptionem excuderunt Patres synodales cum eam ita ostenderunt ut « submissionem omnium bonorum Bono Supremo Dei, et eius Regni ».[81] Re quidem vera ille dumtaxat intellegere ac assequi valet paupertatem, qui Dei mysterium contemplatur et vivit tanquam unum et summum Bonum, ut veras ac definitivas divitias. Paupertas enim nullatenus est bonorum materialium contemptus et repulsio, sed eorundem usus, gratus quidem et bene volens, modo simul adsit per summam libertatem interiorem, laeta ipsorum abstinentia, id est, relate ad Deum et ad Eiusdem placita.

[79] CONC. OEC. VAT. II, Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 16.

[80] *Ibid.*

[81] *Propositio* 8.

Paupertas sacerdotis, propter eiusdem sacramentalem configurationem ad Christum Caput et Pastorem, certas induit condiciones « pastorales » circa quas immorati quoque sunt Patres synodales, conciliarem doctrinam recipientes et evolventes.[82] Scripserunt enim, inter alia: « Sacerdotes, ad exemplum Christi, qui cum esset dives, propter amorem nostri factus est pauper (cf. *2 Cor* 8, 9), considerare debent pauperes ac debiliores speciali eis modo commendatos, necnon capaces esse debent perhibendi testimonium paupertatis vita simplici et austera, cum iam soliti sint de superfluis generose abstinere *(Optatam totius,* 9; *CIC,* can 282) ».[83]

Verum est « dignum esse operarium mercede sua » et « disposuisse Dominum ut qui Evangelium annuntiat, de Evangelio vivat » *(1 Cor* 9, 1-14) sed tantumdem verum est non posse ullatenus hoc ius confundi cum qualicunque postulatione flectendi Evangelii et Ecclesiae servitium ad commoda et lucra quae exinde emanare etiam possent. Una paupertas tuetur sacerdotis veram disponibilitatem, ut eo mittatur quo eius sit opus utilius vel urgentius, etiam per sacrificium personale. Condicio enim et velut indispensabilis quaedam lex accepta in sacerdotio est, qua apostolus Spiritui « docibilis », promptus indesinenter sit « eo ire » — etiam absque saburra et ligaminibus — quo Magistri placitum vocaverit (cf. *Lc* 9, 57-62; *Mc* 10, 17-22).

Sacerdos, quoties communitati insertus, illius gerit responsalitatem materialem, tenetur munere suo perlucide bonorum illius communitatis administrationi testimonium exhibere; non ergo ea negotia pertractabit veluti de suo ipsius ageretur patrimonio, sed ut res quarum rationem Deo ac fratribus, pauperibus praesertim, est redditurus. Quem proinde sacerdotem, cum conscium habere debeat pertinere sese cum aliis ad unicum Presbyterium, conscientia impellet ut niMl^"mTttäi~pef quae bona communia aequius inter fratres distribuantur, qui vocati sunt «omnia habere communia» (cf. *Act* 2, 42-47). Interior autem libertas quam evangelica paupertas custodit et alit, sacerdotem comparat ut propius ad infirmiores accedat

[82] Cf. Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 17.

[83] *Propositio* 10.

eorumque conatibus pro instauranda iustiore consortione solidalem sese exhibeat; ut per eandem responsalitatis apprehensionem, noscere et iudicare discat ea phaenomena quae cum rebus oeconomicis et socialibus ubique nectuntur; ut denique provehere sciat quam dicimus praeferentialem pro tenuioribus optionem: quae, nullum ab annuntiando dono salutis excludens, iuxta exemplar a Christo exhibitum dum ministerio prophetico ac sacerdotali incumbebat, propensior fiat in parvulos, in peccatores, in eorum magnam turbam qui hodie « emarginati » quoquo modo dicuntur (cf. *Lc* 4, 18).

In oblivionem ne recedat significatio prophetica paupertatis sacerdotalis, quae urgentior quodammodo censenda est in nostra consortione opulenta et consumistica: « Sacerdos veré pauper est, certe, signum concretum separationis, abrenuntiationis et non subiectionis ad mundi contemporanei tyrannidem, quae omnem suam fiduciam in pecuniam ponit et securitatem materialem ».[84]

Christus Iesus, qui in cruce, omnibus rebus nudatus, caritatem pastoralem ad perfectionem extulit, exemplar ibidem factus est, necnon et fons, omnium virtutum, obedientiae imprimis, castitatis, paupertatis, quas sacerdos tanquam significationem dilectionis pastoralis erga fratres, insequi et attingere iubetur. Atque ut Paulus ad christianos Philippenses scribit, debet sacerdos « eadem sentire quae et in Christo Iesu », qui semetipsum exinanivit ut per obedientem, castam, pauperem caritatem, viam principem reperiret perfectae ad Deum et ad fratres unionis (cf. *Phil* 2, 5).

31. Sicut alia quaevis vita spiritualis, modo ea vere christiana sit, etiam spiritualis vita sacerdotalis essentiales et non renuntiabiles habet peculiaritates ecclesiales: est enim participatio quaedam sanctitatis ipsius Ecclesiae, quam in Professione Fidei « Sanctorum Communionem » iure vocamus. Nam christifidelium sanctitas ab Ecclesiae sanctitate dérivât, eamque et exprimit et ditat. At in sacerdote haec ecclesialis peculiaritas modos suos, fines ac significationes adquirit, vi specificae eiusdem ad Ecclesiam relationis, cuius semper in initio est illa

[84] *Ibid.*

ad Christum Caput et Pastorem configuratio, quae per ordinatum ministerium, per caritatem pastoralem exhibetur.

Rebus ita perspectis valor spiritalis evadit pro presbytero ipsa eius inscriptio ac dedicatio in servitium cuiusdam Ecclesiae particularis. In eo enim vinculo non organizationis dumtaxat et disciplinae normae sunt perpendendae: potiora e contra habeantur tum vinculum ipsum quo singuli ad Episcopum in uno Presbyterio uniuntur, tum participatio in sollicitudinibus ecclesialibus, tum denique dedicatio ad curas evangélicas Populi Dei in concretis adiunctis historicis et temporalibus cuiuscumque Ecclesiae particularis; haec enim talia sunt ut per ea vel maxime designetur quodammodo propria sacerdotis eiusque vitae spiritualis imago, atque eo sensu illa quae « incardinatio » dici solet, non vinculum dumtaxat iuridicum constituit, sed habitudines et optiones, spirituales et pastorales, secum fert, quae non parum conferunt in conficiendum concretum archetypum presbyteri.

Necessarium proinde est ut conscius sacerdos fiat illud suum « ad particularem Ecclesiam pertinere » esse natura sua tale ut exinde certam atque peculiarem vivat christianam spiritualitatem. Eo igitur sensu inveniet presbyter, in ipsa sui deditione et pertinentia ad Ecclesiam particularem, copiosum fontem significationum et criteriorum pro discretione et actione, unde eius tum pastoralis missio tum vita spiritualis penitus conformetur.

Ad progrediendum ergo versus perfectionem valere etiam possunt aliae inspirationes et relationes ad alias vitae spirituales traditiones, per quas singulorum vita sacerdotalis ditari potest, immo et perfici presbyterium varietate et pretio donorum spiritualium. Atque talis est casus multarum aggregationum ecclesialium, tum antiquarum tum novarum, quae in proprium ambitum etiam presbyteros recipiunt, quales sunt nonnullae societates vitae apostolicae, vel instituta saecularia presbyteralia, vel formae variae communionis et fraternitatis spiritualis, vel etiam motus illi diversi qui ecclesiales dicuntur. Sacerdotes, qui saepe ad Ordines vel ad Religiosas quasdam Congregationes pertinent, divitiae spirituales evadunt pro tota presbyterali compagine dioecesana, in eam inferentes specifica

charismata et qualificata quaedam ministeria, atque sic stimulos addentes vel sola hac praesentia intra Ecclesiam particularem, per quos ea impensius progrediatur ad universalioris Ecclesiae mensuram.[85]

Sacerdotis ergo vinculum ac dedicatio Ecclesiae particulari, idque ita ut pro aedificatione Ecclesiae vita ipsa possit dono impendi, « in persona Christi Capitis et Pastoris » in servitium totius communitatis christianae, per filialem et benevolentem ad episcopum relationem, validitatem accipere debent a quolibet charismate, quod pars fiat cuiuslibet sacerdotalis vitae vel cum ea nectatur.[86]

Ut autem haec donorum Spiritus copia cum laetitia recipiatur atque in Dei gloriam efflorescat et fructus suos pro Ecclesia universa ferat, requiritur ut omnibus praesto sit notitia imprimis et discretio charismatum, tum propriorum tum etiam aliorum, eorundemque exercitium, quod tamen et humilitas christiana continenter comitetur, immo et virtus sui ipsius criticum iudicium ferendi, ea sola intentione plus quam quaelibet alia cura prae valente, aedificationem totius communitatis iuvandi, cui ceterum quodvis peculiare charisma inservire vocatum est. Atque ab omnibus tum esset exspectandus sincerus aestimationis reciprocae conatus, mutua personarum reverentia, coordinata perpensio omnium positivarum legitimarum diversitatum, quae cum in ipsa ingeniorum varietate etiam in Presbyterio inveniuntur. Quae omnia partem constituunt vitae spiritualis atque presbyteri perpetuae asceseos.

32. Ne propterea nexus et insertio in particularem Ecclesiam claudant navitatem et vitam presbyteri: haec claudi nequeunt natura ipsa tum Ecclesiae particularis[87] tum ipsius ministerii sacerdotalis. Scribit enim in hunc sensum Concilium: « Donum spirituale, quod presbyteri in ordinatione acceperunt, illos non ad limitatam quandam et coarctatam missionem prae-

[85] Cf. S. CONGREGATIO PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS et S. CONGREGATIO PRO EPISCOPIS, Notae pertinentes ad mutuas rationes inter Episcopos et Religiosos in Ecclesia *Mutuae relationes* (14 Maii 1978), 18: *AAS* 70 (1978) 484-485.

[86] Cf. *Propositio* 25; 38.

[87] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 23.

parat, sed ad amplissimam et universalem missionem salutis "usque ad ultimum terrae" *(Act* 1,8), nam quodlibet sacerdotale ministerium participat ipsam universalem amplitudinem missionis a Christo Apostolis concreditae ».[88]

Hinc sequitur vitam spiritualem presbyterorum signari debere profundo quodam anhelitu ac dynamismo missionario. Ad eos ceterum pertinet, per ministeriorum scilicet exercitium et per vitae testimonium, reperire qua ratione communitas ea, cui praesunt, evadat vere missionaria; nam ut in Encyclica *Redemptoris missio* habetur: « Necesse proinde est universi presbyteri animum mentemque habeant missionalem ac pateant pariter Ecclesiae et mundi necessitatibus simul respicientes homines longinquos et, ante omnes, coetus non christianos suorum locorum. Debent plane experiri in precatione sua, ac praesertim in eucharistico sacrificio, sollicitudinem Ecclesiae omnis de universo hominum genere ».[89]

Si ergo hic missionarius spiritus fecunde presbyterorum pervasero vitam, facillima evadet responsio ad eam difficultatem, quae gravior in dies in Ecclesia fit, ex non aequa cleri distributione provenientem. Quo sensu nihil exactius fortius ve dictum est, ultra Concilii ipsius verba: « Meminerint igitur presbyteri omnium Ecclesiarum sollecitudinem sibi cordi esse debere. Quapropter presbyteri illarum dioecesium quae maiore vocationum copia ditantur, libenter se paratos praebeant, permittente vel exhortante proprio Ordinario, ad suum ministerium in regionibus, missionibus vel operibus cleri penuria laborantibus exercendum ».[90]

33. « Spiritus Domini super me; propter quod unxit me, evangelizare pauperibus, misit me praedicare... annum Domini acceptum» *(Lc* 4, 18-19). Haec verba, quae Iesus in synagoga Nazareth edixit, hodie etiam in nostro sacerdotali corde resonare voluit. Nostra enim fides nobis operantem Christi Spiritus praesentiam revelat in nostra, qua sumus, agimus et vi-

[88] Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 10; cf. *Propositio* 12.

[89] Litt. Enc. *Redemptoris missio* (7 Dicembris 1990), 67: *AAS* 83 (1991) 315-316.

[90] Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 10.

vimus ratione, prout eam Ordinis sacramentum configuravit, ditavit atque confluxit.

Certo Spiritus Domini prior est auctor nostrae vitae spiritualis. Ipse enim « cor novum » creat, animat, ducit, caritatis imprimis « nova lege », caritatis scilicet pastoralis.

In hac autem vita spirituali evolvenda summi ponderis est certitudo, qua nunquam sacerdos destituitur, gratiae Spiritus Sancti, quae et donum est totaliter gratuitum, et munus responsalitatem personalem excitans. Huius doni conscientia infundit et sustinet stabilem sacerdotis fiduciam, etiam in difficultatibus, in tentationibus, in infirmitatibus, quae in quavis vita spirituali nunquam non reperiuntur.

Libenter proinde hoc loco omnibus presbyteris tradimus quae ediximus multis eorum aliis in adiunctis: « Est essentia sua sacerdotalis vocatio, vocatio item ad sanctitatem, forma scilicet quae ex Ordinis sacramento emanat. Sanctitas est cum Deo intimitas; imitatio est Christi pauperis, casti, humilis; amor est sine ambiguitatibus erga animas, et pro ipsarum bono spontaneum donum; amor est erga Ecclesiam, quae et sancta est et sanctos nos vult, cum sancta sit missio ipsi a Christo concredita. Vestrum ergo unusquisque sanctus esse debet atque adiutorio fratribus esse, ut vocationem ad sanctitatem ipsi etiam alacriter persequantur.

Quidni animadvertamus in id essentiale munus quo Spiritus Sanctus fungitur in hac peculiari ad sanctitatem vocatione quae propria est ministerii sacerdotalis? Verba ipsa meminerimus quae in ritu Ordinationis presbyterorum potiora habentur in formula sacramentali: "Da, quaesumus, omnipotens Pater, in hos famulos tuos presbyterii dignitatem; innova in visceribus eorum Spiritum sanctitatis; acceptum a Te, Deus, secundi meriti munus obtineant, censuramque morum exemplo suae conversationis insinuent".

Per ordinationem ergo, carissimi, eundem Christi Spiritum recepistis, qui Eidem vos assimilât, ut possitis eius nomine agere Eiusdemque sensus in vobismetipsis habere et vivere. Haec intima cum Christi Spiritu communio, dum ex alia parte efficaciam tuetur actionis sacramentalis, quam vos "in persona Christi" ponitis, id etiam postulat, ut eandem vos exprimatis, tum in ferventi oratione tum in vitae cohaerentia seu firmita-

te, tum in caritate pastorali illius ministerii quod indefesse in salutem fratrum est protendendum. Postulat, brevi, vestram personalem sanctificationem ».[91]

CAPUT IV

VENITE ET VIDEBITIS

VOCATIO SACERDOTALIS IN ECCLESIAE NAVITATE PASTORALI

34. «Venite et videbitis » *(Io* 1, 39). In hac Christi responsione, data duobus Ioannis discipulis, a Iesu « ubi maneret » sciscitantibus, adaequatam vocationis significationem invenimus.

Ecce imprimis qua ratione, prout ab Evangelista enarratur, Andreae et Petri vocatio evenerit: « Altera die iterum stabat Ioannes et ex discipulis eius duo, et respiciens Iesum ambulantem dicit: "Ecce agnus Dei". Et audierunt eum duo discipuli loquentem et secuti sunt Iesum. Conversus autem Iesus et videns eos sequentes se dicit eis: "Quid quaeritis?". Qui dixerunt ei: "Rabbi (quod dicitur interpretatum Magister) ubi manes?". Dicit eis: "Venite et videbitis". Venerunt ergo et viderunt ubi maneret, et apud eum manserunt die illo; hora autem erat quasi decima. Erat Andreas frater Simonis Petri, unus ex duobus, qui audier ant a Ioanne et secuti fuerant eum. Invenit hic primum fratrem suum, Simonem, et dicit ei: "Invenimus Messiam" (quod est interpretatum Christus); adduxit eum ad Iesum. Intuitus eum Iesus dixit: "Tu es Simon, filius Ioannis; tu vocaberis Cephas" (quod interpretatur Petrus) ». *(Io* 1, 35-42).

Haec Evangelii pagina ex illis est quae in Libro Sacro nobis exhibent vocationis mysterium, atque adeo in casu nostro, quale mysterium sit eo vocari ut exinde Iesu apostolus quis fiat. At eadem Ioannis pagina, quae etiam pro vocatione christiana ut tali significationem obtinet, symboli instar est quoties de vocatione presbyterali est agendum. Et Ecclesia, qua discipulorum Iesu est communitas, prospicere invitatur in hanc scaenam quae per historiam quodammodo indesinenter

[91] *Homilia* ad quinque milia sacerdotum undique gentium congressorum (9 Octobris 1984), 2: *Insegnamenti,* VII, 2 (1984) 839.

renovatur; ut in ea scilicet reperiat primigenium ac personalem sensum vocationis ad Christi adsectationem per sacerdotale ministerium, illudque etiam vinculum, prorsus inscindibile, quod viget inter divinam gratiam et hominis responsalitatem, prout includitur et simul revelatur in duplici illo vocabulo quod saepe in Evangelio conspicimus sociatum: veni et sequere (cf. *Mt* 19, 21). Provocatur per haec Ecclesia ad interpretandum et cognoscendum dynamismum illum qui vocationis est proprius, et cuius triplicem veluti gressum reperire est, concrete sese succedentem: velut si seiunctim dictum fuisset: Iesum primum quaerere, dein sequi, denique apud ipsum manere.

Nullibi aptius reperit Ecclesia exemplar « Evangelii de vocatione » nisi in hac pagina, unde vim et impulsum trahit quo pastoralis navitas vocationum moveri incipiat; cuius scilicet missionis partes sint: vocationes, ad sacerdotium praesertim, excitare, discernere, comitari. Et quidem, quoniam « sacerdotum inopia profecto constituit uniuscuiusque Ecclesiae maestitiam »,[92] postulat pastoralis vocationalis, hodie vel maxime, ut munus hoc ab omnibus Ecclesiae membris cum vigore ac decisione circa huiusmodi penuriam suscipiatur, cum satis omnibus manifestum appareat curam vocationum sacerdotalium non esse aliquid secundarii vel accessorii ordinis, nec portionem quandam curarum in quam insula quaedam vel sector christifidelium incumbat, quasi « pars » sit tantummodo, etiamsi grandior, pastoralis globalis Ecclesiae; ea econtra est, ut saepius a Patribus synodalibus assertum ostenditur, activitas intime connexa cum activitate pastorali uniuscuiusque Ecclesiae particularis,[93] cura scilicet quae dicitur ordinaria,[94] quaeque dimensio quodammodo censenda est connaturalis et essentialis pastoralis navitatis Ecclesiae, id est, totius pastoralis operis elementum praecipuum.[95]

Utique, dimensio vocationalis est connaturalis et essentialis pro pastorali Ecclesiae navitate. Idque ex eo provenit quod vocatio quodammodo prius Ecclesiae profundum « esse » descri-

[92] *Sermo* habitus exeunte Synodo Episcoporum (27 Octobris 1990), 5: 1. mem.

[93] Cf. *Propositio* 6.

[94] Cf. *Propositio* 13.

[95] Cf *Propositio* 4.

bat quam eiusdem « operari ». Idque ex ipso Ecclesiae nomine plane eruitur ipsius indoles vocationalis, quippe quod verti etiam potuisset vocabulo « convocationis ». « Deus congregationem eorum qui in Iesum, salutis auctorem et unitatis pacisque principium, credentes aspiciunt, convocat et constituit Ecclesiam, ut sit universis et singulis sacramentum visibile huius salutiferae unitatis ».[96]

Atque inde id provenit ut vera lectio theologica de vocatione sacerdotali ac de pastorali circa ipsam, non possit initium non sumere ab hoc Ecclesiae mysterio, et quidem potissimum qua vocationis mysterium est.

35. Quaevis christiana vocatio fundamentum habet in gratuita, eaque prae veniente, electione Patris: « Qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in caelestibus in Christo, sicut elegit nos in Ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu Eius in caritate, qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in Ipsum, secundum beneplacitum voluntatis suae» (*Eph* 1, 3-5).

Quaevis itaque christiana vocatio a Deo venit, Dei donum est. At nunquam ea tribuitur ab extra, independenter ab Ecclesia, sed in ea et per eam transit, nam, ut bene a Concilio Vaticano II commemoratur: « Placuit Deo homines non singulatim, quavis mutua connexione seclusa, sanctificare et salvare, sed eos in populum constituere, qui in veritate Iesum agnoscerent Ipsique sancte servirent ».[97]

Ecclesia autem non tantummodo in sese colligit vocationes omnes, quas ei in salutem itineranti Deus donat, sed ipsa sese configurat in « vocationis mysterium », scilicet in fulgentem ac virentem nitorem qui Sanctissimae Trinitatis mysterium reverberat. Nam revera Ecclesia, « populus, in unitate Patris, Filii et Spiritus Sancti congregatus »,[98] in sese Patris imprimis mysterium portat, qui a nemine vocatus neve missus (cf. *Rom* 11, 33-35) omnes Ipse vocat, ut nomen suum sanctificent et voluntatem adimpleant; dein Filii etiam mysterium custodit, qui a Patre vocatur et mittitur ut Dei Regnum omnibus nuntiet, omnes in sui adsectationem advocando; qui de-

[96] CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 9.

[97] *Ibid.*

[98] S. CYPRIANUS, *De Dominica Oratione,* 23: *CCL* 3/A, 105.

positum denique Spiritus Sancti mysterium suscipit, per cuius opus ad missionem ii consecrantur quos Pater per Filium suum Iesum Christum vocat.

Ecclesia ergo, cum « vocatio » sit ipsa, vi suae propriae institutionis et navitatis, est etiam vocationum generatrix atque educatrix. Idque qua « sacramentum » est, qua « instrumentum » in quo adimpletur et resonat cuiusvis christiani vocatio; talis quoque est in suo « operari » id est in evolvendo sui ipsius mysterio, Verbi scilicet nuntiandi, Sacramenta celebrandi, caritatis servitium et testimonium exhibendi.

Immoremur nunc oportet in mensuranda dimensione essentiali vocationis christianae: quae non tantummodo ab Ecclesia et ab illius mediatione dérivât, nec solum sese noscendam praebet; impletur Ecclesia, sed configurat sese — in fundamentali quodam Dei servitio — etiam, et quidem necessario in servitium Ecclesiae praestitum. Unde christiana vocatio, in quavis sua forma, donum dicendum est in Ecclesiae aedificationem destinatum atque in incrementum Regni Dei in mundo.[99]

Quod de quavis christiana vocatione asseritur, idem specifica ratione, in vocatione presbyterali adimpletur: haec vocatur, per Ordinis sacramentum ab Ecclesia acceptum, in Dei populi servitium per peculiarem pertinentiam et configurationem ad Christum, et cum auctoritate agendi « nomine et persona » Christi, Ecclesiae Capitis et Pastoris.

Atque in hoc prospectu satis intellegibilia ostenduntur quae per Patres synodales expressa sunt: « Vocatio ad presbyteratum semper eget humanis mediationibus. Privilegiata mediatrix est Ecclesia: in ea et pro ea datur vocatio uniuscuiusque presbyteri: per eam talis vocatio venit. Ex hoc sequitur omnem presbyterum per Ecclesiam a Domino vocationem accipere quasi donum gratiosum, gratiam gratis datam (charisma). Accipere igitur oportet vocationem non imponendo proprias uniuscuiusque condiciones, sed in simplicitate cordis: humilitate et gratitudine accipiendo etiam circumstantias vel condiciones quas ipsa ponit Ecclesia ».[100]

36. Historia cuiusvis vocationis presbyteralis, sicut ceterum cuiusvis fere vocationis christianae, historia est ineffabilis

[99] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Decretum de apostolatu Laicorum *Apostolicam actuositatem,* 3.

[100] *Propositio* 5.

dialogi inter Deum et hominem, inter amorem Dei vocantis et libertatem hominis Deo respondentis. Hic duplex vocationis aspectus, indissociabilis, quippe gratuitum Dei donum homini libero offertur, splendet, ratione quadam efficaci, in verbis mire pressis quibus evangelista Marcus Duodecim Apostolorum vocationem enarrat: Iesus « ascendit in montem, et vocat ad se quos voluit Ipse, et venerunt ad Eum » *(Mc* 3, 13). Ubi liquide apparet Iesum, per absolutam suam libertatem vocare, apostolos autem Duodecim primum venire, dein Iesum sequi.

Atque hoc est perpetuum vocationum omnium « paradigma ». Hoc est iter invariatum cuiusvis vocationis, seu prophetarum seu apostolorum; seu sacerdotum vel religiosorum; seu christifidelium: cuiusvis denique qui a Deo vocatur.

Praecipua ergo, immo praeveniens et constitutiva in omni vocatione est, liber et gratuitus Dei vocantis interventus. Nam nullius nisi Eius est vocare. Atque haec est notissima Ieremiae prophetae experientia: « Et factum est verbum Domini ad me dicens: Priusquam te formarem in utero, novi te, et antequam exires de vulva, sanctificavi te et prophetam in gentibus dedi te» *(Ier* 1, 4-5). Eademque veritas ab apostolo Paulo comprobatur, qui omnem vocationem in aeterna Christi electione ponit, qui « elegit nos in ipso ante mundi constitutionem » et « secundum beneplacitum voluntatis suae» *(Eph* 1, 5). Ceterum hoc gratiae prioris donum nullibi perfectius declaratur quam in ipsius Iesu verbis: « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat » *(Io* 15, 16).

Si ergo presbyteralis vocatio, modo quodam nullatenus aequivoco, primatum gratiae extollit, illud liberum ac supremum Dei placitum hominem vocandi reverentia est maxima suscipiendum, nec trahi ullo modo debet versus aliam, quaecumque demum est, humanam voluntatem, immo nec per quodvis aliud humanum placitum substitui. Vocatio enim donum est divinae gratiae, non autem quodlibet humanum ius; adeo ut «nunquam censeri possit vita sacerdotalis tanquam promotio simpliciter humana, nec reputanda ministerialis missio velut personale simpliciter inceptum ».[101] Unde in radice appareat ilico

[101] *Angelus* (3 Decembris 1989), 2: *Insegnamenti,* XII, 2 (1989) 1417.

sublata quaelibet laus vel praesumptio quam «vocati», honorem sibi sumentes, iactare possent (cf. *Heb* 4, 4ss.). Mirabunda ergo gratitudine repleatur commotum cor eorum qui vocari se senserint; fiducia insuper, atque adeo, imperturbata ac stabili spe, probe scientes se non proprio robore fundari, sed fundamenta iecisse in incondicionata Dei vocantis fidelitate.

« Et vocat ad se quos voluit ipse, et venerunt ad eum » (*Mc* 3, 13). Hoc «venerunt», vel quod idem valet «secuti sunt », liberam exprimit adhaesionem per quam « Duodecim » Magistro vocanti responsum dederunt. Id sic impletum narratur a Petro et Andrea: « Et ait illis: "Venite post me: et faciam vos piscatores hominum". Illi autem statim, relicta navi et patre suo, secuti sunt eum » (*Mt* 4, 19-20). Eademque fuisse dicitur Iacobi et Ioannis experientia (cf. *Mt* 19, 21-22). Idemque indesinenter alii experti sunt: cum in vocatione insimul splendeat gratuitus Dei amor et altissima libertatis humanae exaltatio, quae in eo reponitur ut homo Deo vocanti adhaereat eique indubitata fiducia sese tradat.

Revera gratia et libertas non in oppositionem veniunt. E contra gratia libertatem hominis concitat et continet, eam a servitute peccati redimens (cf. *Io* 8, 34-36); eam praeterea sanat et elevat capacemque reddit ad Deum sese porrigendi Eiusque dona captandi. Et sicut nemini licet novitatem Dei absoluta gratuitate vocantis pertingere, pariter nulli fas est permovere ea hominis placita quae ipse libere sit amplexus. Unde etiam ad Iesu invitationem « Veni et sequere me » iuvenis ille dives recusare ausus est, quo — licet id in proprium damnum commiserit — libertatem suam nihilominus asseruisse sit dicendus: « Qui, contristatus in hoc verbo, abiit maerens: erat enim habens possessiones multas » (*Mc* 10, 22).

Libertas ergo esentialis vocationi est; eaque libertas, si in assertivum responsum ducat, adhaesio personalis et profunda definietur, vel benevolens donatio, vel restitutio Donatori elargita (Deo scilicet vocanti, cui, oblationis in modum, sua Ipsius dona repraesentantur). « Vocatio — dicere solitus erat Paulus VI — ad responsionis mensuram aptatur, neque vocationes ullae sunt nisi liberae; nisi scilicet evadant spontaneae sui oblationes, conscientes, liberales, totales... Oblationes diximus: sed hinc vera promanat quaestio! Nam vox potest insonare,

humilis et penetrans, ipsius Christi, hodie etiam sicut heri et plus quam heri, dicentis: Veni. Libertas ergo in discrimen venit sui gravioris certaminis; si vocanti respondere tandem didicerit per oblationem, per liberalitatem, per sui ipsius sacrificium ».[102]

Libera ergo oblatio, in qua reponitur intimior ac validior sensus responsionis hominis ad vocantem Deum, exemplar praestantissimum, immo radicem suam reperit in ea libérrima oblatione Christi Iesu (qui « vocatorum » censendus est omnium primus) ad Patris voluntatem: « Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi... tum dixi: ecce venio... ut faciam, Deus, voluntatem tuam » *(Heb* 10, 5-7).

In intima unione cum Christo, Maria quoque, et virgo et mater, magis quam ceterae, inter creaturas, plenissimam vocationis veritatem experta est; nemo enim ut illa amori summo Dei responsum dedit cum tam grandi amore.[103]

37. « Qui, contristatus in hoc verbo, abiit maerens; erat enim habens possessiones multas» *(Me* 10, 22). Iuvenis ille dives de quo Evangelium loquitur, et qui vocationem Iesu non sequitur, indicat nobis qualia obstacula possint liberam hominis responsionem suffocare et extinguere; non enim tantummodo materialia bona possunt humanum cor occludere valoribus spiritualibus et radicalioribus Regni Dei exigentiis, sed etiam nonnullae ex condicionibbus socialibus et culturalibus nostrae aetatis possunt protrudere non leviores minas et falso prospectu exhibere vocationis naturam, atque ita difficilem reddere vel forte penitus impedire illius acceptationem vel comprehensionem.

Multi enim adeo de Deo genericam ac confusam habent notionem, ut incaute in religiositatis formas recidant a quibus Deus omnino abesse monstratur, quibus proinde nulla Dei voluntas unquam agnoscetur, cum Eum tantum habeant ut immutabile et ineluctabile fatum, cui homo patienter ac passive aptetur necesse est. At non his est Dei vultus, quem Christus revelaturus venit: Deus enim Pater imprimis est, qui per

[102] *Nuntius* ob V Diem Mundialem vocationibus fovendis dicatum (19 Aprilis 1968): *Insegnamenti,* VI (1968) 134-135.

[103] Qf. *Propositio* 5.

paternum aeternumque ac praevenientem amorem hominem vocat et ad mirum et permanentem secum dialogum recipit, eum invitans ut secum, filii instar, divinae vitae fiat particeps. Verum est hominem, si erratam Dei perceptionem habeat, nullatenus posse veritatem circa semetipsum agnoscere; quo in casu nulla vocatio percipi vel traduci in vitam, prout est, potest, pleniore suo valore; percipietur tantummodo ut impositum pondus, quod ferri ac supportari vix potest.

Etiam nonnullae erratae circa hominem notiones, quae saepe per praetextuosa argumenta, philosophica vel scientifica protruduntur, hominem quandoque eo inducunt ut propriam existentiam et libertatem sic intellegat tanquam determinatas et condicionatas per causas exteriores, aliunde provenientes; v.g. ex ordine educativo, psychologico, culturali et ambientali. Alias sic intellegitur libertas quasi absoluta omnino gaudeat autonomia, et quasi unus ipsa sibi sit optionum personalium fons primasque sibi partes ubique reservandas esse autumet. Sed hac via sibi ipsi viam praecludit ad intellegendam et vivendam vocationem ut liberum amoris dialogum, qui enascitur ex communicatione Dei ad hominem, et concluditur in donum sincerum sui ipsius. Nec desunt inter hodierni temporis gentes qui relationem hominis ad Deum, ratione, quam dicunt, individualistica et intimistica, interpretentur, quasi Deus singulos dumtaxat, via nempe personali, respiceret, nulla interposita communitatis specie; id est, quasi Deus bonum aliquod, forte etiam singulorum quos vocat salutem intenderet, non vero eorum ad Deum dedicationem per communitatis servitium. In ea ergo cogitandi ratione reponuntur novae quaedam, eaeque profundiores ac subtiliores minae, quae agnoscere vel alacriter amplecti vetant eam conformationem ecclesialem quae praesens in quavis vocatione christiana semper percepta est, peculiari autem modo in vocatione presbyterali: nam, ut Concilium bene commeminit: Sacerdotium ministeriale suum replet sensum et veritatem in inserviendo communitati christianae et in latius in ipsa provehendo sacerdotio communi christifidelium.[104]

104 Cf. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 10; Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 12.

Hic itaque culturalis contextus, cuius meminimus, et cuius percipitur influxus inter christianos, maxime aetate iuniores, intellectu faciliorem reddit ipsam vocationum sacerdotalium penuriam, quippe quae a radicaliori crisi ipsius fidei non sit aliena. Id etiam synodales Patres aperte denuntiant, cum asserunt crisim vocationum radicem funditus habere in modo vivendi et credendi fidelium.[105]

Defluit hinc urgentia cuiusdam « pastoralis vocationalis » Ecclesiae, quae id imprimis respiciat ut « mens christiana » quodammodo restauretur, qualis per fidem vivam generatur ac sustinetur. Unde denuo apparet urgentiorem esse eam evangelizationem promovere quae non recuset verum Dei vultum ostendere, Patrem scilicet qui in Christo Iesu nos universos et singulos vocat; quae pariter genuinum asserat libertatis humanae sensum; in qua percipiendum est initium et animi robur quod responsale sui donum comitatur. Ea tantummodo ratione fundamenta iacientur necessaria ut quaevis vocatio, sacerdotalis praesertim, ob suam veritatem perspiciatur, ob suam pulchritudinem ametur, cum profundiore gaudio ac per totalem deditionem vivatur.

38. Vocatio mysterium est, idque impenetrabile, cum attingat relationem ipsam quam Deus cum homine instaurat. Res certo certius unica atque non repetibilis, mysterium proinde, quod velut obscurior quaedam clamantis vox, in profundiore dumtaxat conscientia exauditur, quae est, « nucleus secretissimus atque sacrarium hominis, in quo solus est cum Deo, cuius vox resonat in intimo eius ».[106] Sed non proinde communitaria vocationis proportio, ut sit scilicet ecclesialis, removetur, cum Ecclesia in quavis vocatione presbyterali reali praesentia et operatione semper adsit.

Si iam de inserviendo vocationi presbyterali agendum est, scilicet, quomodo per totum eius iter sint candidati iuvandi atque sedula discretione ducendi et comitandi, habet Ecclesia exemplar in Andrea, qui inter primos fuit eorum qui Iesum sequi decreverunt: ipse quid sibi acciderit fratri enuntiat: « In-

[105] Cf. *Propositio* 13.

[106] CONC. OEC. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 16.

venimus Messiam (quod est interpretatum Christus)» *(Io* 1, 41). Sed narratio huius «inventionis» praeludii instar est ad colloquium: «Adduxit eum ad Iesum» *(Io* 1, 42). Hic autem nullum prostat dubium quin vocationis novitas uni sit Iesu tradenda, cum Ipse, per absolute liberam et supremam voluntatem interveniat: vocat enim Simonem Iesus, eique novum imponit nomen: « Intuitus eum Iesus dixit: Tu es Simon, filius Ioannis; tu vocaberis Cephas, quod interpretatatur Petrus » *(Io* 1, 42). Sed habuisse Andreas quoque partem in hac vocatione dicendus est, cum ipse fratrem impulerit ut Iesum conveniret.

« Adduxit eum ad Iesum ». Hic quodammodo reponendus est navitatis pastoralis vocationalis Ecclesiae cardo; per eam enim ipsa nascentium et crescentium vocationum curam suscipit, in usum pertrahens dona et responsalitates, charismata et ministeria, quae a Christo et ab Eius Spiritu accepta habet. Ecclesia enim, ut populus est sacerdotalis, propheticus ac regalis, promovere et suppeditare obligatur quidquid nascentibus et maturantibus vocationibus praestandum apparet, per preces imprimis, per sacramentalem vitam, per Verbi praeconium, per fidei educationem, per caritatis ductum ac testimonium.

Habet Ecclesia in sua ipsius dignitate et responsalitate, qua populus sacerdotalis est, momenta essentialia et potiora pastoralis vocationalis, in oratione praesertim et in celebrationibus liturgicis; preces quippe christianae, cum per Dei Verbum nutriantur, dilatant id ideale spatium in quo licet homini veritatem suae « naturae » persentire, atque proinde metiri quoque qualis sit identitas et natura illius incepti, personalis quidem ac non repetibilis, quod Pater ei in manibus tradit. Necesse igitur erit pueros praesertim et iuniores ita instituere ut perstare fideles valeant et velint orationi et Verbi Dei meditationi; per silentium enim et per auscultationem Domini vocem percipient ad sacerdotium vocantem, eamque prompto et alacri animo sequentur.

Audienda quotidie ab Ecclesia est illa instans Iesu invitatio: « Rogate ergo Dominum messis ut mittat operarios in messem suam » *(Mt* 9, 38). Atque Ecclesia, sic efficiens, dum iussum Christi exsequitur, eximiam imprimis fidei professionem profert: nam dum pro vocationibus supplices elevat preces,

non tantummodo agnoscit earumdem pro sua ipsius vita et *misr* sione necessitatem, sed et agnoscit eas esse Dei dona, et ut talia haec esse expostulanda per fiduciales et perpetuas supplicationes. Huiusmodi preces, cum cardo sint totius pastoralis vocationalis, non singulos solum pertrahere debent fideles, sed totam ipsam ecclesialem communitatem. Nemo est qui dubitet de momento quod habent singula orandi incepta, tempora etiam huic supplicationi assignata, et imprimis sic dictus Dies Mundialis pro vocationibus; pariter provehenda veniunt nonnulla alia personarum vel coetuum incepta, qui gravitate huiusce quaestionis permoventur. Sed magis quam unquam haec hodie provehenda est pro vocationibus supplicandi consuetudo, quae utinam frequentior evadat et latius diffundatur donec totam pervadat communitatem Ecclesialem atque praesens fiat in quavis realitate ecclesiali. Sic enim viva fiet Apostolorum experientia, qui quidem in cenáculo cum Maria orantes, effusionem Spiritus exspectarunt (cf. *Act* 1, 14). Qui Spiritus non desinet in Dei populo « dignos altaribus excitare ministros, et Evangelii sui strenuos ac mites assertores efficere ».[107]

Liturgia autem, quae totius vitae Ecclesiae et peculiariter omnis christianae orationis culmen dicitur et fons,[108] munus habet necessarium et summi cuiusdam momenti in pastorali vocationali. Per eam enim viva adquiritur donorum Dei experientia, unde schola vitae fit, in qua responsum paratur, si forte vocaverit. Nam quaevis celebratio liturgica, eucharistica praesertim, verum exhibet Dei vultum, et Paschatis mysterii participes efficit, id est praesentes apud Eum collocat in illa « hora » pro qua Iesus venit in mundum, et in quam libere ac sponte Patri obediens progressus est pro mundi salute (cf. *Io* 13, 1); ipsa Ecclesiae vultum exhibet, tanquam populi sacerdotum et communitatis bene coagmentatae in varietate et complementarietate charismatum et vocationum. Christi sacrificium pro nostra redemptione acceptum, quod Ecclesia in mysterio celebrat, vim peculiarem confert christifidelium etiam aerumnis et infirmitatibus, si eas vivere satagant in

MISSALE ROMANUM, *Collecta* Missae pro vocationibus ad sacros Ordines.

Cf. CONC. OEC. VAT. II, Const. de Sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium,* 10.

unione cum Domini Iesu Passione. Ideo synodales Patres, postquam orationem christifidelibus enixe pro vocationibus commendarunt, haec addunt: « Item, oblatione dolorum, tam frequentium in vita hominum, infirmus christianus Deo victimam sese offert, ad imaginem Christi, qui pro omnibus nobis se sanctificavit (cf. *Io* 17, 19). Multum pro vocationibus valet fovendis, si dolores illi pro tali offerantur intentione ».[109]

39. Sentit Ecclesia in exercenda sua prophetica missione incumbendum sibi esse (idque opus nulli esse delegandum) in munus *Evangelii nuntiandi,* ita tamen ut simul testimonium quoque reddat de sensu christiano tantae « vocationis »; velut si dicamus, eidem esse praedicandum quoddam « Evangelium vocationis ». Atque in hoc impellitur Ecclesia eodem illo propriae missionis sensu quo Apostolus in hanc exclamationem ducitur: «Vae enim mihi est, si non evangelizavero! » *(1 Cor* 9, 16). Id monitum nobis imprimis, pastoribus, resonat, et nobiscum ceteros in Ecclesiae educatores pertingit: nam tum catechesis tum praedicatio hunc vocationalem prospectum ante oculos habeant necesse est; Verbum enim Dei christifideles sic debet illuminare ut vitam respiciant tanquam responsionem Deo vocanti: quos eo ipso disponet ad acceptandum per fidem etiam donum personalis cuiusdam vocationis.

Quae omnia, licet summi sint momenti, non tamen sufficiunt: requiritur insuper « Praedicatio directa de mysterio vocationis in Ecclesia, de valore sacerdotii ministerialis et de eius instanti necessitate pro Populo Dei ».[110] Catechesis ergo, organica atque universis Ecclesiae membris apte oblata, non dubia tantum dispellet et conceptus unilaterales vel erratos circa ministerium sacerdotale dissipabit, sed et corda christifidelium in exspectationem huius « doni » aperiet, et condiciones eo ipso disponet excitandis vocationibus aptiores. Tempus adest ut strenue de vita sacerdotali sic loquamur ut ipsa veluti inaestimabilis appareat valor, necnon splendens ac peculiaris vitae christianae optio. Ne paveant ergo educatores, praesertim si sacerdotes ipsi sunt, expliciter et fortiter vocationem ad presbyteratum proponere tanquam veram possibilitatem iis omnibus

[109] *Propositio* 15.

iunioribus oblatam, quos dona et dotes iuxta rei mensuram habere constiterit. Neve metu deterreantur ne eorundem libertatem condicionibus ac limitibus adstringant, cum oppositum potius constet, posse liberrimum et authenticum responsum tum maxime valere cum, plena sub luce, vera rerum condicio suo tempore deliberanti patuerit. Ceterum ipsa Ecclesiae historia, sicuti illa etiam singularum vocationum sacerdotalium etiam in tenerrima aetate enatarum, tutissima testimonia prostant quam providenter verba et vita sacerdotis, necnon ipsius saepe proximitas vel vicinitas, deliberationi pondus addiderit: quippe per concretum et alacre vitae testimonium, et etiam silenter, removendis saepe iuverit interrogationibus, lucem et voluntatem abunde suppeditando.

40. Radicatam se et animatam agnoscit Ecclesia prout Populus regalis est, per eam Spiritus legem quae vitam affert (cf. *Rom* 8, 2); quae aliis verbis essentialiter eadem est « caritatis regalis lex » (cf. *I ac* 2, 8) vel « lex perfectae libertatis » *(Iac* 1, 25). Ecclesia propterea suam exsequitur missionem cum universos christifideles eo ducit ut ipsi propriam vocationem in libertate reperiant et vivant, in caritate autem adimpleant.

Eo proinde tendit Ecclesia in suo munere educativo, et quidem peculiari et praevalenti cura, ut in pueris, adolescentibus et iunioribus, desiderium et voluntatem exsuscitet ut Christum Iesum audacter et allicienti animo sequantur. At educativum opus, quod tamen communitatem christianam qua talem respicit, revera singulatim exercetur; prorsus ut ipse Deus, singulorum hominum cor per vocationem attingit; et sicut Spiritus sese singulatim christifidelibus tradit, in singulari animo cuiusque discipuli operans (cf. *1 Io* 3, 24), per charismata scilicet diversa et per peculiares cuiusque manifestationes. Iuvandi sunt ergo singuli ad dispiciendum quodnam sibi donum Dominus obtulerit, tanquam personis singulis ac non repetibilibus, quibus exaudiré datur verba quae Dei Spiritus illis singulariter pronuntiat.

Atque in hoc rerum prospectu, vocationum ad sacerdotium cura viam reperiat oportet ut etiam firmiter proponat et suadeat spiritualem quam dicimus, directionem. Pernecessarium

quippe est, etiam eam traditam praxim denuo invenire, recentiore vocabulo « comitationis spiritualis personalis » hodie expressam, quae copiosissimam procul dubio fructuum segetem pro Ecclesiae vita per saecula tulit. Nec recusamus posse in quibusdam casibus et sub certis condicionibus, non substitui, sed iuvari dumtaxat, per alias analysis vel adiutorii psychologici formas.[111] Invitatos ergo se sentiant pueri, adolescentes et iuniores ad inveniendum et recte aestimandum donum directionis spiritualis, idque quaerendum atque experimento comprobandum, sibi apud educatores ius praeservantes fiduciali cum perseverantia idoneos directores expostulare. Atque sacerdotes, pro eorum experientia, priores sese exhibeant in suppeditando hoc opere educationis et adiutorii spiritualis personalis; non eos unquam pigebit neglexisse vel aliquandiu in secundum locum etiam utilia et pulchra opera amandasse, si illa potius praeferenda concrete erant, et perstandum sibi animadverterant proprio muneri fideles collaboratorum Spiritus, per illuminationem scilicet et ductum eorum qui ab Illo fuerint vocati.

Christianae educationis scopus est educandos eo perducere ut « mensuram aetatis plenitudinis Christi » (*Eph* 4, 13) per Spiritus influxum attingant. Idque tum efficitur cum, per eius caritatis imitationem atque participationem, tota vita fit amoris servitium (cf. *Io* 13, 14-15); cum Deo cultus spiritalis offertur (cf. *Rom* 12, 1); cum denique fratribus in donum nosmetipsos tradimus. Hoc autem amoris servitium exprimit fundamentalem sensum cuiusvis vocationis, sed id in presbyterali vocatione maxime adimpletur: in qua sacerdos eo se vocari agnoscit ut per vitam suam, ratione quam maxime possit radicali, pastoralem Iesu caritatem exprimat, Boni scilicet Pastoris, vitam pro ovibus ponentis (cf. *Io* 10, 11).

Propterea igitur vera pastoralis vocationum nunquam omittet pueros, adolescentes ac iuniores ad mensuram huiusce servitii gratuiti oblationis, ac sacrificiorum aestimationem, ad sui ipsius sine ulla condicione donationem educare. Atque hinc commemoranda peculiari modo est ea quae dici solet « volun-

[111] Cf. *C.I.C.*, can„ 220: « Nemini licet bonam famam (...) illegitime laedere, nec ius cuiusque personae ad propriam intimitatem tuendam violare »; cf. can. 642.

tariatus experientia », in quam maior in dies inerescit iunior rum sensibilitas. Si is voluntariatus evangelicis nitatur placitis, si educare valeat ad necessitates discernendas, si perseveranti deditione quotidie in praxim adducatur; si denique promptum sese exhibeat etiam ad permanentem eam deditionis formam quam, oratione nutritam, consecratam vitam vocamus, tum huiusmodi voluntariatus capax efficietur vitam gratuita deditione plenam exornandi, eosque qui hanc vitae formam sint amplexati aptiores reddet ad exaudiendam Dei vocem, ad sacerdotium forte vocantem. Atque, aliter ac ille dives iuvenis, poterit hic « voluntarius » invitationi, caritatis plenae, assentiri, qua eum Iesus vocat (cf. *Mc* 10, 21); sponte ac properanter illum secuturum se esse respondebit, cum sola illa bona sint in se donando et in vita perdenda.

41. Vocatio sacerdotalis est donum Dei, ingens procul dubio bonum, ei saltem cui primo destinatur. Sed ingens donum praecipue donum est ipsi Ecclesiae, ad cuius vitam et missionem vocatio singularis adiungitur. In eam proinde officium incumbit donum hoc aestimandi, amandi, custodiendi; fiat scilicet responsalis nascentium et maturescentium vocationum sacerdotalium. Hinc sequitur ut pastoralis vocationum navitas subiectum habeat activum, ut dicimus, vel protagonisten, ipsam communitatem ecclesialem qua talem, variato vocabulo iuxta varietatum mensuram: aliud enim est Ecclesia universalis, aliud Ecclesia particularis; aliud paroecia, aliud denique fortuitus aliquis eorum coetuum, qui hodie plurimi in Populo Dei enascuntur.

Urget maxime, hodiernis praesertim temporibus, ut diffundatur atque radices iaciat ea persuasio: gratiam et responsalitatem circa vocationum curam partiendam esse inter omnia Ecclesiae membra, nullo excluso. Concilium Vaticanum II id explicite ac severe enuntiavit cum scripsit: « Fovendarum vocationum officium ad totam christianam communitatem pertinet, quae imprimis vita plene christiana id provehere debet ».[112] Pastoralis ergo vocationalis tum tantum vere ecclesialem viam sectari dicetur, cum haec persuasa habens concordem navita-

Decretum de Institutione sacerdotali *Optatam totius*, 2.

tem sequatur, sedulo adhibendo quae reperta sunt organa specifica vel communionis et corresponsalitatis instrumenta.

Ceterum in episcopum[113] recidit prima responsalitas huius pastoralis navitatis erga vocationes sacerdotales: ipse eam curam suam faciat, ad quam procul dubio multiplices collaboratores trahere poterit: sed ipse pater imprimis et amicus sit in presbyterio, in quem onus incumbit et sollicitudo « continuandi » charismata et ministerium presbyterale, nova adiuncta propagine « per manuum impositionem »; curam item sibi sollicite assumat ut prospectus quidam vocationis praesens perseveret in quotidiana pastorali navitate, atque adeo, ut cum eadem integretur. Ad eum praeterea officium spectat promovendi et coordinandi varia illa vocationalia incepta quae forte enascantur.[114]

Sciat nihilominus Episcopus posse se benevolenter per reliquum Presbyterium iuvari, cum sacerdotes omnes responsaliter coniungantur in quaerendis et provehendis vocationibus sacerdotalibus. Nam, ut per Concilium fuerat assertum: « Ad sacerdotes, qui fidei educatores sunt pertinet curare... ut singuli fideles ad suam propriam vocationem secundum Evangelium excolendam... in Spiritu Sancto adducantur»;[115] et alibi adiungit: « Quod officium sane pertinet ad ipsam missionem sacerdotalem, qua quidem particeps fit presbyter sollicitudinis totius Ecclesiae, ne in Populo Dei hic in terris operarii unquam desint ».[116] Vita ergo ipsorum presbyterorum, eorumque incondicionata in Dei legem deditio, necnon testimonium bene volentis servitii Domino et eius Ecclesiae praestiti — testimonium etiam per Crucis optionem signatum, in spe et gaudio Paschali — eorum insuper fraterna concordia et zelus pro mundi evangelizatione, primum atque efficacissimum exstabunt instrumentum fecunditatis vocationalis.[117]

Peculiaris vero spectat responsalitas ad christianam familiam, quippe quae vi sacramenti matrimonii particeps fit, modo quodam proprio ac singulari, missionis Ecclesiae, quae

[113] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Decretum de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus,* 15.

[114] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Decretum de Institutione sacerdotali *Optatam totius,* 2.

[115] Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 6

[116] *Ibid.,* 11.

[117] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Decretum de Institutione sacerdotali *Optatam totius,* 2

magistra est et mater. Ut enim synodales Patres scripserunt^ « familia christiana, quae est vera "ecclesia domestica" *(Lumen gentium,* 11), condiciones vocationum ortui favorabiles offerebat et offert. Quia hodie imago traditionalis familiae in periculo versatur, magnum momentum tribuatur actioni circa familias, ut sint iterum "velut primum seminarium" *(Optatam totius,* 2), ubi filii sensum pietatis, orationis et amorem erga Ecclesiam quam primum acquirant ».[118] In harmonia autem et continuitate cum parentum et totius familiae opere, addendum est scholae munus et officium, cum ipsa suam identitatem « communitatis educatricis » vivere vocata sit tanquam culturale servitium, a quo excludi non potest illa dimensio vocationalis quae evadere nata est fundamentalis et nativus quidam personae humanae valor. In eo sensu, si schola convenienter imbuta est spiritu christiano (idque fieri potest per qualificatam ecclesialem praesentiam in schola publica, iuxta varietatem normarum nationalium, sed praesertim in schola manifeste catholica) potest « in animos puerorum et iuvenum infundere universale optatum voluntatem Dei exsequendi, in statu unicuique aptiore, nunquam exclusa vocatione ad servitium sacerdotale ».[119]

Etiam christifideles laici, praesertim catechistae, magistri, educatores omnis generis, animatores quos dicimus operae pastoralis iuvenilis, sua quisque ratione ac methodo, summum habere possunt momentum in hac pastorali vocationum presbyteralium; quo altius enim ipsi penetraverint sensum propriae vocationis in Ecclesia, eo celerius agnoscent valorem et, quod substitui nequit vocationis et missionis sacerdotalis pretium.

Intra communitates autem dioecesanas vel paroeciales, peculiari quadam cura aestimandi ac promovendi sunt coetus vocationales, quorum scilicet membra supplicationes, et ipsas praecipue infirmitates, pro vocationibus offerunt sacerdotalibus et religiosis, et aliquando etiam moralia aliqua aut materialia subsidia suppeditant.

Commemorandi hic quoque sunt ii crebriores coetus, motus, consociationes christifidelium laicorum, quos Spiritus Sanc-

[118] *Propositio* 14.
[119] *Propositio* 15.

tus sparsim per Ecclesias enasci ac crescere efficit, eo consilio ut testimonium persequantur praesentiae christianae, missionariae praesertim, in mundo. Haec varietas aggregationum laicorum, sese in dies clarius ostendit ut campum peculiariter fertilem unde enascantur vocationes consecratae, ut vera ac propria loca proponendis ac maturandis vocationibus opportuna. Nam non pauci reperiuntur iuniores, qui in his consociationibus Dominum audierunt eos vocantem ut se in via sacerdotii ministerialis sequerentur,[120] atque liberum ac liberale dederunt responsum. Provehantur ergo huiusmodi coetus, quandoquidem, in communione cum Ecclesia crescentes, poterunt non parum conferre promovendae efficaciter navitati pastorali.

Tandem varia illa coetuum sobóles atque multiformia Ecclesiae membra quae curam huius navitatis susceperunt, eo efficacius suo muneri fungentur, quo impensius addere stimulos didicerint communitatibus ecclesialibus qua talibus, paroeciis imprimis, ut nempe quaestionem hanc de presbyteralibus vocationibus sic intellegant ut nullo modo quibusdam dumtaxat « delegatis » eam concredant (qui de more vel sacerdotes esse solent vel seminario addicti), sed id esse «problema vitale, quo nullum aliud Ecclesiae cor intimius angat »,[121] cuique proinde potior amor cuiusvis christiani est servandus.

CAPUT V

ET FECIT DUODECIM UT ESSENT CUM ILLO

DE INSTITUTIONE CANDIDATORUM SACERDOTII

Christum ad modum Apostolorum sequi

42. « Et ascendit in montem, et vocat ad se, quos voluit ipse, et venerunt ad eum. Et fecit Duodecim, ut essent cum illo, et ut mitteret eos praedicare, habentes potestatem eiciendi daemonia » *(Mc* 3, 13-15).

[120] Cf. *Propositio* 16.

[121] *Nuntius* ob XXII Diem Mundialem precationis vocationibus fovendis dicatum (13 Aprilis 1985), 1: *AAS 11* (1985) 982.

« Ut essent cum illo »: non arduum est in hisce verbis legere quam hodie « comitationem vocationalem » dicimus, per quam Iesus apostolos efformare constituit. Postquam eos vocaverat, et prius quam mitteret, atque adeo, ut eos potissimum ad praedicandum mitteret, Iesus eis destinavit «tempus» formationis, in id intentum ut relatio quaedam communionis et profundae amicitiae enasceretur inter eos et semetipsum. Quibus proinde ipse praeservat profundiorem quandam catechesim relate ad illam quam communibus auditoribus destinat (cf. *Mt* 13, 11), eosque testes efficit silentis suae orationis ad Patrem (cf. *Io* 10, 1-26; *Lc* 22, 39-45).

Hinc est quod Ecclesia omnibus temporibus, quoties de vocationibus sacerdotalibus sollicita est, Christi exemplum imitari satagit. Variae quidem fuerunt, et etiam nunc sunt, concretae formae iuxta quas incubuit Ecclesia in hanc pastoralem navitatem vocationalem, in id tendentem, non ut dumtaxat vocationes ad sacerdotium discerneret, sed ut easdem « comitaretur ». At mens, qua excitandae ac sustentandae sunt, eadem manet: ut ad sacerdotium eos tantummodo ducat qui vocati fuerint, eosque adaequata ratione instructos; id est, paratos per liberum adhaesionis responsum ad sese totos tradendos personae Christi Iesu, qui eos ad arctiorem cum se vitam vocat participesque efficit in sua ipsius Salutis missione. Atque in hoc sensu, quod « seminarium » dictum est, variis suis succedentibus formis et, analoga ratione « domus formationis » pro sacerdotibus religiosis, priusquam locus sit vel spatium materiale, spatium est spirituale, per vitae itinerarium, vel atmosphaera quaedam, quae provehit et tuetur integrum formationis processum; id quidem ita ut qui a Deo ad sacerdotium vocatur, evadere possit, per sacramentum Ordinis, viva Christi, Ecclesiae Capitis et Pastoris, imago. Bene ergo Patres synodales, in suo conclusivo nuntio ad Dei Populum, apprehenderunt, modo quodam immediato ac profundo, significationem primigeniam institutionis candidatorum sacerdotii, sine qua ad tantum munus qualificari vix possent, haec asserendo: « Vita in seminario, Evangelii schola, est vita in Christi adsectatione, sicut illa apostolorum; talis vita est permittere se educari a Christo ad Patris et hominum servitium, sub Spiritus

Sancti ductu; immo, est Christo bono Pastori se configurari ad melius in Ecclesia et mundo sacerdotale servitium.

Formatio ad sacerdotium est responsionem personalem discere Christi interrogationi: "Amas me?" Responsio pro futuro sacerdote nequit alia esse quam propriae vitae totalis donatio ».[122]

Agitur ergo nunc de vertendo hoc spiritu, nunquam in Ecclesia defecturo, in condiciones sociales, psychologicas, politicas et culturales mundi hodierni, ceterum haud parum varietate et implexitate hinc inde diversas, prout ipsi synodales Patres testati sunt cum referendum erat de diversis Ecclesiis particularibus. Iidemque Patres, sermone licet cauto et anxietudine insignito etsi non minore spe suffulto, patienter alii alios auscultarunt et diutius perspexerunt quaenam aetate nostra viae reperiri possent ut candidatorum sacerdotii institutio in omnibus Ecclesiis hodie perficeretur.

Hinc est quod Adhortatio, cum colligere quodammodo intendat laborum synodalium fructus, constabilire primum debeat quaedam puncta nullatenus movenda; designare dein metas quasdam omnino assequendas; commonstrare omnibus et offerre experientiarum divitias et varietatem methodorum, experimento alicubi comprobatarum. In his evolvendis, Adhortatio seorsum perpendit institutionem quam dicimus « initialem », dein vero eam quam formationem appellamus « permanentem », quin ullibi neglegatur profundius illud vinculum quo altera alteri unitur, et quo utraque ita connectitur ut exinde unum atque organicum exsurgat christianae et sacerdotalis vitae itinerarium. Immoratur denique Adhortatio in perspiciendis aliquibus sic dictis « dimensionibus » seu qualitatibus huiusce institutionis, quam separatim respicit ut humanam, spiritualem, intellectualem, pastoralem. Nonnulla tandem adduntur de locis et de personis quibus tota concredenda sit candidatorum sacerdotii institutio.

I. Dimensiones institutionis sacerdotalis

43. « Absque opportuna humana formatione tota sacerdotalis formatio careret basi ».[123] Haec Patrum synodalium assertio

[122] *Nuntius* Patrum synodalium ad Populum Dei (28 Octobris 1990), IV: 1. mem.

[123] *Propositio* 21.

exprimit non dumtaxat « datum » aliquod quotidie per rationem expostulatum et per experientiam comprobatum, sed exigentiam quae profundiores et specificas habet causas in natura ipsa tum presbyteri qui instituendus est, tum ministerii ad quod aptandus.

Nam presbyter, qui ideo efformatur ut « viva imago » evadat Christi Iesu, Ecclesiae Capitis et Pastoris, eam debet attingere humanam perfectionem quae in Filio Dei, homine facto, splendet, quaeque singulari nitore perlucet in eiusdem cum aliis consuetudine, prout ab Evangelistis nobis transmittitur. Ministerium erit presbyteri Verbum nuntiare, sacramenta tradere, communitatem in caritatem christianam « nomine ac personae Christi » ducere, sed hoc fieri vix potest nisi cum concretis hominibus. « Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum» *(Heb* 5, 1). Propterea formatio humana sacerdotis suum exhibet perculiare momentum in relatione ad eos ad quos per missionem suam destinatur. Atque ut eius ministerium sit hominibus credendum atque accipiendum, valde oportet ut sacerdos ea induatur humanitate, in qua homines non obstaculum sed pontem reperiant quo brevius pervenire valeant ad Christum Iesum, hominis Redemptorem; necessarium ergo videtur ut sacerdos, exemplum Illius sequens qui bene « sciebat quid esset in homine » *(Io* 2, 25: cf. 8, 3-11), capax reddatur noscendi humani animi profunditatem, eius difficultates et problemata instinctu detegendi, dialogum et animorum propinquitatem promovendi, fiduciam et collaborationem alendi, placida ac obiectiva de omnibus iudicia promendi.

At non proinde ob hanc unice sui ipsius iustam maturationem haec omnia procuranda sunt, sed respiciendum maxime ad futuri ministerii qualitatem: colant igitur qui presbyteri sunt futuri eas humanitatis dotes quibus sic dicta «personalitas » instruitur, aequilibrio mentis insignis, fortis, libera; brevi, quae vere capax sit responsalitates pastorales in sese recipiendi. Sic ergo instruantur candidati ut veritatem ac fidelitatem ament, ut quemvis revereantur, ut iustitiae ductu in omnibus regantur, ut dato verbo fideles perstare noverint, ut compati addiscant, ut sibi ipsis constent seu cohaerentes perstare sciant, ut denique recte de rebus et hominibus iudicent, ut no-

bilia dumtaxat placita eligere optent. Quae omnia, ad institutionem humanam perquam necessaria, brevius atque vehementius a Paulo apostolo recensentur apud Philippenses: « De cetero fratres, quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque casta, quaecunque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus et si qua laus, haec cogitate» *(Phil* 4, 8). Neque pondere suo destitui videantur quae sequuntur, cum scilicet harum virtutum vere humanarum se ipsum exemplar apud christifideles exhibet: « Quae et didicistis et accepistis et audistis et vidistis in me, haec agite » *(Phil* 4, 9).

Peculiaris momenti dicenda est illa « relationis capacitas » qua quis ad aliorum usum et consuetudinem facilem sese disponit: vere essentialis dos iis presbyteris qui eo in communitate vocabuntur ut « communionis artifices » habeantur. Id secum imprimis fert ut sacerdos ne arrogans neve litigiosus sit, sed mitis et affabilis, hospitalis, verbo et corde sincerus,[125] prudens et sciens, bene volens et ad serviendum promptus, capax praeterea suscitandi, secum imprimis sed etiam aliorum inter sese, incorruptas et fraternas relationes; indulgentiae et consolationi facilis (cf. etiam *1 Tim* 3, 1-5; *Tit* 7, 9). Homines hodierni, cum saepe ita vivere cogantur ut, praesertim in maximis opulentioribusque urbibus, vel catervatim vel e contra singulatim a ceteris deserti vivant, vehementius in dies pertrahuntur in eam quam breviore vocabulo « communionem » dicere assuevimus: hoc est hodie eloquentissimum signum necnon efficacissima progrediendi via, a praeconio evangelico nullatenus aliena.

In hoc contextu illa advenit qualitas seu dos, cuius obtentus et difficilior est et magis determinans, maturitas scilicet affectiva, quae cardo est totius fere educationis ad amorem verum et responsalem.

44. Maturitas affectiva conscios atque persuasos praesupponit homines amorem quodammodo habendum esse huma-

[124] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Decretum de Institutione sacerdotali *Optatam totius,* 11; Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 3; S. CONGREGATIO PRO INSTITUTIONE CATHOLICA, *Ratio fundamentalis institutionis sacerdotalis* (6 Ianuarii 1970), 51: l. mem., 356-357.

[125] Cf. *Propositio* 21.

nae exsistentiae centrum. Re quidem vera, ut in Encyclica *Redemptor hominis* scriptum reliquimus: « Homo sine amore vivere nequit. Sibimet manet quiddam quod incomprehensibile est, eiusque vita sensu privatur, nisi invenit amorem, nisi amorem experitur suumque efficit, nisi penitus amorem participat ».[126] De eo igitur amore hic loquimur qui integram attingit personam, id est, qua physica, psychica atque spiritualis natura est: et qui plenius exprimitur per « significationem coniugalem » ipsius humani corporis, cuius vi sese invicem personae tradunt et accipiunt. Ad intellegendam igitur et exsequendam hanc amoris humani « veritatem » instruitur illa quae « sexualis educatio » nominatur. Quae rursus, si recte intellegitur, eo maxime inserviet ut obviam saltem veniamus illis socialibus et culturalibus placitis, « quae maxima ex parte sexualitatem humanam reddunt "vulgarem", quandoquidem accipiunt eam et exsequuntur anguste misereque iungentes eam corpori soli et nonnisi voluptati singulorum sibi solis consulentium ».[127] Et quidem, quod ad hanc quaestionem attinet, dolendum saepe est, etiam in familiis ipsis unde vocationes sacerdotales proveniunt, saepe detegi aliam deficere, aliam vero per transversum hac in re ire solitam.

In alio licet simili tantum contextu, difficilior alia sed pariter urgens apparet exigentia cuiusdam sexualitatis educationis, quae tamen vere et plene personalis sit et spatium quodammodo disponat aestimationi et amori castitatis; haec enim virtus est « quae germanam personae maturitatem provehit illamque aptam facit ut revereatur et promoveat "significationem sponsalem" corporis ».[128]

Educatio itaque ad amorem responsalem, sicuti ipsa affectiva personae maturatio, peculiariter necessariae evadunt ei qui, ut presbyter, ad caelibatum vocatur, id est ad offerendam Christo Iesu et Ecclesiae, per Spiritus gratiam ac cum libera propriae voluntatis responsione, sui amoris suaeque sollicitudinis plenitudinem. Atque in prospectu huius caelibatus compromissionis, huiusmodi affectiva maturitas includat necesse est in ipsam relationum humanarum congeriem, quae serena ami-

[126] Litt. Enc. *Redemptor hominis* (4 Martii 1979), 10: *AAS* 71 (1979) 274.

[127] Adh.. Ap. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 37: l. mem., 128.

citia et profundiore quadam fraternitate distinguitur, magnam eamque vivam ac personalem Christi Iesu dilectionem. Ut recte synodales Patres scripserunt: « Maximi est momenti in maturitate affectiva suscitanda, Christi amor in universali deditione protractus. Ita candidatus, ad caelibatum vocatus, in affectiva maturitate firmum fulcrum inveniet, ut gaudens et fidelis castus vivat ».[129]

Et quia caelibatus charisma, etiam cum authenticum atque voluntarie comprobatum est, non eo ipso tangit naturales affecti vitatis inclinationes et instinctus pulsiones, ea maturitas affectiva quae candidatis sacerdotii comparanda est, ditetur insuper per necessariam prudentiam, ut scilicet renuntiare etiam addiscant iis rebus, sub quibus insidiae latere possent; vigiles proinde perstare assuescant circa corpus et spiritum, immo circa aestimationem etiam et reverentiam quae necessario in relationibus interpersonalibus cum viris et feminis intercedunt. Magni pretii adiutorium eis offertur si adaequata educatione instruantur ad eam amicitiam quae exemplum reperiat in illo vinculo fraterni affectus quem Christus ipse vixit dum inter homines versatus est (cf. *Io* 11, 5).

Humana ergo maturitas, et affectiva praesertim, formationem postulant nitore ac robore splendentem, ad eam libertatem quae tandem eadem est ac rationalis obedientia erga « veritatem » proprii « esse », erga « significationem » vitae, erga « donum sui » quod presbyter amplectitur ut seipsum authentice perficiat.[130] Quibus recte perpensis, libertas presbyterum ducet ut sui ipsius dominium perpetuo exerceat, paratumque se continuo testetur ad vincenda ea egoismi ac individualismi certamina quae in uniuscuiusque vitam insidias nectunt; presbyterum, brevi, « hominem ad alteros » efficient, deditioni et servitio proximorum totum traditum. Idque summi erit momenti, quandoquidem ab ea pendet quale dandum responsum sit vocationi, praesertim sacerdotali, et qualis fidelitas erga suscepta onera exspectari possit si difficilia tempora obvenerint. In hoc autem institutionis itinerario ad maturam et re-

[129] *Propositio* 21.

[130] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 24.

sponsalem libertatem adquirendam, poterunt valde iuvari candidati si adaequata instruatur vivendi ratio in seminario.[131]

Intime cum hac educatione ad libertatem responsalem coniungitur educatio ad conscientiam moralem; haec enim, dum ab intima persona expostulat ut prompte ad obligationes morales obedire assuescat, profundiorem obedientiae sensum detegit, quippe quae eam exhibeat ut liberam atque consciam responsionem, id est in amore fundatam, erga Dei dilectionem Eiusque desideria: « Humana maturitas sacerdotis specialiter includere debet suae conscientiae efformationem. Candidatus enim, ut obligationes suas erga Deum et Ecclesiam fideliter solvere possit, et fidelium conscientias sapienter dirigere queat, assuescere debet vocem Dei audire, qui loquitur in tabernaculo cordis, et Eius voluntati amanter et firmiter adhaerere ».[132]

45. Ipsa autem humana formatio, si tamen ea comparatur in contextu anthropologiae quae totam respiciat hominis « veritatem », aperienda et complenda est per formationem spiritualem, cum omnis homo a Deo creatus et per Christi sanguinem redemptus, eo vocetur ut, regeneratus « per aquam et Spiritum » (cf. *Io* 3, 5), «filius in Filio» fiat. In quo efficaci Dei consilio fundatur tota hominis natura, quae, ex ipsa sui constitutione, religiosa effecta est, prout ceterum plane perspicitur, immo et admittitur etiam ab eo qui primos ratiocinandi gressus instituit: homo enim, qui indubitanter cor adeo irrequietum habet ut nonnisi in Domino requiescat,[133] ad transcendentiam atque ad absolutum portendere facile demonstratur.

Movetur hinc, ab hac scilicet fundamentali et minime abroganda religionis exigentia, iter illud educativum per quod instruenda est — atque ea potissimum formatio spiritualis dicitur — via relationis et communionis cum Deo; quae iuxta revelationem et christianam experientiam necessario possidet claram proprietatem, quae ex novitate oritur evangelica. Nam « opus Spiritus est, personamque totaliter complectitur; per eam deducitur candidatus ad profundiorem cum Iesu Christo bono Pastore communionem, per eamque perduci quoque va-

[131] Cf. *Propositio* 21.

[132] *Propositio* 22.

[133] Cf. S. AUGUSTINUS, *Confess.*, I, 1: *CSEL* 33, 1.

let ad vitam totam Spiritus ductui tradendam, per filialem erga Patrem fiduciam et fidelem erga Ecclesiam benevolentiam et amorem. Formatio huiusmodi nullibi ditiores radices habet nisi quas in crucis experientia iacit, per quam unam sacerdoti patet aditus, in profundiore communione, ad Paschalis Mysterii plenitudinem ».[134]

Agitur ergo, ut perspicue apparet, de ea formatione spirituali quae, etsi communiore quodam modo christifidelibus instruenda est, postulat nihilominus ut, quoties de presbytero ac de eius ministerio agitur, aptanda appareat ad tanti muneris peculiaritates. Atque, ut pro quovis christifideli omnis efformatio spiritualis centrum et unitatem reponat necesse est in eorum « christianos esse » et « christiane vivere », id est, ut nova in Christo enascatur creatura quae per Spiritum incedat, ita pro presbytero eo portendenda spiritualis institutio est ut ipsa fiat velut cor, quod unitatem vitamque conferat iis omnibus per quae presbyter dicitur et est. Quae omnia perspicue asserta sunt a synodalibus Patribus hisce simplicioribus verbis: « Sine formatione spirituali eius pastoralis formatio absque basi procederet »,[135] idque potissimum quia « formatio spiritualis tanquam elementum maximi momenti est in sacerdotali educatione ».

Praecipua materies formationis spiritualis in concreto ad presbyteratum itinerario, apte acta est in conciliari Decreto *Optatam totius:* «Institutio spiritualis (...) ita impertiatur ut alumni cum Patre, per Filium Eius Iesum Christum, in Spiritu Sancto familiari et assidua societate vivere discant. Per sacram ordinationem Christo Sacerdoti configurandi, etiam intima totius vitae consortione, ut amici, Ei adhaerere assuescant. Eius Mysterium Paschale ita vivant ut in illud initiare sciant plebem sibi committendam. Christum quaerere edoceantur in verbi Dei fideli meditatione, in actuosa cum sacrosanctis Ecclesiae Mysteriis communicatione, imprimis in Eucharistia et in officio divino; in Episcopo qui eos mittit, et in hominibus ad quos mittuntur: praesertim pauperibus, parvulis, infirmis,

[134] SYNODI EPISCOPORUM VIII COETUS GEN. ORD., *De sacerdotibus formandis in hodiernis adiunctis* - « Instrumentum laboris », 30.

[135] *Propositio* 22.

[136] *Propositio* 23.

peccatoribus et incredulis. Beatissimam Virginem Mariam, quae a Christo Iesu in cruce moriente discipulo data est uti mater, filiali fiducia diligant et colant ».[137]

46. Perpendendus est hic conciliaris textus cura quadam et amore, cum erui ex ipso facile possit quinam potiores valores censendi sint, vel quaenam exigentiae praecipuae pro itinere spirituali cuiuslibet candidati sacerdotii.

Atque is imprimis eminet valor, qui ab eisdem exigit « ut intime ad Christum Iesum uniti » vivant. Haec enim unio, in baptismate radicata et per Eucharistiam nutrita, exprimenda in quotidiana vita est per perfectam sui atque permanentem renovationem. Nam intimior cum Sanctissima Trinitate communio, id est, nova illa gratiae vita, quae Dei filios efficit — praecipua, eaque ingens, credentium novitas — totum eorumdem « esse » et « operari » pertingere nata est, cum mysterium ipsum constituat humanae existentiae, prout haec influxui Spiritus subest, et consequenter constituere ipsa debeat novum christiane vitae «ethos». Eamque miram christianae vitae conformationem, per quam totius spiritualis vitae cor attingitur, nos Iesus Christus edocuit ac per allegoriam vitis et palmitum mire illustravit: « Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est... Manete in me et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructus a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere » *(Io* 15, 1. 4-5).

Nec desunt in hodierna quidem cultura valores spirituales ac religiosi, cum omnis homo, etiam cum saepe opposita ostentare contingat, tamen Dei fame et siti indefesse afficiatur. Aliunde ipsa christiana religio, cum properanter a plerisque velut una de multis religio censeatur, in id discrimen venit ut nihil superius vulgus videatur offerre praeter bonam ethicam socialem, in hominis servitium eximie valentem. At celatur saepe vel vulgum effugit mira eius atque historica « novitas », quae vel immotos animos evertere posset si intimius apprehenderetur; quippe quae sese ut « mysterium » revelet. Atque id my-

Decretum de Institutione sacerdotali *Optatam totius,* 8.

sterium, advenientis scilicet ad nos Dei Filii, hominis facti, quod iis omnibus qui illud receperint « potestatem dat filios Dei fieri» *(Io* 1, 12), nuntium fit, immo donum, personalis cuiusdam foederis dilectionis et vitae Dei cum homine. Id igitur praeconium, mirae cuiusdam et beatificantis novitatis (cf. *1 Io* 1, 1-4), tunc tantum presbyteri aliis communicare poterunt cum per adaequatam institutionem spiritualem, huiusce mysterii intimiorem notitiam et indesinentem experientiam adquisierint.

Textus hic conciliaris, cum absolutam christiani mysterii transcendentiam satis declaraverit, non neglegit in clariorem lucem ponere eam intimam futuri presbyteri cum Iesu communionem per quandam amicitiae formam esse potissimum exhibendam. Neque haec quantumvis altior aspiratio absurda homini censenda est: donum solius Christi est, qui suis edixerat apostolis: « Iam non dico vos servos, quia servus nescit quid facit dominus eius; vos autem dixi amicos, quia omnia quae audivi a Patre meo, nota feci vobis » *(Io* 15, 15).

Alterum altioris pretii valorem ipse conciliaris textus deinceps enuntiat Iesu quaesitionem: « Doceantur Christum quaerere ». Id enim, simul cum «Deum quaerere», argumentum fit in spiritualitate christiana classicum, quod tum potissimum locum sibi proprium habere dicitur, ubi de apostolorum vocatione est eloquendum. Ioannes enim, enarrans quae duobus primis Iesu discipulis evenerunt, ea perspicue eminere facit per quae huiusmodi quaesitio illustratur, cum Iesum ipsum incipientem inducit: «Quid quaeritis? ». Quem uterque vicissim interrogant: « Rabbi, ubi manes? ». Et prosequitur evangelista: « Dicit eis: Venite et videbitis. Venerunt ergo et viderunt ubi maneret, et apud eum manserunt die illo » *(Io* 1, 37-39). Hoc ergo asserendum plane est: vitam spiritualem eorum qui ad sacerdotium sese parant tum exactius definiri, cum potissimum haec innuitur quaesitio.

Tum candidatus in « inveniendum » Magistrum totus protenditur, cum Eumdem subsequitur, ut in communione cum Ipso maneat. Similiter in ministerio et vita sacerdotali erit perpetuo continuanda huiusmodi quaesitio cum nunquam exhauriri possit illud ingens mysterium imitationis et participationis e Christi vita et exemplo. Itemque continuandus erit conatus

hic Magistrum « inveniendi »; id in aliorum beneficium erit aggrediendum, ut nempe in aliis quoque excitetur desiderium tantum Magistrum reperiendi. Id vero, quod ad nos attinet, praestari aliis potest per nostram vitae «experientiam», si eam alii quoque detexerint esse compartiendam. Atque haec potissimum fuit via qua Andreas usus est ut Simonem fratrem ad Iesum adduceret. « Andreas enim — ut scribit evangelista Ioannes — invenit primum fratrem suum Simonem, et dicit ei: Invenimus Messiam (quod est interpretatum Christus).

Adduxit eum ad Iesum » (*Io* 1, 41-42). Sic ergo etiam Simon, ut apostolus sit, in Messiae adsectationem vocabitur: « Intuitus eum Iesus dixit: Tu es Simon, filius Ioannis; tu vocaberis Cephas (quod interpretatur Petrus) » (*Io* 1, 42).

Quaerendum nunc venit quid in vita spirituali sibi velit « Christum quaerere ». Et ubi Eum inveniemus? « Magister, ubi manes? ». Conciliare decretum *Optatam totius* triplicem designare viam videtur cum haec deinceps innuit: « Fidelem verbi Dei meditationem; active in sacrosanctis Ecclesiae mysteriis interesse; caritatis servitia erga tenuiores vel "parvulos" amplecti ». Id est, cum enuntiat tres altioris pretii valores, per quos institutio spiritualis candidatorum sacerdotii ulterius describitur.

47. Elementum imprimis essentiale pro formatione spirituali est Verbi Dei lectio, humilis et amabilis auscultatio illius qui loquitur. Scilicet tum tantum propria vocatio detegitur et propria adimpletur missio cum utraque in luce et vi Verbi Dei perspicitur, intellegitur, amatur; cum utramque sic tantummodo amplecti decrevimus. Adeo ut integra hominis existentia tum dumtaxat plenum et unitarium attingat sensum, cum velut terminus appareat tum Verbi Dei hominem vocantis, tum verbi hominis ad Deum responsum dantis. Familiaris quidem cum Dei Verbo consuetudo facilius reddet necessariae conversionis itinerarium: conversio quippe non in eo solum ponitur ut per mali detestationem uni bono adhaereamus, sed in eo quoque ut mens et cor sola Dei cogitatione nutriantur, unde una fides, eaque ut responsio Verbo, evadat novum iudicandi et aestimandi criterium, erga homines et res, erga eventus et quaestiones.

Supponunt sane omnia haec ut ad Dei Verbum accedat homo, idque exaudiat, ut divinum est Verbum; tum Deum ipsum invenire fas erit, hominem alloquentem; sed invenietur et Christus, Dei Verbum, idemque Veritas, quae simul et Via est et Vita (cf. *Io* 14, 6). Leguntur scilicet «scripturae» et exaudiuntur « verba », Dei nempe « Verbum », ut Concilium commeminit: « Sacrae autem scripturae Verbum Dei continent, et, quia inspiratae, vere Verbum Dei sunt ».[138] Atque idem subsequitur Concilium: « Hac itaque revelatione Deus invisibilis (cf. *Col* 1, 15; *1 Tim* 1, 17) ex abundantia caritatis suae homines tanquam amicos alloquitur (cf. *Ex* 33, 11; *Io* 15, 14-15) et cum eis conversatur (cf. *Bar* 3, 38), ut eos ad societatem secum invitet in eamque suscipiat ».[139]

Notitia ergo haec, per amorem quaesita, et familiaritas, per orationem cum Dei Verbo obtenta, peculiarem induunt significationem pro presbyterorum prophetico ministerio; cuius utraque condicio insuperabilis fere exstat, sine qua adimpleri vix poterit ministerium, in contextu praesertim « novae evangelizationis » ad quam hodie Ecclesia advocatur. Recte igitur Concilium admonet: « Clericos omnes, imprimis Christi sacerdotes ceterosque qui ut diaconi vel catechistae ministerio verbi legitime instant, assidua lectione sacra atque exquisito studio in Scripturis haerere necesse est, ne quis eorum fiat "verbi Dei inanis forinsecus praedicator, qui non est intus auditor" {*Divi Augustini Serm.* 179, 1: *PL* 38, 966) ».[140]

Prima ergo ac praecipua forma responsionis ad Verbum reponitur in oratione, quae eo ipso constituit valorem et primariam exigentiam in quavis formatione spirituali. Haec autem, si adaequata sit, eo candidatos sacerdotii perducere tenetur, ut experimento noverint verum christianae orationis sensum, in eo demum inveniendum ut sit occursus vivus et personalis cum Patre, per Unigenitum Filium, sub actione Spiritus, id est, ut instauret dialogum qui inseratur in id filiale colloquium quod Iesus cum Patre apertum perpetuo habet. Neque secundarii ordinis in sacerdotis missione habeatur ut ipse sit quoque « ad orationem educator »; quod munus, alios scilicet ad

[138] Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum,* 24.

[139] *Ibid.,* 2.

[140] *Ibid.,* 25.

scholam orationis formandi, tum tantum sustinere valebit cum ipse et ad orationem institutus sit et in schola Iesu auditor esse perseveret. Atque haec a sacerdotibus homines expostulant: «Est enim sacerdos, Dei homo; is nempe qui ad Deum pertinet et a quo, ut Deum eogitemus, impellimur. Cum Epistola ad Hebraeos de Christo loquitur, Is ita describitur tanquam "misericors et fidelis pontifex in his, quae sunt ad Deum" (*Heb* 2, 17)... Recte igitur exspectant christifideles reperturos se in sacerdote esse non eum tantum qui ipsos excipiat, benevolenter exaudiat, testimonio comitatis hortetur, sed hominem praesertim qui ipsos ad Deum adducat, ipsorumque oculos ad Ipsum convertat. Necesse proinde est ut sacerdos ita formetur ut intimioris cum Deo colloquii capax exsistat. Id ergo noverint qui sese ad sacerdotium parant, plenitudinem sacerdotalis vitae nunquam se impleturos nisi se totos Christo, et per Christum, Ipsi demum Patri, in donum tradiderint ».[141]

Necessaria ad orationem paedagogica via, in contextu agitatione et rumore inquinato veluti hac in nostra aetate, est formatio ad altam humanam significationem adque « silentii cultum ». Silentium enim spiritualem quandam secumfert atmosphaeram, quae necessaria praedicatur ad praesentem Deum persentiendum et ad sese Ipsi tradendum (cf. *1 Re* 19, 11 ss.).

48. Orationis christianae culmen Eucharistia occupat, quae vicissim sese proponit tanquam sacramentorum et Liturgiae Horarum culmen et fontem. Est proinde educatio quaedam liturgica, pro institutione christiana cuiusvis etiam christifidelis sed maxime pro sacerdote, plane necessaria, idque eo sensu ut per eam plena et vitalis insertio obtineatur in paschale Christi morientis et resurgentis mysterium, quod Eumdem praesentem et operantem exhibet in Ecclesiae sacramentis. Communio enim cum Deo, totius vitae spiritualis fulcrum, sacramentorum fructus est et donum: sed pariter munus evadit atque responsalitas quam sacramenta ipsa tradunt libertati credentis, qui proinde impellitur ad eamdem communionem vivendam in optionibus, placitis, habitibus, actionibus vitae suae quotidianae. In eo sensu « gratia » quae novam reddit christianam vitam, est gratia Christi morientis et resurgentis, quam per

Angelus (4 Martii 1990), 2-3: diurnarium «*L'Osservatore Romano* », 5-6 Martii 1990.

sacramenta eius Spiritus, sanctus et sanctificator, effundere perseverat: unde « nova lex », quae ducere ac normis instruere christianam vitam debet, inscribitur per sacramenta in « corde novo ». Estque caritatis lex erga Deum et fratres quasi responsio et protractio caritatis Dei erga homines, prout in sacramentis significatur et perficitur. Valor ergo huius plenae, consciae et actuosae participationis[142] in celebratione sacramentorum facile percipitur propter donum et munus « caritatis pastoralis », quae velut anima est ministerii sacerdotalis.

Id valere vel maxime dicendum est in Eucharistia, quae memoria est Christi sacrificalis mortis et gloriosae resurrectionis, itemque « pietatis sacramentum, unitatis signum, caritatis vinculum »;[143] paschale item convivium « in quo Christus sumitur, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur ».[144] Iamvero sacerdotes, cum sacrarum rerum administri sint, id praesertim exercent in Missae sacrificio:[145] quorum, ut scimus, locum nemo occupare potest, cum nulla possit oblatio eucharistica nisi per sacerdotem Deo praesentari.

Elucet hinc singulare Eucharistiae momentum pro vita et ministerio sacerdotali, et consequenter pro loco quo ea ponenda sit in formatione spirituali candidatorum sacerdotii. Sinite Nos id magna cum simplicitate et concreto utentes sermone, hic iterare: « Conveniens omnino est ut seminaristae accedere quotidie assuescant celebrationi eucharisticae, ita ut deinceps velut iussum sibi habeant eum qui vitae sacerdotalis mos tantummodo est, missam quotidie celebrandi. Assuescant etiam celebrationem eucharisticam considerare velut praecipuum diei momentum, cuius proinde active participes sint, nullo modo consuetudinem sequentes. Quod autem praecipuum in educatione est, candidati sacerdotii condiciones quae ad Eucharistiam proprie requiruntur perquirant: gratitudinem scilicet, quandoquidem Eucharistia est "gratiarum actio", imprimis Deo exhibeant pro beneficiis superne acceptis; dein habitum affe-

[142] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Const. de Sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium,* 14.

[143] S. AUGUSTINUS, *In Iohannis Evangelium Tractatus* 26, 13: 1. mem., 266.

[144] LITURGIA HORARUM, *Antiphona* ad Magnificat II Vesp, in sollemnitate Corporis et Sanguinis Christi,

[145] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 13.

rant oblativum, eo animos inclinantem ut cum oblatione eucharistica Christi, etiam propria personalis oblatio praesentetur. Colant item caritatem, quae per sacramentum nutritur et per id ad unitatem et ad rerum communicationem perducit. Desiderium denique contemplationis et orationis foveant, cum sub specie eucharistica doceamur Christum realiter adesse ».[146]

Omittenda nullatenus est, immo vehementius extollenda, invitatio, quandoquidem de formatione spirituali agitur, ad denuo animadvertendum quantum pulchritudinis et gaudii secum ferat Paenitentiae sacramentum. In ea cultura hodierna, quae per renovatas et subtiliores auto-iustificationis formas, in eo iam est ut ipsum « peccati sensum » fataliter perdat, et consequenter nesciat quantum gaudii et consolationis sit in expetitae indulgentiae assecutione (cf. *Ps* 51, 14) et in occursu cum Deo, qui «dives est in misericordia» *(Eph* 2, 4) urgens adest necessitas instituendi eos qui sacerdotes futuri sunt ad Paenitentiae virtutem, quam sapienter docere pergit Ecclesia per anni liturgici celebrationes et tempora, et quae plenitudinem sui obtinet in reconciliationis sacramento. Hinc manant asceseos vel interioris disciplinae sensus, sacrificii et abnegationis spiritus, laboris et crucis acceptatio. Quae omnia summi cuiusdam pretii elementa sunt pro vita spirituali, licet saepe appareant veluti ardua obstacula iis candidatis ad sacerdotium qui, cum inter vitae commoditates adoleverint, eo ipso longius abierant etiam a comprehensione horum valorum, a quibus aliunde adeo recedunt exempla ipsa et somnia quae per communicationis media vulgantur, etiam in iis mundi plagis ubi vitae paupertas viget et austeritas experimento vivitur etiam inter iuvenes. Ob haec omnia, sed maxime ut ad Christi Boni Pastoris exemplum candidati etiam « radicaliorem sui donationem » exsequantur, quippe quae sacerdotum insigne sit. Patres synodales scripserunt: « Hodiernae culturae saecularistae, in voluptatem, cupiditatem habendi et hedonismum propellenti, Presbyter respondere debet; et ideo opus est ei ad hunc finem consequendum cum imo et salvifico sensu crucis, quae in medio Paschalis mysterii est, efformari. Propter hanc identificationem sacerdotis cum Christo crucifixo, quatenus servo,

Angelus (1 Iulii 1990), 3: diurnarium « *L'Osservatore Romano* », 2-3 Iulii 1990.

mundus austeritatis, doloris et etiam martyrii valorem reperire potest in hodierna cultura saecularismo cupiditate et hedonismo imbuta ».[147]

49. Secum etiam spiritualis efformatio fert ut addiscat presbyter Christum in hominibus quaerere.

Est quidem vita spiritualis aliquid quod interius latet, quod intimitatem cum Deo insequitur, vita scilicet orationis et contemplationis. At hic potissimum cum Deo occursus, et inventio quod illius amor sit Patris erga omnes amor, secum exigentiam ferunt, eamque minime abiciendam, proximum conveniendi seseque in aliorum bonum donandi, idque in eo humili ac liberali servitio exhibendo, quod Iesus christifidelibus omnibus tanquam vitae programma tradidit cum discipulorum suorum pedes lavit: « Exemplum enim dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, et vos faciatis » (*Io* 13, 15).

Haec efformatio ad liberale atque gratuitum sui donum, cum foveatur per ipsam formam vitae communitariae prout ea de more instruitur pro candidatis sacerdotii parandis, condicio evadit iis potissimum qui velut epiphania et imago esse decreverunt Boni Pastoris, vitam pro ovibus suis ponentis (cf. *Io* 10, 11-15). Sub hac luce, formatio spiritualis, quae dilatare in sese tenetur eam quam habet intrinsecam dimensionem pastoralem vel caritativam, poterit in eum finem utiliter iuvari per adaequatam, id est fortem sed teneram, devotionem erga Christi Cor, ut opportune innuerunt ipsi synodales Patres: « Sacerdotes futuros in spiritualitate Cordis Domini efformare comportaret vitam ducere concinentem amori et affectui Christi Sacerdotis vel Boni Pastoris: amori eius erga Patrem in Spiritu Sancto, amori Eius erga homines usque ad vitam suam in immolafione donandam ».[148]

Sacerdos itaque, « homo caritatis » est, et talis est formandus ut educare alios valeat ad Christi imitationem et ad Eius fraterni amoris mandatum (cf. *Io* 15, 12). Sed id ipsum in sese refundit, ut scilicet continuo se Spiritui credat in Christi dilectionem educandum. Hinc apparet praeparationem ad sacerdotium non posse non secum ferre formationem ad caritatem, ad

[147] *Propositio* 23.

eam quam hodie « peculiarem et praeferentem amorem pauperiorum » dicimus, in quibus nempe, Iesu praesentiam (cf. *Mt* 25, 40) Eiusque misericordem erga peccatores benevolentiam fides detegit.

In hac amplioris caritatis via, quae in donum sui per amorem ducit, proximiorem locum invenit, in formatione spirituali sacerdotis, educatio ad obedientiam, ad caelibatum, ad paupertatem.[149] Quem locum ita Concilium prospiciebat cum candidatos hisce verbis invitabat: « Clarissime intellegant alumni, se non dominatui nec honoribus destinari, sed totos servitio Dei et pastorali ministerio mancipari. Peculiari sollicitudine in sacerdotali obedientia, in pauperis vitae ratione, et in sui abnegandi spiritu ita excolantur, ut etiam ea quae licita sunt sed non expediunt, prompte abdicare et Christo crucifixo se conformare assuescant ».[150]

50. Formatio ergo spiritualis illorum qui ad vivendum caelibatum vocantur peculiarem attentionem praestet necesse est ut eos doceat illum novisse, aestimare, amare et vivere prout sua natura est, et propter veros suos fines, scilicet ob rationes tantummodo evangélicas, spirituales, pastorales. In quarum praeparatione primo loco ponenda est castitatis virtus, ea scilicet quae dignitatem tribuit humanis relationibus atque adducit «ad experiendum amorem sincerum, humanum, fraternum, personalem atque immolatum in exemplum Christi erga omnes ac singulos, praesertim vero pauperes, afflictos, aequales».[151]

Sacerdotalis quidem caelibatus castitatem denotat quibusdam peculiaritatibus propter quas presbyteri « societati coniugali propter Regnum caelorum (cf. *Mt* 19, 12) renuntiantes, Domino adhaerent amore indiviso novo Foederi intime congruente, futuri saeculi resurrectioni testimonium exhibente (cf. *Lc* 20, 36); et aptissimum consequuntur auxilium ad eam perfectam caritatem continuo exercendam, qua in ministerio sacerdotali omnia omnibus fieri valeant ».[152] Quare presbyteralis caelibatus considerandus haud venit velut norma dumtaxat

[149] Cf, *ibid.*

[150] Decretum de Institutione sacerdotali *Optatam totius,* 9.

[151] S. CONGREGATIO PRO INSTITUTIONE CATHOLICA, *Ratio fundamentalis institutionis sacerdotalis* (6 Ianuarii 1970): 1. mem., 354.

[152] CONC. OEC. VAT. II, Decr. de Institutione sacerdotali *Optatam totius,* 10.

iuridica vel exterior quaedam condicio qua quis ad Ordinem suscipiendum admittatur, sed ut valor profunde connexus cum sacra Ordinatione qua presbyter ad Christum, bonum Pastorem et Ecclesiae Sponsum, erit configurandus, scilicet velut optio maioris cuiusdam atque indivisibilis amoris erga Christum eiusque Ecclesiam, in plena et alacri cordis disponibilitate pro ministerio pastorali. Habendus ergo caelibatus est specialis gratia, donum: « Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est» *(Mt* 19, 11). Est ergo caelibatus gratia quaedam, quae eamdem suscipientem non excipit, sed potius singulari ab eo rigore, conscientem et liberam responsionem exigit. Atque huiusmodi spiritus charisma sufficientem secum fert gratiam per quam, iis qui caelibatum amplexi sunt, eius obligationibus fideles per totam vitam perseverant, et alacriter ac bene volenter onera eidem connexa sustinent. In formatione proinde ad presbyteralem caelibatum tutanda imprimis erit conscientia de « pretioso Dei dono recepto »,[153] quae presbyterum ad orationem perducat et ad invigilandum ne ullis insidiis tantum donum pessumdetur.

Sacerdos itaque, in caelibatu vivens, totus vacare potest ministerio suo in Dei populo adimplendo. Peculiariter autem, dum virginitatis valori evangelico testimonium praebet, christianos coniuges sustentare non desinet ut plenius « magnum sacramentum » vivant quod signum est Christi Sponsi amoris erga Sponsam Ecclesiam, unde presbyteri fidelitas erga caelibatum adiutorio etiam esse valeat ipsorum coniugum fidelitati.[154]

Momentum ergo et subtilitas huiusce formationis ad caelibatum presbyteralem in hisce hodiernis adiunctis socio-culturalibus, synodales Patres induxerunt ut quaedam prospicerent, quae ceterum iamdiu per sapientis Matris Ecclesiae vigilantiam usui valida comprobata fuerant. Quae cum auctoritate huc denuo afferuntur, velut criteria in formatione castitatis ad caelibatum adhibenda: « Episcopi una cum rectoribus seminariorum et directoribus spiritualibus principia statuant, criteria praebeant et auxilia adstruant ad discernendum in hac materia.

[153] *Ibid.*

[154] Cf. *Epistola* ad universos Ecclesiae sacerdotes adveniente feria V in Cena Domini (8 Aprilis 1979): *Insegnamenti* II, 1 (1979) 841-862.

Sollicitudo Episcopi et vita fraterna inter sacerdotes pro formatione ad castitatem in caelibato summi momenti sunt.

In seminario, in eius nempe programmate formationis, caelibatus debet clare praesentari, sine ulla ambiguitate et modo positivo. Seminarista gradum maturitatis psychicae et sexualis necnon vitam orationis assiduam et sanam habere debet, seque sub directione cuiusdam patris spiritualis collocare. Director spiritualis seminaristam adiuvare debet ut ipse ad maturam et liberam decisionem perveniat, quae in aestimatione amicitiae sacerdotalis et autodisciplinae necnon acceptatione solitudinis fundetur atque in recto statu personali physico et psychologice. Ad hoc seminaristae bene cognoscant doctrinam Concilii Vaticani II necnon Encyclicam *Sacerdotalis caelibatus,* et Instructionem pro formatione ad caelibatum sacerdotalem a Congregatione pro Institutione Catholica anno 1974 editam.

Ut seminarista libera decisione caelibatum sacerdotalem propter Regnum Caelorum amplecti possit, necesse est ipsum intellegere quae sint indoles christiana et vere humana necnon finis sexualitatis in matrimonio et in caelibatu. Necesse est etiam instruere christifideles circa causas evangélicas spirituales et pastorales ad caelibatum sacerdotalem pertinentes et eos educare ut adiuvent presbyteros amicitia, comprehensione et collaboratione ».[155]

51. Formatio intellectualis, licet suam habeat peculiaritatem, sic cum formatione humana et spirituali connectitur, ut earum necessaria significatio fiat: sese enim ita fingit tanquam necessariam intellectus postulationem, per quam homo « divinae mentis lumen participat »[156] et eam proinde sapientiam adipisci conatur quae vicissim vias detegat ad Deum vere inveniendum Eique plene adhaerendum.

Formatio intellectualis candidatorum sacerdotii rationem sui peculiarem reponit in ipsa natura ministerii ordinati, suamque hodiernam urgentiam exhibet pro contentione « novae cuiusdam evangelizationis » ad quam Dominus Ecclesiam suam provocat adventante tertio millennio. « Si iam omnis christianus paratus esse debet ad defensionem fidei et spei

[155] *Propositio* 24.

[156] CONC. OEC. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 15.

quae in nobis vivit (*1 Pe* 3, 15), multo magis candidati sacerdotii et presbyteri diligentem curam habeant de valore formationis intellectualis in educatione et in navitate pastorali, quia propter salutem fratrum sororumque semper profundiorem cognitionem mysteriorum divinorum quaerere debent ».[157] Hodiernarum autem rerum condicio, graviter per indifferentiam religiosam sauciata, et simul per fiduciae crisim erga veram rationis capacitatem veritatem obiectivam et universalem assequendi, immo, per nova illa problemata et subtiliores quaestiones quas secum ferunt inventa scientifica et technologia nuperrime increbrescentia, excellentius exigit vel profundius formationis intellectualis exemplar, quo etiam sacerdotes capadores fiant immutabile Christi Evangelium etiam in huiusmodi rerum contextu nuntiandi, idemque credibile exhibendi adversus legitimas humanae rationis exigentias. His illud adiungatur quod ex eo phaenomeno quod hodie pluralismus dicitur provenit; qui pluralismus, quem homines hodierni non in civili dumtaxat sed etiam in ecclesiali consortione impensius in dies persentiunt, peculiarem expostulare videtur criticae discretionis aptitudinem: eaque difficultas nova fit causa cur exigentior in dies formatio intellectualis sit perspicienda.

Hic autem aspectus « pastoralis » formationis intellectualis ea confirmat ac roborat, quae superius innuebantur de unitate totius processus educationis, cum is adeo multa in unum debeat complecti. Unde studendi alacritas, quae maior portio est vitae illius qui sese ad sacerdotium comparat, nullatenus censenda est exterior quaedam vel secundaria pars maturationis humanae, christianae, spiritualis et vocationalis; re vera, per studium, theologiae praesertim, futurus sacerdos, adhaeret Verbo Dei, incrementa quotidie affert vitae suae spirituali, aptior in dies fit ad pastorale munus suscipiendum. Atque is est multiplex et unius conspectus finis quem studiis theologicis Concilium assignat,[158] prout deinceps in huius Synodi *Instrumento laboris* receptus fuerat: « Haec autem intellectualis formatio, ut pro rei pastoralis exigentiis vere efficax evadat, coniungenda est cum eo itinere spirituali in quo personalis Dei fiat expe-

Propositio 26.

Cf. Decretum de Institutione sacerdotali *Optatam totius,* 16.

rientia: scilicet ut candidati non sola notionum scientia ditentur, sed eum tingant cordium intuitum, ut Dei mysterium ipsi primo "videre" valeant, dein communicare inter fratres sciant ».[159]

52. Peculiare quoddam intellectualis formationis momentum reponitur quoque in philosophiae studio, quod eo perducit ut profundior adquiratur comprehensio atque interpretatio personae hominis, eius libertatis, eius cum mundo et Deo rationis. Philosophia ergo apparet res instantis cuiusdam necessitatis, nec solum ob vinculum quod intercedit inter argumenta philosophica et salutis mysterium, in cuius quaestionis studium scientia theologica incumbit sub superiore luce fidei,[160] sed etiam urgente eo statu culturali hodie ubique propemodum imperante, qui « subiectivismum » velut veritatis criterium et mensuram extollit: una dumtaxat Tectaque philosophia iuvare valet petitores sacerdotii ad reflexam adquirendam conscientiam rationis intercedentis inter humanum animum et veritatem: quae nobis veritas nusquam plene nisi in Christo revelatur. Nec minoris pretii habenda philosophia est in tutanda « veritatis certitudine », in qua una niti potest totalis ac personalis sui donatio, per quam presbyter sese Iesu et Ecclesiae tradit. Nam facile quilibet intellegit cur concretissimae quaedam quaestiones, v.g. quae vera sit identitas presbyteri et ipsius missionis apostolicae ac missionariae, profundius nectantur cum minime abstracta alia interrogatione, quid scilicet ipsa veritas sit: nisi enim certitudo de veritate adsit, quis vitam suam in certamen ultimum adducat, vel valeat aliorum vitas vere exquirere?

Philosophia haud parvo est auxilio in formatione intellectuali candidati augenda « cultu veritatis », quadam videlicet amanti veneratione veritatis, quae efficit ut veritatem homines dispiciant non veluti rem ab homine creatam et ad mensuram perductam, sed homini dono datam a Deo, qui est Ipse summa Veritas; et ipsam humanam rationem, licet difficulter saepe limitibus adstrictam, veritatem obiectivam et universalem nancisci posse, illam saltem quae ad Deum respicit et radicalem propriae existentiae sensum; neque fidem posse ratio-

De sacerdotibus formandis in hodiernis adiunctis - « Instrumentum laboris », 39.

[160] Cf. S. CONGREGATIO PRO INSTITUTIONE CATHOLICA, *Epistola ad Episcopos de philosophiae institutione in Seminariis* (20 Ianuarii 1972).

nem et laborem « ratiocinandi » circa sui ipsius ambitum neglegere, ut egregie testata est acutissima divi Augustini mens: « Desideravi intellectu videre quod credidi, et multum disputavi et labora vi ».[161]

Iuvare item magnopere poterunt, ad profundiorem hominis comprehensionem habendam ac phaenomenorum et processuum, per quae hominum societas evolvitur, illae quae dicuntur « scientiae de homine », quarum auxilio ministerium pastorale melius et quam maxime « incarnatum » exerceri poterit; tales sunt sociologia, psychologia, oeconomicae ac politicae scientiae, necnon scientia communicationis socialis. Quae omnes, in eo saltem ambitu quem scientiae positivae vel descripti vae replere natae sunt, valde eum qui futurus erit sacerdos iuvabunt in dilatanda ea temporum convenientia, qua Christus Ipse vivere voluit. « Christus enim — ut aliquando Paulus VI edixit — aetate coniunxit se cum concretis hominibus, neque eorum sermone loqui recusavit. Quivis ergo animus desideret Ei fidelis esse, ut huiusmodi temporum convenientia ad homines nostri temporis protrahatur ».[162]

53. Formatio autem intellectualis eius qui sacerdos futurus est, fundamentum naturale ac praecipuum habet in sacra doctrina, id est in theologia. Huiusce vero valor et authentici tas pendet potissimum a scrupulosa reverentia naturae ipsius theologiae, quam compendio ita synodales Patres descripserunt: « Vera theologia ex fide venit et ad fidem ducere intendit ».[163] Atque ea est ac semper fuit ratio quam Ecclesia, et eius nominatim Magisterium, constanter servari voluit. Eandemque secuti sunt ii praegrandes theologi qui Ecclesiae depositum nunquam per saecula ditare omiserunt. Quorum divus Thomas apertissime asserit fidem esse veluti theologiae habitum, id est permanens operandi principium,[164] et theologiam totam ad fidem nutriendam ordinari.[165]

[161] *De Trinitate* XV, 28: *COL* 50/A, 534.

[162] *Allocutio* ad participes XXI Hebdomadae Biblicae Italicae (25 Septembris 1970): *AAS* 62 (1970) 618.

[163] *Propositio* 26..

[164] « Fides, quae est quasi habitus theologiae »: BOETHIUS, *De Trinitate* V, 4, ad 8.

[165] Cf.-S. THOMAS AQUINAS, *In I Sentent.,* Prolog., q. I, a. 1-5.

Est proinde theologus vir credens, id est fide nutritus homo; sed is credens, qui sese etiam de fide interrogat (fides quaerens intellectum), ut eandem scilicet profundius intellegat. Unde uterque aspectus, et fides et eiusdem matura commentatio, penitus inter sese connectuntur; in hac intima utriusque coordinatione et mutua penetratione reponenda est vera theologiae natura, in qua decernitur tum de eiusdem deposito, tum de modis ac de spiritu quibus sacra doctrina elaboratur et inspicitur.

Sicuti fides, in quam theologia exitum simul et adventum habet, personalem credentis rationem aperit cum Christo, in Ecclesia, ita et theologia intrínsecas secum fert notas christologicas et ecclesiales, quas petitor sacerdotii scienter assumat necesse est, non modo ob ea quibus vita ipsius implicatur, sed etiam ob ea quae eius pastorale ministerium attingunt. Si Dei Verbi acceptatio est fides, eo ipso convertitur in credentis radicale responsum Christo Iesu datum, qui Verbum Dei est plenum ac definitivum mundo traditum (cf. *Heb* 1, lss). Consequitur ut reflexio theologica nullibi centrum sui reperire possit nisi in Christo Iesu Dei Sapientia: itemque consequitur ut ipsa maturior commentatio habenda sit velut participatio cogitationis Christi (cf. *1 Cor* 2, 16) eadem ratione ac nascuntur humanae aliae scientiae (scientia fidei). Unoque tempore fides credentem ad Ecclesiam applicat atque eius vitae efficit participem, cum sit Ecclesia « communitas fidei ». Unde sequitur habere theologiam veram dimensionem ecclesialem, quippe quae sit matura circa Ecclesiae fidem meditatio a theologo edita, prout est Ecclesiae membrum.[166]

Hi christologici ac ecclesiales prospectus, qui suapte natura ad theologiam pertinent, vocatos ad sacerdotium iuvant tum ut scientificam Iaborandi rationem sibi familiarem reddant, tum praesertim ut maiorem in dies dilectionem excitent erga Christum et eius Ecclesiam; per quem amorem, dum ipsorum vita spiritualis abunde nutritur, vis quoque et alacritas confertur ipsorum ministerio. Ea in votis erant Concilii Vaticani II, cum, studia ecclesiastica aptius recognoscere volens, sic de varietate disciplinarum philosophicarum et theologicarum edixe-

Cf. CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Instructio de theologi vocatione ecclesiali *Donum veritatis* (24 Maii 1990), 11; 40: *AAS* 82 (1990) 1554-1555; 1568-1569.

rat: «Disciplinae philosophicae ac theologicae aptius componantur et concordi ratione conspirent ad alumnorum mentibus magis magisque aperiendum mysterium Christi, quod totam generis humani historiam afficit, in Ecclesiam iugiter influit et ministerio sacerdotali praecipue operatur ».[167]

Formatio intellectus theologica et vita spiritualis, peculiariter orandi consuetudo, inter se optime conveniunt seseque mutuo adiuvant, cum nec ardori studiorum obstent, nec orationis saporem et gustum atterant. Probe a divo Bonaventura admonemur: « Ne quis forte credat quod sibi sufficiat lectio sine unctione, speculatio sine devotione, investigatio sine admiratione, circumspectio sine exsultatione, industria sine pietate, scientia sine caritate, intellegentia sine humilitate, studium absque divina gratia, speculum absque sapientia divinitus inspirata ».

54. Implexum sane hoc laboriosissimum opus est formationem theologicam ad amussim instruere. Vocatus ad sacerdotium sic ducendus est, ut ampliorem ac unius conspectus visionem nanciscatur de veritatibus a Deo in Christo Iesu revelatis itemque de plena et integra fidei experientia, quam vivit Ecclesia; at hinc exsurgit difficultas: qua ratione dignosci possint christianae veritates « omnes », congruenti praesertim visione, nulla earum ad arbitrium neglecta. Petitor sacerdotii ita erit adiuvandus, ut synthesim conficiat in quam diversarum disciplinarum theologicarum summa quaeque vergat, cum nulla earum certum verumque valorem nanciscatur, nisi profundius singulae ad invicem ordinentur.

In fide diligenter consideranda in duas partes se movet scientia theologica. Prior pertinet ad inquisitionem Verbi Dei; Verbi scilicet in Sacro Libro scripti, quod vivax Ecclesiae Traditio celebrat et Magisterium Ecclesiae cum auctoritate interpretatur. Hinc est studium Sacrae Scripturae, « quae universae theologiae velut anima esse debet »;[169] dein cognitio Patrum Ecclesiae et librorum liturgicorum, historiae Ecclesiae eiusque

Decretum de Institutione sacerdotali *Optatam totius,* 14.

[168] *Itinerarium mentis in Deum,* Prol., n. 4: *Opera omnia,* Tomus V, Ad Claras Aquas 1891, 296,

[169] CONC. OEC. VAT. II, Decretum de Institutione sacerdotali *Optatam totius,* 16.

praeceptorum. Alterum autem est iter hominis, qui cum Deo interloquitur; qui homo ad « credendum » invitatur et ad « vivendum », ad « communicandum » cum aliis fidem vel christianum « ethos »: hinc studia theologiae dogmaticae, theologiae moralis, theologiae spiritualis, iuris canonici atque theologiae pastoralis.

Respectus autem credentis hominis efficit ut scientia theologica praecipue inspiciat sive necessitudines permanentes inter fidem et rationem intercedentes sive necessitates quasdam rerum socialium et culturalium, prout eae hodie volvuntur. Priori rei operam dat « theologia fundamentalis », quam dicunt, cuius obiectum est factum ipsum Revelationis christianae eiusque in Ecclesia transmissio. Ad alteram rem spectant illae disciplinae, quae, ut responsum darent urgentioribus mentis humanae quaestionibus, ampliorem de singulis tractationem excitarunt; eius modi est studium doctrinae socialis Ecclesiae, quod « quodammodo pertinet... ad theologiam, peculiariter ad theologiam moralem»,[170] et habendum est inter « essentialia elementa » sic dictae « novae evangelizationis », nam socialem magisterii virtutem praebent cuiusdam instrumenti ad evangelizandum.[171] Atque idem fac répétas de inquirendi ratione, in missionem, in oecumenismum, in Iudaismum, in Islam, et in ceteras religiones non christianas.

55. Formatio theologica nostrae aetatis cavere debet problematibus quibusdam, quae non raro difficultates, tensionem, confusionem in interiore Ecclesiae vita suscitant. Cogitari potest ratio inter Magisterii placita et dissertationes theologicas quae non semper videtur qualis esse deberet per concordiam et collaborationem utriusque partis.

Re vera « vivum Ecclesiae Magisterium et theologia, licet dona et munera habeant diversa, eosdem ultimatim habent fines; ut scilicet Dei Populum in veritate, quae liberos facit, conservet, et ita velut "nationum lux" fiat. Hoc autem erga ecclesialem communitatem ministerium theologicum, quodammodo cum Magisterio in mutuam relationem committit, et Magisterii est authentice Apostolorum doctrinam impertire et,

[170] Litt. Enc. *Sollicitudo rei socialis* (30 Decembris 1987), 41: *AAS* 80 (1988) 571.

[171] Cf. Litt. Enc. *Centesimus annus* (1 Maii 1991), 54: *AAS* 83 (1991) 859-860.

adhibitis laboris theologici placitis vel opinionibus, obiectiones vel fidei deformitates removere, immo, per auctoritatem a Iesu receptam, nova quaedam e profundo eruere placita, quae tamen conformia cum doctrina revelata sint, quam vel magis explicitam reddat, vel concreta ratione ad novitates applicet. Theologiae vero officium et munus est, ratione quadam reflexa, in profunditatem Verbi Dei perseveranter inquirere, prout id in Scriptura servatur et per Ecclesiae Traditionem, ductu Magisterii, transmittitur; eiusdemque est doctrinam revelatam ita pertractare ut, adversus rationis conamina, forma magis in dies congruens et systematica perseveret ».[172] Quoties vero quavis de causa huiusmodi consociata opera corruit, cavendum est ne ullum genus aequivocationis vel confusionis scateat, cum accurate ab omnibus distinguenda sit « doctrina communis Ecclesiae ab opinionibus theologorum vel a quibusdam tendentiis cito transeuntibus (quas "modas" dicere consuevimus) ».[173] Nullum enim in Ecclesia exstitit « parallelum » Magisterium, quando unum illud prostat, Petri et Apostolorum, Summi Pontificis et Episcoporum.[174]

Alia apparet quaestio, quae quidem magis animadvertitur ubi institutio tironum Seminariorum Universitatibus studiorum concreditur; respicit ad rationes inter theologiae rigorem doctrinalem et horum studiorum destinationem pastoralem; ideoque agitur de pastorali natura ipsius theologiae. Nam binae hae sunt qualitates theologiae eiusque institutionis, quae componi possunt, quamvis aliud sit theologia, aliud autem ratio paedagogica eiusdem tuendae; neque in conflictum vocandae sunt, sed concorditer conspirare debent, diversis licet lineamentis, ad « fidei intellegentiam ». Cum dicimus theologiam esse debere pastoralem, non propterea asserimus ipsam minore doctrinarum onere esse complendam, neque rationem et methodum doctrinalem esse recusandam; id tantum a magi-

[172] CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Instructio de theologi vocatione ecclesiali *Donum veritatis* (24 Maii 1990), 21: l. mem., 1559.

[173] *Propositio* 26.

[174] Ita ex.gr. scribebat Sanctus Thomas Aquinas: « Unde magis standum est auctoritati Ecclesiae quam auctoritati vel Augustini vel Hieronymi vel cuiuscumque Doctoris »: *Summa Theol.*, II-II[ae], q. 10, a. 12; et etiam: «Contra cuius [Petri] auctorem nec Hieronymus nec Augustinus nec aliquis sacrorum Doctorum suam sententiam defendit »: *Ibid.*, II-II[ae], q 11, a. 2 ad 3.

stris postulatur, ut futuri sacerdotes aptiores formentur ad evangelicum praeconium nuntiandum pro culturalibus cuiusque temporis ac loci condicionibus, ita ut ipsa actio apostolica collineata melius appareat cum congruenti visione theologica. Hinc igitur studia ad severiores scientiae normas cuiusque disciplinae theologicae ita aptabuntur, ut animarum pastori suppeditent plenam ac profundam formationem, magistro fidei necessariam; hinc vero aequa sentiendi vis erga metam eorum studiorum providebit, ut, qui presbyteri sunt futuri, formatrice ratione amplectantur studia quae doctrinali sint methodo perficienda.

Alia praeterea quaestio ponitur in necessitate, hodie fortiter a multis percepta, de « evangelizandis culturis » vel, aliis verbis, de « inculturatione praeconii fidei ». Quaestio est praesertim ordinis pastoralis, quae magis in dies animadvertenda est in formandis petitoribus sacerdotii: « In hodiernis adiunctis, in quibus, variis in regionibus mundi, religio christiana quid alienum culturis sive antiquis sive modernis consideratur, magni est momenti ut in tota formatione intellectuali et humana, inculturationis dimensio tanquam necessaria et essentialis habeatur ».[175] Id vero primum requirit certam veramque theologiam, quae scilicet sanis perfundatur Ecclesiae principiis de inculturatione. Quae principia, cum mysterio incarnationis Verbi Dei nec non christianae anthropologiae coniungantur, illuminare quoque valent veram inculturationis notionem; haec enim adversus diversitatem, vel etiam aliquando oppositionem culturarum in variis mundi plagis vigentium, vertenda ultimatim est in obtemperationem mandato Christi Domini seu de Evangelio omnibus gentibus nuntiando, usque ad ultimos terrarum fines. Huiusmodi autem obedientia nec ad syncretismum ducit, nec consistere potest in quavis aptatione nuntii evangelici, sed eo ducat necesse est, ut Evangelium, vitali quadam ratione in eas culturas penetrando, in ipsis velut « incarnatum » inhaereat, elementa culturalia abiciendo quae cum fide vel cum vita christiana cohaerere haud possint, et contra, eatenus valores assumendo ac elevando, ut ad Salutis Mysterium quod a Christo provenit accedant.[176] Haec autem incultura-

[175] *Propositio* 32.

[176] Cf. Litt. Enc. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990), 67: l. m., 315-316.

tionis quaestio maius pondus sibi habere potest quoties vocati ipsi ad sacerdotium ab autochthonibus culturis illis forte proveniant; quibus proinde reperiendae erunt novae quaedam formationis viae, per quas duplex vitetur obstaculum: ne scilicet iis minores necessitates exhibeantur neque ita valores humani, christiani, sacerdotales quodammodo minoris pretii fiant; aliunde ne certi valores, quos propria cultura ac traditio continet, indebite per incuriam neglegantur.[177]

56. Ex quo exsecutioni mandari coepta sunt Concilii Vaticani II doctrina et placita, iisque addita deinceps sunt indicationes quaedam applicationis in *Ratione fundamentali institutionis sacerdotalis* collectae, animadvertere fas est in Ecclesia latiorem renovationem in tradendis in Seminariis disciplinis philosophicis et theologicis. Quae renovatio, etsi quaedam remanent aut emendanda aut rectius evolvenda, non parum contulisse visa est ad meliora reddenda illa quae in ambitu formationis intellectualis obtenta fuerint. Atque de his « Patres synodales saepe et claris verbis denuo affirmaverunt necessitatem immo urgentiam in praxim deducendi in seminariis et domibus formationis rationem fundamentalem studiorum sive universalem sive cuiusque nationis seu Conferentiae episcopalis ».[178] Omnino necesse est ut firmiter ea contineatur tendentia ad rigorem laxandum nonnullarum normarum de studiis, quae in aliquibus ecclesialibus institutis manifestatur, tanquam consectarium carentis cuiusdam praeparationis praecipuae, vel tanquam vitia quae magis in dies comperiuntur in iis qui curriculum philosophicum et theologicum aggredi coeperint. Atque eadem hodierna implexior rerum condicio suadere videtur ut soli ii magistri designentur, qui huic temporum implicationi pares habeantur, et qui peritia, perspicuitate atque arguendi profunditate eas obire valeant interrogationes quas secum hodiernus homo trahit, pro quibus haud dubium est nonnisi in Christi Iesu Evangelio responsionem plenam atque decretoriam inveniri.

57. Diuturna iuvenum, qui ad sacerdotium vocantur, formatio eo tendit ut illi, qua possunt ratione, Christi boni Pa-

[177] Cf. *Propositio* 32

[178] *Propositio* 27.

storis caritatem participare addiscant. Huiusmodi ergo formatio, magis quam alii omnes aspectus, hunc praecipuum habeat necesse est, characterem quem dicimus pastoralem. Id perspicue declaratum est per Concilii decretum *Optatam totius,* quod de Seminariis maioribus sic edixit: « In eis integra alumnorum institutio eo tendere debet ut ad exemplar Domini Iesu Christi, Magistri, Sacerdotis et Pastoris, veri animarum pastores ipsi formentur; praeparentur ergo ad ministerium Verbi: ut verbum Dei revelatum semper melius intellegant, id meditantes possideant, lingua et moribus exprimant; ad ministerium cultus et sanctificationis: ut, orantes et sacras liturgiae celebrationes peragentes, opus salutis per Sacrificium Eucharisticum et Sacramenta exerceant; ad ministerium pastoris: ut sciant repraesentare hominibus Christum, qui non venit ut sibi ministraretur, sed ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis *(Me* 10, 45; cf. *Io* 13, 12-17), et ut, omnium facti servi, plures lucrifaciant (cf. *1 Cor* 9, 19) ».[179]

Idemque Concilii decretum insistit in commendanda coniunctione quae vigeat oportet inter varios formationis aspectus: humanum, spiritualem, intellectualem; iis haud exceptis, quae ad propositum pastorale proprie pertinent. Ita finis pastoralis humanam et spiritalem formationem quibusdam instruit propriisque notis, quemadmodum unam facit et definitam institutionem eorum qui futuri sunt sacerdotes.

Formatio igitur pastoralis, sicut quaevis alia formatio enodatur per deliberationem plenam et activam applicationem, penitusque in spiritu insidet, qui omnium cardo et vis est, in progressionem impellens.

Requiritur igitur studium verae certaeque disciplinae theologicae, seu *Theologiae pastoralis vel practicae,* quae docta esse debet consideratio Ecclesiae, prout cotidie per Spiritus vim intra historiam aedificatur; Ecclesiae itaque prout est « universale salutis sacramentum »,[180] prout est signum et vivum instrumentum salutis in Christo Iesu, in Verbo, in Sacramento, in Caritatis ministerio. Non enim pastoralis navitas quaedam est ars vel congeries exhort ationum, experientiarum, methodo-

Decretum de Institutione sacerdotali *Optatam totius,* 4.

CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 48.

rum; suam habet theologicam dignitatem, quia a fide recipit principia atque agendi criteria, in actione pastorali Ecclesiae, decurrente saeculorum historia: illius videlicet Ecclesiae quae seipsam cotidie gignit, iuxta felicem elocutionem sancti Bedae Venerabilis: « Ecclesia gignit quotidie Ecclesiam ».[181] Atque inter huiusmodi principia et criteria, praesertim illud responsum est, summi quidem momenti, quod evangelicum exercet discrimen rerum condicionis socialis et culturalis et ecclesialis, intra quam navitas pastoralis evolvitur. Studium autem theologiae pastoralis illuminare debet applicationem operativam, studiose adhibitis nonnullis ministeriis pastoralibus, quae vocati ad sacerdotium praestare debent per necessarios gradus, congruenter cum aliis muneribus formationis: loquimur de « experimentis » pastoralibus, quae confluere possunt in verum ac certum « tirocinium pastorale » per certum tempus extendendum et methodi ce accuratae aestimationi submittendum.

Studium vero et pastoralis navitas remittunt ad interiorem fontem, quem ars educandi custodiendum et laudandum curabit: qui fons est communio in dies profundior cum caritate pastorali ipsius Iesu, quae, sicut principium exstitit ac vis totius operis eius salvifici, ita virtute Spiritus Sancti, qui in sacramento Ordinis effunditur, oportet constituat principium et vim ministerii presbyteralis. Haec est formatio, cuius non solum est suppeditare doctam artem pastoralem agendique peritiam, sed etiam, et quidem in primis confirmare et incrementis augere rationem illam qua vivit, coniunctim cum iisdem optionibus et placitis, quae Christus, bonus Pastor, amplexus est: «Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Iesu» (*Phil* 2, 5).

58. Si ita formatio pastoralis intellegitur, nequit profecto redigi ad tirocinii cuiusdam modum, quasi presbytero sufficiat familiarem sibi fecisse aliquam praxim pastoralem. Quod pro Seminario hic de educatione proponitur, veram suscipit initiationem ad pastoris sentiendi rationem, ita ut conscie et mature sua tueatur officia, discat etiam problemata perpendere, priora recte aestimare, idonea instrumenta et vias seligere;

Explanatio Apocalypsis, lib. II, 12: *PL* 93, 166.

eaque omnia, perspectis fidei argumentis et theologicis necessitatibus ordinis etiam pastoralis.

Sacerdotii candidati ipsi inseri poterunt in vivam traditionem pastoralem suae ipsorum Ecclesiae particularis per primum ministerii usum, quem gradatim sibi comparaverint, iique discent latiore ubique mente problemata metiri, ita ut prae oculis dimensionem missionariam totius vitae ecclesialis indesinenter habeant, seque exerceant in primis nonnullis formis consociatae operae inter se et etiam in adiuvandis sacerdotibus, quibus initio saltem destinati fuerint, quorum quidem est, coniunctim cum propositis Seminarii, gravem docere artem pastoralem.

In seligendis locis et ministeriis aptis ad opus pastorale exercendum, cura peculiaris agenda erit de paroecia,[182] quae prima veluti cellula vitalis est experimentorum quae « sectorialia » et specialia appellare solemus, in qua presbyteri primo occurrent peculiaribus futuri ministerii problematibus. Quorum synodales Patres concreta exempla praebuerunt, ut, v.g., aegrotorum imprimis visitationes, migrantium et exsulum necnon nomadum curam: caritatis studium, quod transfertur in multiplex opus sociale. Singillatim ii scripserunt: « Necesse est enim Presbyterum testem fieri caritatis ipsius Christi, qui per-. transiit benefaciendo *(Act* 10, 38); presbyter etiam fieri debet., signum visibile sollicitudinis Ecclesiae, quae Mater et Magistra est. Homo hodie tantis aerumnis affectus, praesertim is qui in sic dicto Tertio Mundo invenitur, paupertate inhumana, violentia caeca et iniusto mancipio obrutus est: oportet ideo quod vir Dei, ad omne opus bonum instructus (cf. *2 Tim 3,* 17), iura et dignitatem vindicet; caveat autem ne falsis ideologiis adhaereat, nec dum promovere intendit gloriam, obliviscatur mundum redemptum esse sola Christi cruce ».[183]

Harum et aliarum navitatum pastoralium cumulus gradatim efficit, ut qui futurus erit sacerdos vivat suam, « famulatus » instar, missionem « auctoritatis » in communitate, recedens ab omni iactantia, vel ab usu etiam potestatis, quippe qui nonnisi caritate pastorali iugiter probetur.

[182] Cf. *Propositio* 28.

[183] *Ibid,*

Ut congruens habeatur formatio, pernecesse est memoratorum sacerdotii petitorum variae experientiae sint omnino « ministeriales », intime scilicet cohaereant cum reliquis necessitatibus, quae institutionis presbyteralis sunt propriae, quaeque, nullo detrimento studiis illato, respiciunt ad ministerium nuntiandi Verbi et observandi cultus necnon munus praesidendi. Quae omnia contineri possunt concretis ministeriis Lectoris, Acolythi et Diaconi propriis.

59. Quandoquidem pastoralis navitas suapte natura eo destinatur ut foveat Ecclesiam, quae essentialiter « mysterium » est, necnon « communio », et « missio », omnes hae Ecclesiae dimensiones erunt in exercendo ministerio agnoscendae et in vitam vertendae.

Hoc autem potissimum conscientia pro certo habet Ecclesiam esse « mysterium », opus scilicet divinum, Spiritus Christi fructum, efficax gratiae signum, Trinitatem in christiana communitate praesentem: quae conscientia, haudquaquam remissura officii sensum, qui proprius pastoris est, ei potius persuadent incrementa Ecclesiae gratis a Spiritu dari propriumque pastoris ministerium — quod ex Dei gratia est libero atque responsali homini concreditum — idem illud esse evangelicum « servi inutilis » famulatum (cf. *Lc* 17, 10).

Deinde conscium sibi esse Ecclesiae communionis candidatum aptum reddet ad navitatem communitatis exercendam, opera concorditer consociata cum aliis Ecclesiae operariis: episcopum cum presbyteris, sacerdotes dioecesanos cum religiosis, presbyteros cum laicis. At huiusmodi consociatio operae postulat notitiam et aestimationem diversorum donorum et charismatum, variarum vocationum et plurium officiorum, quae Spiritus offert et tradit Christi Corporis membris; exigit praeterea ut vivum atque perfectum habeat sensum suae identitatis atque aliorum in Ecclesia; indiget tandem mutua fiducia, patientia, comitate et habilitate ad intellegendum et exspectandum quid magis aliis placuerit. Eademque residet in Ecclesiae amore, qui vehementior sit quibuslibet aliis dilectionibus, sui ipsius imprimis vel sui coetus suaeque consociationis. Peculiaris denique momenti est praeparatio futurorum sacerdotum ad operam cum laicis consociandam, ita ut, iuxta Concilii

monitum, «libenter audiant laicos, eorum desideria fraterne considerantes, eorumque experientiam et competentiam in diversis campis humanae actionis agnoscentes, ut simuL cum ipsis signa temporum recognoscere queant ».[184] Etiam recentior Synodi Ordinarii Coetus sollicitudinem erga laicorum pastoralem navitatem sic exhibuit: « Alumnus capax efficiatur oportet ut christifidelibus laicis, praesertim iuvenibus, diversas vocationes (ad matrimonium, ad servitia aliis praestanda, ad apostolatum, ad ministeria et responsalitates in actione pastorali assumenda, ad vitam consecratam, ad rem politicam et socialem ducendam, ad investigandas scientias, ad docendum) sciat proponere, et ad ineundas allicere. Praesertim oportet illum valere laicos eorum vocationem ad mundum luce Evangelii perfundendum et transformandum docere, munus eorum agnoscentem eisque reservantem ».[185]

Tandem conscientia Ecclesiae, prout communio « missionaria » est, vocatum ad sacerdotium eo ducet, ut amare ac vivere velit necessariam dimensionem missionalem Ecclesiae et certarum eiusdem navitatum pastoralium; ut sese scilicet apertum atque promptum exhibeat innumeris illis opportunitatibus quae Evangelio nuntiando ubique panduntur, non neglectis neve oblivioni datis iis occasionibus quae reperiri facillime poterunt in communicationis socialis instrumentis;[186] ut tandem promptus atque interne paratus perseveret ad ea quae per Spiritum requirantur, et forte per episcopum, ut ad Evangelium ultra suae nationis terminos praedicandum mittatur.[187]

II. De sacerdotalis formationis locis

60. Seminarii maioris necessitas — et similis religiosae Domus — sacerdotii candidatos formandos, quam sua ipsius auctoritate Concilium Vaticanum II affirmandam censuit,[188] rursus his verbis a Synodo est confirmata: « Institutio Seminarii ma-

[184] Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 9; cf. IOANNES PAULUS PP. II, Adh. Ap. postsynodalis *Christifideles laici* (30 Decembris 1988), 61: l. mem., 512-514.

[185] *Propositio* 28.

[186] Cf *ibid.*

[187] Cf. Litt. Enc. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990), 67-68: l. mem., 315-316.

[188] Cf. Decretum de Institutione sacerdotali *Optatam totius,* 4.

ioris, sicut optimus formationis locus, certe iterum affirmanda est tamquam normale spatium, etiam materiale, vitae communitariae et hierarchicae, domus quidem propria pro formatione candidatorum sacerdotii, cum moderatoribus vere muneri dicatis. Haec institutio plurimos fructus in decursu saeculorum attulit et affert toto orbe ».[189]

Seminarium quidem ut certum tempus certumque spatium apparet; sed praesertim se exhibet tamquam institutoriam communitatem progredientem: est enim communitas ab episcopo instituta, ut omnibus illis, qui sint a Domino vocati sicut Apostoli ad serviendum, facultatem conferre valeat illam repetendi institutoriam experientiam, quam Dominus Apostolis reservavit. Intima cum Iesu longa vitae consuetudo ex ipsis Evangeliis profertur tamquam praevia condicio ad apostolicum ministerium exercendum. Haec enim consuetudo a Duodecim exposcit, ut speciali cura clare et manifeste sese prorsus abducere velint sive ab originis locis sive a consueto labore, immo et a carissimis affectibus, quod quadam ratione omnibus discipulis proponitur (cf. *Mc* 1, 16-20; 10, 28; *Lc* 9, 23. 57-62; 14, 25-27). De Marci quidem traditione, quae in luce ponit illud cordis vinculum, quo Apostoli cum Christo coniunguntur et inter se, iam saepius locuti sumus: priusquam enim Dominus mitteret eos ad praedicandum et ad infirmitates sanandas, « vocavit eos ad se » (*Mc* 3, 14).

Natura igitur Seminarii est quasi quaedam in Ecclesia prosecutio apostolicae communitatis circa ipsum Iesum instantis, eius verbum audientis, paschalem versus experientiam progredientis, Spiritus donum pro missione exspectantis. Talis natura tanquam perfectum exemplar exstat praescriptivum quod urget Seminarium inter diversas formas innumerasque vicissitudines quas, in quantum institutio est humana, historiae memorandas tradit ut se ipsum perficiat, erga illos evangélicos valores fidele, quibus adhaeret, et aptum ad respondendum temporum necessitatibus et condicionibus.

Seminarium per se ipsum singularem ipsius Ecclesiae vitae experientiam exprimit: in eo enim episcopus per rectoris ministerium praesens fit perque aliorum educatorum commune

[189] *Propositio* 20.

atque responsale servitium, ab ipso episcopo assidue animandum, ut discipuli ad congruam pastoralis atque apostolicae formationis maturitatem iugiter perveniant. Singula denique communitatis membra, in Seminario a Spiritu in fraterna unitate congregata, cooperantur unumquodque secundum suum ipsius donum, ut omnia in fide et caritate crescant seque ad sacerdotium suscipiendum digne et apte parent, et hinc ad producendam in Ecclesia et in historiae decursu salvificam Christi, boni Pastoris, praesentiam.

Pro sua humana specie Seminarium maius eo tendere debet ut fiat « communitas vinculata profunda amicitia et caritate ita ut considerari possit vera familia quae cum gaudio vitam ducit ».[190] Deinde sub christiano aspectu Seminarium sese conformare debet, ut docent synodales Patres, ad similitudinem « communitatis Ecclesialis »; fieri videlicet debet tanquam « communitas discipulorum Domini in qua eadem Liturgia celebratur — spiritus orationis in vitam ducitur —, formata quotidie in lectione et meditatione Dei verbi et Eucharistico Sacramento et in exercitio caritatis fraternae et iustitiae, in qua nempe in progressu vitae communitariae atque in praxi uniuscuiusque suorum membrorum, Spiritus Christi et amor erga Ecclesiam elucet ».[191] Ad ecclesialem denique vitam, Seminarii funditus propriam, confirmandam atque valide ad praxim deducendam, hoc synodales Patres docent: « Ut communitas ecclesialis, sive dioecesana sive interdioecesana, sive etiam religiosa, foveat sensum communionis candidatorum cum eorum Episcopo et Presbyterio, ita ut partem habeant in eorum spe et angoribus et sciant hanc aperturam ad necessitates Ecclesiae universae extendere ».[192] Ad formationem ergo assequendam candidatorum sacerdotii ministeriique pastoralis, quod est suapte natura ecclesiale, necesse omnino est, ut Seminarium non extrinseco modo nec levi sentiatur quasi habitationis studiorumque locus tantummodo, sed interiore et alto, tanquam communitas proprie ecclesialis, communitas scilicet quae experientiam renovat coetus Duodecim coniunctorum cum I e s u.[193]

[190] *ibid.*

[191] *ibid.*

[192] *ibid.*

[193] Cf. *Allocutio* ad alumnos et quondam alumnos Almi Collegii cui nomen Capranica (21 Ianuarii 1983): *Insegnamenti*, VI, 1 (1983) 173-178.

61. Seminarium est, igitur, quaedam institutoria communitas ecclesialis, immo peculiaris communitas educans. Ipse enim peculiaris finis naturalem eius figuram statuit: munus scilicet futurorum sacerdotum vocationes naviter sequendi, et inde aequum de singulis vocationibus iudicium ferendi, simulque necessarium praestandi auxilium, ut vocationi respondere valeant, necnon debitam praeparationem suppeditandi, ut ad sacramentum Ordinis suscipiendum accedere possint gratiarum propriis donis ditati suorumque officiorum conscii, quibus sacerdos Iesu Ecclesiae Capiti atque Pastori configuratur et informatur atque astringitur ad salvificam eius missionem in Ecclesia et in mundo communicandam.

Integra Seminarii vita, qua communitas educans, in suis diversis ac plurimis formis, ad humanam, spiritualem, intellectualem et pastoralem futurorum presbyterorum formationem contendit: quae formatio, quamvis permulta habeat communia cum humana et christiana formatione omnium propria Ecclesiae membrorum, habet tamen res, formas, proprietates quae ex ipso persequendo fine originem ducunt, id est ex sacerdotali institutione.

Argumenta autem et formae muneris institutorii postulant ut Seminarium suam habeat rationem ordinatam, quoddam videlicet vivendi programma, quod authenticam sui naturam vere exprimere valeat, sive pro organica unitate, sive pro syntonia seu cohaerentia cum solo fine, qui ipsam probat Seminarii existentiam, futuros scilicet instituendi presbyteros.

Hac enim significatione synodales Patres scribunt: « Ut communitas educativa servire debet programmati clare definito quod, tanquam notam peculiarem, unitatem habeat directionis manifestatam in rectoris et cooperatorum figura, in cohaerentia ordinationis vitae et activitatis formativae et exigentiarum fundamentalium vitae communitariae quae etiam complectatur aspectus fundamentales officii formativi. Quod programma servire debet, sine haesitatione neque indeterminatione, finalitati specificae quae sola iustificat eius exsistentiam: formationi nempe futurorum presbyterorum, Ecclesiae pastorum ».[194]

[194] *Propositio* 20.

Exinde, ut ratio vere idonea sit atque efficax, oportet generalia lineamenta proposita traducantur ad singulas normas, quae ad communem vitam ordinandam magis spectent, quaedam instrumenta praescribendo certusque temporis rhythnios definiendo.

Sed et alius aspectus hic est notandus: opus educandi, suapte natura, quaedam est personarum historicarum prosecutio, quae ad optionem procedunt illius vitae formae, cui adhaerere cupiunt. Hac quidem de causa necesse est, ut educandi opus convenienter conciliet clarum propositum ad finem perveniendi, exhortationem studiose ad eundem finem procedendi simul ac attentam curam in « viatorem », seu in verum subiectum huic incepto intentum, id est in vicissitudinum et problematum ac difficultatum seriem, ideoque condicionum, problematum, difficultatum, rhythmorum itineris et auctus. Hoc sane sapientem exigit agilitatem ingenii animique lenitatene quae ne minimum quidem de moralibus bonis deque ullius conscientiae ac libertatis obligationibus quandam ostendunt compromissi significationem, sed verum amorem et obsequium erga iter facientem ad sacerdotium ipsius spectatis condicionibus propriis. Sed hoc non ad singulam tantum personam, sed etiam sive ad sociales et culturales diversos contextus, inter quos Seminaria vitam agunt, et diversam eorum historiam respicit. Hoc autem sensu institutorium opus continuam renovandi actionem exigit; quod synodales quoque Patres lucide animadverterunt, praesertim pro Seminarii conformatione: « Probata validitate formarum classicarum Seminarii, Synodus desiderat ut labor consultationis Conferentiarum episcopalium de necessitatibus hodiernis formationis prosequatur sicut statutum est in Decreto *Optatam totius* (n. 1) et in Synodo anni 1967. Recognoscantur opportune Rationes pro singulis nationibus vel ritibus tum occasione petitionum a Conferentiis episcopalibus factarum, tum in visitationibus apostolicis in Seminaria diversarum nationum, ad integrandas in illas diversas formas formationis probatas quae respondere debent necessitatibus populorum culturae sic dictae indigenae, vocationum virorum adultorum, vocationum ad missiones, etc. ».[195]

62. Finis educandi et peculiaris configuratio Seminarii maioris postulat ut vocati ad sacerdotium eo accedant praevia quadam adhibita praeparatione. Huiusmodi autem praeparatio graviora problemata minime ponebat, usque saltem aliquod abhinc decennium, illis scilicet anteactis temporibus cum candidati sacerdotii ex minoribus Seminariis plerumque proveniebant et ipsa christiana ecclesialium communitatum vita sat congrua christianae doctrinae atque institutionis adiumenta omnibus communiter facileque praebebat.

Rerum condiciones multorum locorum commutatae sunt; magna enim datur discrepantia inter, ex una parte, vivendi rationem et primigeniam puerorum, adolescentium, iuvenum praeparationem — quamvis christiani sint iidemque ipsius interdum Ecclesialis vitae sincere et plene participantes fiant — ex altera autem parte peculiare Seminarii genus vivendi eiusdemque formandi necessitates. In hoc rerum contextu in communione cum synodalibus Patribus expostulandum Nobis videtur, ut certum temporis spatium ad peridoneam efficiendam praeparationem statuatur, quae Seminarii formationem praecedat: « Utile videtur haberi periodus praeparationis humanae, christianae, intellectualis et spiritualis pro candidatis Seminarii maioris. Hi vero candidati aptas peculiaritates habere debent: rectam nempe intentionem, gradum sufficientem maturitatis humanae, cognitionem sat amplam doctrinae fidei, quandam introductionem in orationis methodos atque mores traditioni christianae conformes. Habitudines etiam habeant proprias suarum regionum, per quas exprimitur conatus inveniendi Deum et fidem » (cf. *Evangelii nuntiandi,* 48).[196]

« Sat ampla cognitio doctrinae fidei de qua synodales Patres loquuntur, ante theologiam postulatur: evolvi, enim, nequit intellegentia fidei, si quod in ipsa fide continetur prorsus ignoratur. Huiusmodi autem lacunam proxima Catechismi universalis editio facilius explere poterit.

Dum, igitur, commune fit iudicium de huius praeparationis necessitate priusquam Seminarii maioris initium fiat, diversa quaedam exoritur aestimatio sive de eius intima praestantia sive de eius peculiaribus notis de praevalenti scilicet fine asse-

[196] *Propositio* 19

quendo, utrum formationis spiritualis, pro radicitus discernenda vocatione, an formationis intellectualis et culturalis. Ceterum multae et profundae diversitates, non solum pro singulis candidatis, sed etiam pro variis regionibus et civitatibus exstant, quae non sunt omnino praetereundae. Hoc sane hortatur, ut et meditandi et probandi temporis adhuc spatium habeatur, quo haec praevia praeparatio — seu, ut vocant, periodus propedeutica — aptius ac expressius definiri possit pro suorum elementorum varietate: tempus, locus et forma sunt specialia themata huius periodi, quae, tamen, cum subsequentibus formationis annis in Seminario componenda est. Hoc igitur sensu compositam a synodalibus Patribus postulationem sumimus et denuo Congregationi de Institutione Catholica proponimus: « Synodus exoptat ut Congregatio de Institutione Catholica omnes informationes colligere possit circa incepta transacta et praesentia. Tempore opportuno, ipsa Congregatio Conferentiis episcopalibus informationes hac in materia communicet ».[197]

63. Large probata experientia docet sacerdotalem vocationem primum suum habere sese saepius revelandi momentum ipsa iam pueritia volvente vel iuventute ineunte: immo vel in quibusdam eorum, qui maturiore aetate in Seminarium ingredi decernunt, rarum non est, ut agnoscatur Dei vocationem valde anterioribus periodis iam praesentem fuisse. Ipsa Ecclesiae historia velut perenne vocationum testimonium exstat, quas iam tenerae aetati Dominus effuse concedere voluit. Sanctus Thomas, exempli gratia, Iesu dilectionem in Ioannem apostolum explanat dicens: « Ob tenellam aetatem »; et hanc conclusionem inducit: « Hoc nos certiores facit de ratione qua Deus peculiari modo diligat eos qui ab ineunte aetate eius famulati se dedant ».[198]

De his igitur vocationis germinibus in puerorum cordibus seminatis Ecclesia sollertem curam adhibet per Seminariorum minorum institutionem, et initialem discretionem et observantiam.

Ibid,

In Iohannem Evangelistam Expositio, c. 21, lect. V, 2.

Haec autem Seminaria in multis orbis terrarum locis pretiosam educandi operam exsequi pergunt, spectantem ad sacerdotalis vocationis germina custodienda eademque fovenda, quo discipuli postea facilius eam agnoscere valeant fiantque aptiores ad eam sequendam. Illorum enim institutorium propositum contendit ad hoc, ut in tempore ac per gradus illi humanae, culturali et spirituali formationi favere possit, quae iuvenem ad vocationis ineundum iter inducat in Seminario maiore, iustis atque solidioribus fundamentis actis.

« Ad Christum Redemptorem generoso animo et puro corde sequendum »: hoc est Seminarii minoris propositum, quod in Concilii decreto *Optatam totius* legimus, ubi sic educandi aspectus describitur: disciputi « sub paterno superiorum moderamine, parentibus opportune cooperantibus, vitam ducant quae adolescentium aetati, spiritui et evolutioni conveniat et sanae psychologiae normis plene aptetur, congrua rerum humanarum experientia et consuetudine cum propria familia non praetermissis ».[199]

Seminaria minora etiam sedes fieri possunt ad servitium dioeceseos per opportunas formas receptionis et praebitionis occasionum monitoriarum pro iis pueris, qui de vocatione inquirunt vel qui, iam ad eam sequendam parati, ingressum in Seminarium differre obstringuntur ob familiaria vel scholarum adiuncta.

64. Si forte in Seminario minore — quod « multis in regionibus necessarium videtur atque admodum utile » — propositum hoc ad effectum nequeat adduci, providere oportet ut alia apparentur « instituta »,[200] sicut, verbi gratia, esse possunt « vocationum fovendarum sodalitates sive pro adolescentibus sive pro iuvenibus ». Huiusmodi vero sodalitates, quamvis permanentes esse nequeant, validum, tamen, iri ipso communitatis contextu ordinatum ductum offerre valebunt ad vocationem agnoscendam et maturandam. Licet in familia vitam degant simulque christianam communitatem frequentent, quae iis vocationis viam persequentibus opportuna adiumenta suppeditare potest, tamen adolescentes isti ac iuvenes soli non sunt

[199] Decretum de Institutione sacerdotali *Optatam totius*, 3.

[200] Cf. *Propositio* 17.

relinquendi. Proinde his omnino necesse est, ut specialis habeatur sodalitas vel communitas, quam adire possint cuique adniti, ut illud specificum vocationis itinerarium, quod Spiritus Sancti donum in iis incepit, explere valeant.

Quod in Ecclesiae historia inde ab antiquis temporibus semper evenit, hoc, et notis quibusdam confortantis novitatis adiunctis et frequentius quoque hac nostra aetate evenire pergit: insigne scilicet illarum sacerdotalium vocationum donum, quae, adulta iam aetate, post plus minusve productam laicalis vitae vel professionalis officii experientiam, ad maturitatem perveniunt. Attamen nec semper possibile nec semper conveniens est adultos exhortari, ut illud educationis itinerarium sequantur, quod in Seminario maiore habetur. Providendum, igitur, potius est ut, de harum vocationum sinceritate attento animo examine exacto, specifica quaedam easdem vocationes sequendi forma instituatur, qua, aliquibus aptationibus peropportune allatis, necessaria sive spiritualis sive intellectualis formatio iis praestari possit.[201] Mutuae denique relationes cum aliis sacerdotii candidatis, necnon periodicae praesentiae in Seminarii maioris communitate, de plena harum vocationum insertione in unicum presbyterium deque earum cum ipso intima atque fraterna communione spondere valebunt.

III. De praecipuis sacerdotalis formationis auctoribus

65. Cum opus formandi sacerdotii candidatos ad Ecclesiae pastoralem vocationum actionem pertineat, sane dicendum est Ecclesiam, qua talem, communitarium esse subiectum, quod gratiam et auctoritatem habet illos omnes sequendi, quos Dominus ipse vocat, ut sui ministri in sacerdotio fiant.

Hoc igitur sensu ipsa Ecclesiae mysterii meditatio auxilium praebet ad varia status munerumque genera aptius definienda, quae eius diversa membra, sive singulatim sive ut corporis membra, habere debent in candidatorum presbyteratus formatione ducenda.

[201] Cf. S. CONGREGATIO PRO INSTITUTIONE CATHOLICA, *Ratio fundamentalis institutionis sacerdotalis* (6 Ianuarii 1970), 19: l. mem., 342.

Nam Ecclesia, suapte natura, « memoria » est et « sacramentum » ipsius Christi praesentiae eiusque actionis inter nos et ad nos; atque salvificae eiusdem praesentiae vocatio ad sacerdotium debetur: immo non solum vocatio debetur, sed ipsa quoque sequendi ratio, ita ut qui vocatur et Domini gratiam agnoscere et libertate atque amore ei respondere valeat. Ipse deinde Iesu Spiritus lucem fert virtutemque donat in vocatione decernenda inque huius itinerario sequendo. Conferri, igitur, nequit authenticum formandi opus ad sacerdotium, nisi Christi Spiritus influxu. Cuius rei plene conscius esse debet quisque hominum formator. Quis enim in hac re agnoscere nequeat tantum consistere « auxilium », penitus gratis datum atque summopere efficax, quod potissimum « pondus » habet in munere ad sacerdotium formationis explendo? Immo, quis non gaudeat coram cuiusque hominum formatons dignitate, qua visibiliter quodam modo configuratur ipsius Christi vicarius pro candidato sacerdotii? Si opus, igitur, formandi ad sacerdotium essentialiter est futuri « pastoris » praeparatio secundum Iesu Christi, Pastoris boni, imaginem, quis aptius quam ipse Iesus, per sui Spiritus effusionem, conferre potest eandem illam pastoralem caritatem, ex qua ipse usque ad plenum sui donum vixit (cf. *Io* 15, 13; 10, 11) et ex qua vult ut omnes quoque presbyteri similiter vivant?

Episcopus est primus, qui in sacerdotali agenda formatione Christum repraesentat. De Episcopo, de quolibet episcopo, verba dici possunt, quae apud Marcum leguntur, quaeque saepe iam rettulimus: « Vocavit ad se quos voluit; et venerunt ad eum. Et fecit ut essent Duodecim cum illo; et ut mitteret... » (*Me* 3, 13-14). Proinde interior Spiritus vocatio necesse est agnoscatur ut authentica episcopi vocatio. Si omnes adire episcopum possunt, quia Pastor est omniumque Pater, omnes quoque praesertim eius presbyteri, ex hoc quod una cum eo unum idemque sacerdotium et ministerium participant, eum adire possunt: Episcopus — hortatur Concilium — « ut fratres et amicos » suos habeat presbyteros.[202] Quod eadem ratione de omnibus est dicendum, qui ad sacerdotium ineundum sese parant. Quod vero ad illud attinet « esse cum eo », cum episcopo,

Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 7.

mire et egregie significatur episcopi auctoritatis momentum eiusque proprium illud officium respondendi de candidatorum sacerdotii formatione, saepius scilicet eos visitando et aliquo modo « cum iis manendo ».

Episcopi praesentiae peculiaris consideratio tribuenda est non solum quia Seminarii communitati auxilium praebet, ut suam in Ecclesia particulari insertionem vivat suamque communionem cum Pastore, qui eam ducit, sed etiam quia finem ipsum pastoralem confirmât et vivificat qui primarium locum habet in integra ducenda candidatorum sacerdotii formatione. Praesertim, denique, sua praesentia suaque cum candidatis sacerdotii participatione eorum omnium operationum, quae ad pastorale Ecclesiae particularis itinerarium spectant, episcopus maximum confert auxilium ad « sensum Ecclesiae » maturandum, qui ut vere eximius spiritualis et pastoralis valor, velut quoddam centrum, constituit in ministerio sacerdotali exercendo.

66. Seminarii institutoria communitas plurium formatorum evolvitur opera: directoris seu patris spiritualis, superiorum et professorum. Hi omnes se sentiant oportet funditus cum episcopo coniunctos, quem diversa ratione variisque modis repraesentant, simulque inter se sinceram ac benignam communionem foveant atque fraternam cooperationem: hic enim inter educatores unitatis spiritus non solum omnia educationis proposita ad iustum effectum facilius adducere potest, sed etiam, ac praesertim, candidatis sacerdotii prorsus significans exemplum praebet verumque initium ad illam participandam ecclesialem communionem, quae certum ac potissimum vitae christianae et pastoralis ministerii fundamentum constituit.

Manifestum est magnam formationis efficaciae partem a formatorum matura validaque persona exoriri sub aspectu cum humano tum evangelico. Propterea summi momenti est tam diligenter fbrmatores seligere quam eos incitare, ut constanter fiant et instantius aptiores ad mandatum implendum. Proinde synodales Patres penitus conscii in formatorum selectione eorumque formatione plane consistere ipsam futuram praeparationem candidatorum sacerdotii, diutius commorati sunt in formatorum identitate accurate definienda. Haec autem spe-

cialiter scripserunt: «Labor formationis candidatorum sacerdotii certe exigit non solum quandam specialem formatorum praeparationem, vere technicam, paedagogicam, spiritualem, humanam et theologicam, sed etiam spiritum communionis et collaborationis in unitate pro programmate evolvendo, ut semper unitas salvetur in actione pastorali Seminarii sub ductu rectoris. Coetus formatorum testis sit vitae vere evangelicae et totalis Domino deditionis. Quadam stabilitate gaudeat et residentiam habitualem in communitate Seminarii habeat oportet. Cum Episcopo intimius coniungatur, uti primo formationis sacerdotum responsali ».[203]

Primi episcopi plenum suae responsalitatis sensum alere debent pro eorum formatione, qui futuros presbyteros educandi munus sumpturi sunt. Ad hoc vero adimplendum munus illi eligendi sunt sacerdotes, qui sobrietate vitae sint noti variisque praediti virtutibus: habere debent « maturitatem humanam et spiritualem, experientiam pastoralem, competentiam professionalem, stabilitatem in propria vocatione, capacitatem ad collaborationem, praeparationem doctrinalem in scientiis humanis (praesertim in psychologia) muneri correspondentem, et cognitionem modorum cooperandi in coetibus ».[204]

Servata inter forum internum et forum externum distinctione, simul et opportuna libertate confessorem deligendi et prudentia ac discretione, quae proprie ad ministerium directionis spiritualis spectant, tota presbyteralis educatorum communitas unanima consensione suam sumat responsalitatis partem in candidatos sacerdotii educandi munere. Ad eam enim ante omnia, servato tamen auctoritatis Episcopi et Rectoris iudicio, munus spectat candidatorum idoneitatem provehendi atque cognoscendi sive de spiritualibus, humanis et mentis eorum dotibus, sive praesertim de pietatis spiritu, de acquirenda fidei doctrina, de zelo pro sincera fraternitate fovenda deque caelibatus charismate.[205]

Praeterea, debita consideratione habita de monitis — de quibus etiam synodales Patres mentionem fecerunt — sive ex Adhortatione *Christifideles laici* sive ex Epistola Apostolica

[203] *Propositio* 29

[204] *Ibid.*

[205] Cf. *Propositio* 23.

Mulieris dignitatem relatis, quae sani influxus utilitatem detegunt ex laicali spiritualitate et ex muliebri charismate in omni educationis itinerario, implicare opportunum videtur, debitis nempe prudentiae formis statutis et ad varios culturae contextus accommodatis, fidelium quoque laicorum, virorum et mulierum cooperationem in futurorum sacerdotum formatione efficienda. Accurate igitur sunt eligendi in Ecclesiae legum provincia et secundum eorum charismata atque probatas competentias. Ex eorum denique consociata opera, opportune coordinata et integrata ad primarias formatorum responsalitates sumendas in futurorum presbyterorum formatione exsequenda, benéficos fructus licet exspectare pro aequo Ecclesiae sensus incremento pro que certiore suae uniuscuiusque sacerdotalis identitatis perceptione maturanda in ipsis candidatis presbyteratus.[207]

67. Omnes qui futuros sacerdotes in sacram doctrinam introducunt eosque sequuntur, peculiarem eos ipsos educandi responsalitatem sumunt, quam ex experientia, presbyterali evolvente persona, firmiorem novimus esse quam aliorum educatorum.

Theologiam docentium responsalitas, potius quam doctrinales rationes respicere cum candidatis sacerdotii, notionem spectare debet, quae ab iisdem ipsis habenda est de theologiae natura deque sacerdotali ministerio, sicut de spiritu stiloque, prout ipsa theologicae doctrinae institutio postulat. Secundum hunc sensum synodales Patres sic recte declaraverunt: « Theologus sibi conscius remanere debet, se docendo, non ex suis sumere sed intellectum fidei ultimatim nomine Domini et Ecclesiae aperire et communicare. Hoc modo theologus, non obstante usu omnium possibilitatum scientificarum, de mandato Ecclesiae suum munus exercet et cum Episcopo in munere docendi collaborât. Quia theologi et Episcopi in servitium eiusdem Ecclesiae ad fidem promovendam sunt, confidentiam reciprocam efformare et colere, et in hoc spiritu etiam tensiones et conflictus superare debent (cf. fusius Instructionem Congregationis pro Doctrina Fidei, *De vocatione ecclesiali theologi)* ».[208]

[206] Cf. Adh. Ap.. postsynodalis *Christifideles laici* (30 Decembris 1988), 61; 63: 1. mem., 512-514; 517-518; Ep. Ap. *Mulieris dignitatem* (15 Augusti 1988), 29-31: 1. mem., 1721-1729.

[207] Cf. *Propositio* 29.

[208] *Propositio* 30.

Qui theologiam docet, velut quivis alius educator, in communione manere et cooperari debet cum omnibus aliis personis in futuris sacerdotibus formandis deditis, simulque, scientifica probata ratione, generoso et humili et caritate flagranti animo singularem et qualificatam operam suam praestare debet, quae non tantum in quadam communicanda doctrina consistit — quamvis sit sacra doctrina — sed praesertim oblatio est prospectus in unum redigentis, diversas omnes humanas disciplinas variasque vitae expressiones.

Praeterea peculiaris formationis vis eiusque mira efficacia, quas theologiae magistri exercere valent, singulari modo pendent ex eo quod potissimum ipsi iidem magistri esse debent: « Viri fidei et pieni amore erga Ecclesiam, persuasi adaequatam subiectum christiani mysterii cognitionis unam exstare Ecclesiam; persuasi proinde eorum munus docendi authenticum ministerium ecclesiale esse, ac sensu pastorali praediti, ad discernendum, praeter contentus, etiam formas aptosque modos ad huiusmodi ministerii exercitium. In specie, omnimoda Magisterio fidelitas a docentibus exigitur. Illi enim nomine Ecclesiae docent, ideoque testes fidei sunt ».[209]

68. Communitates ex quibus candidatus sacerdotii provenit, quamvis illa necessaria acta sit separatio, quam ipse vocationis delectus exigit, influxum non neglegendum exercere pergunt in futuri sacerdotis formationem; quare specificae suae responsalitatis partis bene consciae esse debent.

In primis familia memoranda est: parentes christiani, sicut etiam fratres et sorores ac omnia nuclei familiaris membra, cavere debent, ne futurus presbyter inter angustos inducatur limites illius nimis humanae logicae, quae, etsi non mundana, tamen sincero affectu sustineri videatur (cf. *Mc* 3, 20-21. 31-35). Ipsi autem, eodem proposito animati « Dei voluntatem adimplendi », formationis itinerarium orationibus, debito respectu, recto virtutum domesticarum exemplo, spirituali et materiali auxilio, praesertim in difficilioribus adiunctis persequi scient. Multiplex enim hoc auxilium in plurimis casibus experientia docet praeponderans fuisse pro candidato sacerdotii. Dein si

[209] *ibid.*

forte genitores et familiares indifferentes sese ostendant vel adversos vocationis delectui, comparatio quaedam clara et serena cum eorum positione et consequentes stimuli magno auxilio esse possunt, ut sacerdotalis vocatio consultius ac firmius maturet.

In intima coniunctione cum familiis manet communitas paroecialis; et illae et haec sese complent in educationis ad fidem opus efficiendum; dein specifica pastorali actione pro educanda iuventute proque vocationibus suscitandis paroecia familiae munere saepe fungitur. Praesertim autem paroecia egregiam operam dat et singulariter pretiosam ad futuri sacerdotis formationem efficiendam. Paroecialis communitas constanter sentire debet, quasi vivam sui ipsius partem, quemvis iuvenem itinerarium ad sacerdotium persequentem eumque orationibus sequi, aperto corde feriarum temporibus accipere, semper vereri atque fovere dum in debitam suam presbyteralem identitatem formandam progreditur, opportunitates ei praebendo durosque quoque stimulos admovendo ut eius probetur vocatio ad missionem sacerdotalem.

Consociationes iuvenumque motus etiam, ut signum illiusque vitalitatis certitudo, quam in Ecclesia Spiritus constanter infundit, operam praestare possunt et debent ad formationem candidatorum sacerdotii fovendam, praesertim pro iis qui ex christiana, spirituali et apostolica harum consociationum experientia proveniunt. Iuvenes igitur illi, qui primariam formationem in huiusmodi consociationibus receperunt quique ad easdem sese referre pergunt pro sua ipsorum Ecclesiae experientia, nullam obligationem omnino sentire, quasi per interiorem invitationem, debebunt sese e praeterito tempore eradicandi easque scindendi relationes cum ambitu, qui non parvo auxilio fuit eorum vocationis et initio et increménto, ñeque illas notas spiritualitatis proprias delere debent, quas illic didicerunt atque vixerunt, quidquid boni, quidquid aedificationis virtutumque copiae in ipsis fuerint.[210] Pro illis quoque, igitur, ambitus hic originis fons auxilii pergit esse atque praesidium in ipso formationis itinerario ad sacerdotium peragendo.

[210] Cf. *Propositio* 25.

Omnes educationum ad fidem et christiani et ecclesialis incrementi occasiones, quas Spiritus tam multis iuvenibus praebet in multiplicibus sodalitatum formis, motibus et consociationibus variae evangelicae inspirationis, magnopere expedit ut sic sentiantur ac vivantur quasi altricis animae donum intra ipsam institutionem, immo velut in huius servitium. Motus enim vel singularis spiritus animatio « non est altera structura alterna institutioni. Fons est contra cuiusdam praesentiae, quae usque renovat eiusdem sinceritatem essentialem et historicam. Quapropter invenire debet sacerdos in motu quodam lucem et calorem, unde habilis sit ad fidelitatem erga episcopum, promptus ad institutionis munera atque vigil ad ecclesiasticam disciplinam, sic ut vehementior sit impetus in fidem et fidelitatis gustatus ».[211]

Omnes igitur iuvenes ex associationibus motibusque ecclesiasticis provenientes in nova Seminarii communitate, in qua sunt ab episcopo congregati, necesse est ut ediscant « obsequium erga alias spirituales vias simulque spiritum disputandi atque operandi », formationis praeceptis Episcopi et Seminarii educatoribus fiducialiter atque benevole se referant seseque sincere et fidenter committant eorum ductui et iudicio.[212] Hic enim agendi modus parat et quadam ratione anticipat genuinam presbyteralem electionem inserviendi Populo Dei in fraterna presbyterii communione et in obedientia episcopo praestanda.

Tam Seminarii alumnis quam presbyteris participatio specialium spiritus animationum secundum quasdam ecclesiales associationes certe per se ipsa est vera benefica vis interius crescendi ac sacerdotalem fraternitatem fovendi. Haec autem participatio impedimento esse non debet, sed auxilio ad ministerii vitaeque spiritualis exercitium agendum, quod proprium est dioecesani sacerdotis, qui « manet totius coetus semper pastor. Non modo est "permanens ipsum", omnibus promptus, verum omnibus congregatis praesidet — nominatim est paroeciarum moderator — ut cunctis pateat aditus in communitate et Eu-

[211] *Allocutio* ad presbyteros, qui curam habent sodalium consociationis cui titulus « Comunione e Liberazione » (12 Septembris 1985): *AAS* 78 (1986) 256.

[212] Cf. *Propositio* 25.

charistia, iure requisitus, unde inveniatur unitas, quicumque sit religiosus sensus et eorum pastorale studium ».[213]

69. Denique non est obliviscendum ipsum sacerdotii candidatum verum « primum auctorem » esse dicendum adeo necessarium, ut suffi ei omnino nequeat in suapte formatione ducenda: nam quodcumque educandi opus — illud quoque ad sacerdotium spectans — est, denique, sui ipsius educatio. Nemo enim nostri vicem praestare valet in illa respondendi libertate, qua una omnes nos pollemus.

Profecto futurus quoque sacerdos, et quidem primus, crescere debet plene sciens « primum auctorem », per antonomasiam, suae formationis ipsum Spiritum Sanctum esse, qui novi cordis dono configurat Iesu Christo, bono Pastori, eique assimilât: in hoc nempe sensu candidatus suam potissimam testabitur libertatem in accipienda Spiritus actione institutoria. Sed hanc recipere actionem significat etiam candidato sacerdotii esse « mediationes » recipiendas quibus utitur Spiritus. Proinde variorum educatorum actio vere et plene efficax tantummodo fit, cum futurus sacerdos sinceram ac benevolam cooperationem praestat.

CAPUT VI

ADMONEO TE UT RESUSCITES DONATIONEM DEI QUAE EST IN TE

DE PERMANENTI SACERDOTUM FORMATIONE

70. « Admoneo te ut resuscites donationem Dei, quae est in te» *(2 Tim* 1, 6).

Apostoli verba ad Timotheum episcopum legitime applicari possunt ad illam permanentem formationem, ad quam efficiendam omnes sacerdotes sunt vocati, illius vi « donationis Dei », quam in ipsa sacra ordinatione receperunt. Ipsa nos introducunt ad integram veritatem capiendam atque ad peculia-

[213] *Congressus* cum presbyteris qui Helveticum repraesentabant clerum Einsidliae (15 Iunii 1984) 10: *Insegnamenti,* VII, 1 (1984) 1798..

rem permanentem presbyterorum formationem perficiendam. Hac in re auxilio nobis venit locus ille Pauli, in quo sic Apostolus Timotheum monet: « Noli neglegere donationem, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii. Haec meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi et doctrinae; insta in illis; hoc enim faciens et teipsum salvum facies et eos, qui te audiunt » *(1 Tim* 4, 14-16).

A Timotheo petit Apostolus, ut « resuscitet », id est ut refoveat, quasi ignem sub ciñere, donationem Dei, eo consilio ut eam recipiat et vivat nec umquam amittat nec obliviscatur illam « permanentem novitatem », quae de quacumque Dei donatione dicitur, Illius scilicet, qui nova facit omnia (cf. *Ap* 21, 5), eandemque, igitur, perenniter florentem ac naturaliter pulcherrimam vivat.

Sed illud « resuscitare » non tantum est exitus cuiusdam muneris personali Timothei responsali tati concrediti, non tantum fructus alicuius promissionis in memoria viventis, in voluntate operantis, sed praesertim effectus est cuiusdam dynamismi gratiae ex Dei donatione emanantis: ipse, igitur Deus est, qui suam ipsius donationem resuscitat, quae omnes suas atque miras gratiae et responsalitatis divitias, in ea inclusas, elicere valet.

Sacramentali dein Spiritus Sancti effusione, qui consecrat et mittit, presbyter Christo Iesu Ecclesiae Capiti et Pastori configuratur et ad pastorale ministerium explendum mittitur. Quare sacerdos, indelebili ac perpetuo signo penitus in sua ipsius natura signatur ut Iesu et Ecclesiae minister, isque permanenti atque irrevocabili vitae condicioni inseritur mandatumque recipit pastorale quod in eius natura insitum, totam eius existentiam implicat ipsumque permanens est. Sacramentum Ordinis gratiam sacramentalem sacerdoti affert, quae eum participem facit non solum « potestatis » atque salvifici Iesu « ministerii », sed etiam ipsius pastoralis « amoris »; eodem tempore in sacerdotem infundit omnes actuales gratias quae ei concedentur, quoties necessariae et utiles fuerint ad ministerium receptum digne ac perfecte explendum.

Sic permanens formatio suum proprium fundamentum suamque genuinam causam in dynamismo sacramenti Ordinis invenit.

Non desunt certe rationes quoque simpliciter humanae, quae sacerdotem movere valent ut permanentem suam formationem efficiat. Hoc enim postulatum proprium est uniuscuiusque progredientis in suam ipsius identitatem perficiendam: omnis vita quoddam est continuum itinerarium ad maturitatem; et haec per continuam formationem procedit. Necessitas quoque est sacerdotalis ministerii, etsi perspecti sive in sensu generali sive in sensu ceteris professionibus communi, ideoque velut in aliorum servitium: nulla autem exstat professio, nullum munus, nullus labor, qui certam ad hodiernas doctrinas adaequationem non postulet. Postulatum ergo « gradum servandi » cum historiae processu, quaedam est humana ratio, quae permanentem formationem defendit.

Sed istae aliaeque rationes sumi possunt atque explicari theologicis rationibus nuper memoratis, quae et ulterius explicari possunt.

Sacramentum Ordinis, ob « signi » naturam, quae est omnium propria sacramentorum, putari potest, sicut reapse est, Verbum Dei; est sane Dei Verbum, quod vocat et mittit; est summa significatio vocationis missionisque sacerdotis. Ordinis sacramento Deus coram Ecclesia candidatum vocat « ad » sacerdotium. Illud Iesu « veni et sequere me » plenam ac supremam professionem invenit in ipsa Ecclesiae sacramenti celebratione: tunc manifestatur et proclamatur per Ecclesiae vocem resonantem ex ore episcopi, qui precatur munusque imponit; atque sacerdos sic Iesu vocanti respondet: « Venio et sequar te ». Exinde initium habet responsum illud, quod, utpote fundamentalis delectus, progredientibus sacerdotii annis constanter repetitur et confirmatur frequentissimis aliis responsis, quae omnia radicitus pollent atque vivificantur in illo « ita », quod ex ipso Ordine sacro sponte emanat.

In hoc sensu licet loqui de vocatione « in » sacerdotio. Reapse Deus pergit vocare et mittere, ostendens salvificum suum consilium in historico processu ipsam sacerdotis ad vitam vicesque Ecclesiae ac societatis spectante. In hoc enim prospectu verus et proprius permanentis formationis sensus eminet: quae necessaria equidem est ad hanc continuam Dei vocationem, vel voluntatem discernendam atque sequendam. Sic Petrus apostolus ad Iesum sequendum vocatur, etiam postquam

ipse Iesus resuscitatus gregem suum ei credidit: « Dicit ei "Pasce oves meas. Amen, amen dico tibi: Cum esses iunior, cingebas teipsum et ambulabas, ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget et ducet, quo non vis". Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum. Et hoc cum dixisset, dicit ei: "Sequere me" » (cf. *Io* 21, 17-19). Est igitur «sequere» quoddam, quod vitam et missionem apostoli comitatur; Est « sequere » nimirum quod vocationem et usque ad mortem fidelitatem contestatur (cf. *Io* 21, 22), «sequere» quod Christi sequelam demonstrare potest una cum sui ipsius pleno dono in martyrio.[214]

Patres synodales rationem patefecerunt quae perennis formationis necessitatem comprobat, quaeque pariter eiusdem naturam ostendit, cum eam definiant « fidelitatem » sacerdotali ministerio et tanquam continuatae conversionis progressum.[215]

Spiritus Sanctus, cum sacramento effusus, ipse est qui presbyterum in hac fidelitate servanda sustinet eumque sequitur ac stimulat ad continuae conversionis itinerarium perficiendum. Spiritus Sancti donum non exonérât, sed sacerdotis libertatem animat ad responsalem cooperationem dandam atque permanentem formationem sumendam tanquam sibi concreditum munus. Itaque formatio permanens declaratio est et postulatum fidei sacerdotis propriae erga ministerium suum, immo erga suam ipsius naturam. Est igitur amor in Iesum Christum et cohaerentia secum ipso. Sed est etiam testimonium amoris erga populum Dei, in cuius servitium sacerdos est constitutus. Immo testimonium verae et propriae iustitiae: ille enim debitor est erga Populum Dei, cum vocatus sit ad agnoscendum simulque promovendum eius ius, fundamentale « ius », per quod ei debentur, scilicet destinantur, Verbum Dei, Sacramenta et Caritatis servitium, quae sunt elementa essentialia — quaeque abalienari nequeunt — ad pastoralia sacerdotis ministeria perficienda. Necessaria igitur est formatio permanens, ut huic Dei Populi iuri congruenter sacerdos respondere valeat.

Anima et forma permanentis formationis sacerdotis est caritas pastoralis: Spiritus Sanctus enim est, qui pastoralem ca-

[214] Cf. S. AUGUSTINUS, *In Iohannis Evangelium Tractatus* 123, 5: 1. mem., 678-680.

[215] Cf. *Propositio* 31.

ritatem infundit, qui sacerdotem introducit eumque ad altius in dies agnoscendum Christi mysterium conducit, quod in suis divitiis explorari nequit omnino (cf. *Eph* 3, 14ss.), et, idcirco, ad christianum quoque agnoscendum mysterium. Eadem pastoralis caritas sacerdotem movet ad instantius percipiendas exspectationes, necessitates, difficultates, motiones omnes eorum, quibus ministerium suum destinatur, in quibuscumque versantur condicionibus, sive ad personam pertinentibus, ad familiam, adque societatem.

Ad haec omnia formatio permanens contendit, percepta sicut prudens ac liberum ipsiusque propositum, quo ipse expleatur dynamismus pastoralis caritatis ipsiusque Spiritus Sancti, qui eius primus est fons atque perenne alimentum. Propterea in hoc sensu formatio permanens est vera exigentia in dono ipso innata et in recepto sacramentali ministerio semperque, omni tempore, necessaria manet. Attamen, hodierna aetate permulto urgentior esse videtur, non solum propter velociores rerum socialium et culturalium commutationes sive hominum sive populorum, apud quos presbyterale ministerium exercetur, sed etiam propter illam « novam evangelizationem », quae constituit ingenitum illud Ecclesiae munus, quod dilationem absolute non patitur, hoc secundo ad finem volvente millenio.

71. Perennis sacerdotum institutio, sive dioecesanorum sive religiosorum, continuatio est naturalis atque omnino necessaria illius cultus, qui ad presbyteri personam spectat, quique in Seminario vel in religiosa domu incohavit et ibidem incrementum cepit una cum formativa institutione ordinationis respectu. Magni momenti est animadvertere servareque intrinsecum nexum qui exstat inter utramque institutionem, ante scilicet et post ordinationem. Si namque inconstantia esset immo discrepantia has duas inter rationes institutionis gravia consectaria statim evenirent, quae ad pastoralem actionem respicerent atque fraternam communionem inter presbyteros, inter illos nominatim qui aetate distinguuntur. Perennis autem institutio, iteratio non est institutionis, quae in Seminario adquiritur, quae deinde recognoscitur et augetur, novis additis explicativis argumentis. Ipsa enim novis evolvitur rebus potissimumque rationibus quodammodo novis, veluti nempe unum

quiddam, quod progrediens — radices in seminaristica institutione ponens — accommodationem quamdam expostulat, hodiernae aetati conformationem et immutationem, absque tamen cessatione vel intermissione. At contra inde a Seminario maiore permanentem institutionem parare oportet, et animum studiumque futurorum presbyterorum eidem accommodare, per ipsius necessitatis demonstrationem, utilitatis et spiritus, condicionibus perficiendae rei inductis.

Quandoquidem autem perennis institutio continuatio est illius quae in Seminario efficitur, eiusdem propositum non concluditur in habitu quodam, ut ita dicamus, professionali, adeptis novis artibus pastoralibus aliquibus. Habenda potius est ipsa generalis et universalis continuati cultus progressus usque servatus, tum per uniuscuiusque partis inquisitionem formationis — humanae, spiritualis, intellectualis et pastoralis — tum per vestigationem eiusdem interioris ac vividi nexus peculiaris, initio a pastorali caritate capto illiusque respectu habito.

72. Prima quaedam exploratio humanam rationem respicit sacerdotalis formationis. Cotidie inter homines versans eorumque vitam singulis diebus experiens, adolescere debet sacerdos et humanum sensum acuere, unde facultatem consequatur necessitates intellegendi et postulata excipiendi, rogata percipiendi tacita, spem et exspectationes communicandi aeque ac laetas laboriosasque res in vita commmuni degenda; omnes conveniendi et cum omnibus colloquendi. Cognoscens praesertim et participans, partem scilicet capiens, humanam doloris experientiam cuiusque modi, sive ex paupertate oritur vel valetudine, sive ex desertione vel inscitia, solitudine, rerum indigentia animive, suam ipsius humanitatem locupletat sacerdos eandemque veriorem reddit et nitidiorem, per crescentem ac vehementiorem hominis amorem. Suum humanum cultum complens sacerdos, peculiare adiumentum excipit ex Christi Iesu gratia: Boni Pastoris enim caritas non modo salutis hominum dono manifestata est, verum eorumdem vitae participatione, cuius Verbum, quod « caro » factum est (cf. *Io* 1, 14), laetitiam et aegritudines cognovit, cuius labores participavit, animi affectiones, cuius tandem aerumnas est solatus. Homo inter

homines et cum hominibus vivens, Christus Iesus extremam, certissimam perfectissimamque humanitatis formam exhibuit: Eundem namque Canae nuptias celebrantem reperimus, amicorum domum invisentem, animi commotione affectum in turbam quae eum sequebatur, filios parentibus reddentem aegrotos mortuos ve, Lazari discessum dolentem...

Dum Dei populus sacerdotem conspicit maiorem assecutum humanum sensum, idem dicere debet quod ad Hebraeos epistola de Iesu dicit: « Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia secundum similitudinem absque peccato» *(Heb* 4, 15).

Presbyteri institutio pro spirituali ratione ex vita nova et evangelica eruitur ad quam ipse peculiariter a Spiritu Sancto vocatur, qui in Ordinis sacramento effusus est. Spiritus dum sacerdotem consecrat dumque eum Christo Iesu Capiti et Pastori conformat, vinculum inducit quoddam, quod in ipso sacerdote insitum ut penitus teneatur expostulat et personaliter vivatur, scienter scilicet et libere, per vitae dilectionisque communionem magis ac magis divitem atque amplam radicalemque sensuum Christi Iesu eiusdemque habitus per participationem. Hoc cum Christo in sacerdotis vinculo, quod est ontologicum et psychologicum, sacramentale et morale, fundamentum exstat eodemque tempore vis in illam « vitam secundum Spiritum » et « radicalismum evangelicum » ad quem quisque sacerdos vocatur, cuique perennis formatio favet, quoad spiritualem rationem. Haec institutio omnino est necessaria etiam quod ad ministerium sacerdotale attinet, ad eius veram naturam ac spiritualem fecunditatem. « Habesne curam animarum? », secum quaerebat S. Carolus Borromeo. Ita respondebat idem in sermone ad sacerdotes: « Noli propter hoc curam de te ipso neglegere, neve te usque eo aliis dedas ut nihil tui tibi supersit. Oportet certe ob oculos animarum recordationem, quarum es pastor, habeas, at noli tui ipsius oblivisci. Intellegite, fratres, nihil esse tam necessarium omnibus ecclesiasticis hominibus quam meditationem quae antecedit, comitatur ac nostras actiones subsequitur: cantabo, dicit propheta, et meditabor (cf. *Ps* 100, 1). Si sacramenta ministras, frater, meditare quod agis. Si Missam celebras, meditare quod offers. Si psalmos in choro cantas, meditare cui et qua de re loquaris.

Si animas moderaris, meditare quo sanguine ablutae sint, et "omnia vestra in caritate fiant" *(1 Cor* 16, 14). Sic supergredi poterimus difficultates, et innumeras quidem, in quas quotidie inciderimus. Ceterum hoc requirit nobis demandatum officium. Si ita fecerimus Christum gignere valemus in nobis aliisque ».[216]

Vita nominatim religiosa continenter est « reformanda » in sacerdote. Usus enim docet in precatione ex praeterito vivere eum non posse: quotidie oportet non modo fidelitatem externam tempori precationis vindicare, illi praesertim tempori celebrationi Liturgiae Horarum destinato atque illi quod quisque libere eligit, extra officia et sacrae liturgiae horarium, verum etiam et praesertim continuatam inquisitionem repetere unde omnino personaliter Iesus conveniatur, fidens cum Patre colloquium instituatur, Spiritus alta experientia agatur.

Quod vero Paulus apostolus de omnibus credentibus asseverat, pervenire scilicet omnes debere « in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi » *(Eph* 4, 13), id peculiariter de sacerdotibus dici potest, qui ad caritatis perfectionem vocantur, et idcirco ad sanctitatem, quandoquidem ministerium ipsum pastorale eos esse etiam vult exemplaria viventia omnium fidelium.

Intellectualis ratio institutionis poscit ut ipsa continuetur altiusque per totum sacerdotale curriculum intellegatur, studio potissimum iuvante et recentioribus rebus accommodato cultu, qui sit solidus et accuratus. Missionis Iesu propheticae particeps, et mysterio Ecclesiae veritatis Magistrae insertus, sacerdos vocatur ad Dei vultum hominibus revelandum in Christo Iesu.[217] Sed hoc poscit ut sacerdos ipse hunc vultum requirat eundemque veneranter et amanter contempletur (cf. *Ps* 26, 8; 41, 2): hoc tantummodo modo potest ipse eundem ceteris demonstrare. Theologicae vestigationis continuatio cumprimis est necessaria, ut Verbi ministerium adimplere possit sacerdos, id quidem non confuse nuntians vel ambigue, id denique a prorsus humanis opinionibus distinguens quamvis celebratis et pervulgatis. Sic ipse revera Dei Populo inservire potest, et eum iuvare, ut rationes requirentibus de christiana spe osten-

[216] S. CAROLUS BORROMEO, *Acta Ecclesiae Mediolanensis,* Mediolani 1559, 1178.

[217] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 22.

dat (cf. *1 Pt* 3, 15). Deinde «sacerdos dum prudenter et constanter theologicae inquisitioni studet, certe et personaliter sinceras ecclesiales divitias nancisci potest. Missionem idcirco explere potest, quae ab eo requirit ut verae doctrinae catholicae difficultatibus respondeatur atque sua alienaque inclinatio superetur quae ad negantem Magisterium et Traditionem habitum fert ».[218]

Perennis institutionis pastoralis ratio pulchre Petri apostoli verbis significatur: « Unusquisque, sicut accepit donationem, in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei» *(1 Pe* 4, 10). Ut quotidie secundum gratiam acceptam vivat, oportet sacerdos magis magisque alacer sit animo atque ideo Christi pastoralem caritatem accipiat, quam Spiritus sacramento suscepto tribuit. Quemadmodum Domini omnis actio fructus fuit pariter ac signum caritatis pastoralis, sic ministerialis sacerdotis opera oportet sit. Caritatis pastoralis est ipsa donum itemque munus, gratia et responsalitas, cui necesse est esse fideles: ea est profecto recipienda eiusque vis usque ad extrema consectaria. Haec ipsa pastoralis caritas, ut supra diximus, sacerdotem compellit concitat que, ut veram hominum condicionem melius usque cognoscat, ad quos mittitur, ut in historicis adiunctis in quibus versatur Spiritus rogatus dignoscat, ut denique aptiores rationes formasque utiliores conquirat ad ministerium hodie exercendum. Sic pastoralis caritas movet ac humana sacerdotis conamina sustentat, unde pastoralis actuositas sit recens, credibilis et efficax. Sed id stabilem pastoralem institutionem requirit.

Maturitatis iter non modo postulat ut sacerdos funditus perscrutari pergat suae institutionis diversa elementa, sed poscit etiam et potissimum quidem ut ipse haec principia plus plusque coagmentare valeat, gradatim pertingens, interiorem unitatem: quam pastoralis caritas praestabit. Haec namque non modo diversa elementa componit nectitque, sed eadem definit ac tanquam institutionis sacerdotis ut talis rationes denotat, sacerdotis scilicet, veluti perspicuitatis, vivae imaginis, Iesu boni Pastoris ministri.

SYNODI EPISCOPORUM VIII COETUS GEN. ORD., *De sacerdotibus formandis in hodiernis adiunctis* - « Instrumentum laboris », 55.

Perennis institutio sacerdotem iuvat ut tentationem superet, ne ministerium ad immodicam actuositatem per se ipsam conquisitam constringat, ad impersonalem rerum quandam exhibitionem, quamvis spiritualium sacrarum ve, neve ad officiosum munus pro ecclesiastica administratione. Perennis solummodo institutio sacerdotem iuvat ut vigili cum amore « mysterium » custodiat, quod pro Ecclesiae humanitatisque bono in se fert.

73. Perennis formationis diversae et inter se connexae rationes nos iuvant ut altum earum sensum percipiamus: ipsa vero sacerdotem iuvat ut sit sacerdos idemque sacerdotem agat ad Iesu Boni Pastoris spiritum ac morem.

Veritas est facienda! Ita nos admonet S. Iacobus: « Estote autem factores verbi et non auditores tantum fallentes vosmetipsos » *(I ac* 1, 22). Sacerdotes vocati sunt ad «faciendam veritatem » suae existentiae, ad vivendam scilicet « in caritate » (cf. *Eph* 4, 15) suam identitatem et ministerium in Ecclesia ac pro Ecclesia. Ii porro ad conscientiam habendam provocantur vividiorem de Dei dono, id usque reminiscantur. Haec est ad Timotheum Pauli invitatio: « Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis » *(2 Tim* 1, 14). In ecclesiologico ambitu, quem compluries memoravimus, altus perennis institutionis sacerdotis sensus percipi potest prout hic est et agit in Ecclesia, quae est mysterium, communio et missio.

Intra Ecclesiam « mysterium » vocatur sacerdos, per permanentem institutionem, ad servandam et explicandam in fide integrae et sui ipsius mirabilis veritatis conscientiam: ipse est minister Christi et dispensator mysteriorum Dei (cf. *1 Cor* 4, 1). Paulus palam christianos rogat ut secundum hanc identitatem ab iis habeatur; sed ipse primus, de mirifico dono a Domino accepto sibi est conscius. Ita quisque sacerdos debet esse, si in veritate suae essentiae manere vult. Sed hoc tantummodo in fide fieri potest, hoc tantummodo intuitu oculisque Christi.

Hac spectata ratione, perennem institutionem autumari potest efficere ut sacerdos sit credens et talis magis magisque fiat: ipse semper in sua veritate se contueatur, per Christi ocu-

los. Ei autem haec veritas grato laetoque amore servanda est. Fidem deinde renovare debet, cum ministerium suum sacerdotale explet. Oportet ministrum Christi se existimet, Dei dilectionis sacramentum in homines, quotiescumque instrumentum vivum est et trames Dei gratiae hominibus datae. Hanc quidem veritatem in fratribus agnoscere debet: hoc est aestimationis et amoris in ceteros sacerdotes principium.

74. Formatio perennis sacerdotem adiuvat, in Ecclesia « communione » ad conscientiam maturandam suum ministerium esse postremo constitutum ad congregandam Dei familiam tanquam fraternitatem caritate animatam et ad eandem adducendam per Christum in Spiritu Sancto ad Patrem.[219]

Debet sacerdos crescere in conscientia arctae communionis qua cum Dei populo coniungitur: se videlicet non esse « coram » Ecclesia, sed praesertim « in » Ecclesia: esse fratrem inter fratres. Per baptismum sacerdos, dignitate insignitus ac filiorum Dei libertate, est eiusdem et unici corporis Christi membrum (cf. *Eph* 4, 16). Huius communionis conscientia ducit ad necessitatem suscitandi atque augendi corresponsalitatem in communi et unico munere salutis per promptam ac humanam adhibitionem omnium charismatum et officiorum exsecutionem quae Spiritus Sanctus credentibus praebet ad Ecclesiam aedificandam. Praecipue ministerium pastorale explendo, natura ad bonum Populi Dei ordinatum, sacerdos colere debet et suam arctam communionem cum omnibus testari, sicut Paulus VI scripsit: « Opus est ut ea re, quod hominum pastores, patres et magistri esse cupimus, idcirco fratres agamus. Colloquium enim cum amicitia, tum vero adhibita officia maximopere aiunt ».[220]

Magis proprie sacerdos vocatur ut conscientiam maturet se membrum esse Ecclesiae particularis cui est incardinatus, id est insertus vinculo iuridico simul et spirituali ac pastorali. Eiusmodi conscientia postulat et auget peculiarem in propriam Ecclesiam amorem. Haec, re ipsa, terminus est vivus ac perennis pastoralis caritatis, quae cum presbyteri vita est

[219] Cf. CONC. OEC. VAT. II, Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 6.

[220] Litt. Enc. *Ecclesiam suam.*(6 Augusti 1964), III: *AAS* 56 (1964) 647.

semper componenda quaeque eum ducit ad eiusdem huius particularis Ecclesiae historiam vel vitae experientiam participandam in eius divitiis ac fragilitatibus, in eius difficultatibus et exspectationibus; ad laborandum in ea et pro eius incremento. Debent igitur sentire se ditiores factos ab Ecclesia particulari et impigre adstrictos ad eius aedificationem tum quisque sacerdos tum ceteri, illam pastoralem navitatem producendo, quae propria fuit fratrum in sacerdotio, qui ante fuerunt. Ineluctabilis necessitas caritatis pastoralis erga propriam Ecclesiam particularem et eius futurum ministeriale est sollicitudo qua sacerdos invenire debet, ut ita dicamus, qui sibi in sacerdotio succédât.

Sacerdos maturare debet in conscientia communionis exsistentis inter diversas Ecclesias particulares, quae communio insita est in eo, quod Ecclesiae sunt, quae in loco personam gerunt unius et universalis Christi Ecclesiae. Huiusmodi communionis inter Ecclesias conscientia favebit « donorum commutationi », imprimis donorum vivorum ac personalium, qualia ipsi sacerdotes sunt. Hinc studium, quin immo alacris cura de adducenda ad effectum aequa cleri distributione.[221] In his Ecclesiis particularibus memorandae sunt eae, quae « libertate carentes proprias non possunt habere vocationes », sicut etiam « Ecclesiae nuper ex persecutionibus venientes atque indigentes auxiliis, quae per longum tempus a multis magnanimiter et fraterne data sunt et continuo offeruntur ».[222]

Intus in communitate ecclesiali, sacerdos praecipue vocatur ad crescendum, in sua veritate perenni, in suo presbyterio cumque suo presbyterio Episcopo coniuncto.

Presbyterium, in sua veritate plena, mysterium est; res est enim supernaturalis, quoniam in Ordinis sacramento positum est. Hoc eius fons est, eius origo; eius ortus et auctus « locus ». Namque, « presbyteri per sacramentum Ordinis vinculo personali et indissolubili cum Christo unico sacerdote colligantur. Ordo eis ut singulis confertur, sed inserti sunt in communione

[221] Cf. S. CONGREGATIO PRO CLERICIS, Notae pertinentes ad promotionem mutuae operae particularium Ecclesiarum atque praesertim pro aequiore cleri partitione *Postquam Apostoli* (25 Martii 1980): *AAS* 72 (1980) 343-364.

[222] *Propositio* 39.

presbyterii cum Episcopo iuncti *(Lumen gentium,* 28; *Presbyterorum Ordinis,* 7 et 8) ».[223]

Haec sacramentalis origo apparet et extenditur in exercitio ministerii presbyteralis: a mysterio ad mysterium. « Presbyterorum unitas et cum Episcopo et inter se non ab extra additur naturae eorum servitii propriae, sed exprimit eius essentiam quatenus est cura Christi Sacerdotis circa plebem ex unitate Sanctissimae Trinitatis adunatam ».[224] Haec sacerdotalis unitas, ex spiritu caritatis pastoralis explicata, sacerdotes facit Iesu Christi testes, qui Patrem est deprecatus ut « omnes unum sint» *(Io* 17, 21).

Facies igitur prebyterii, facies est verae familiae, fraternitatis, cuius vincula non ex carne et sanguine sunt, sed ex ordinis gratia: quae gratia sumit et tollit rationes humanas, psychologicas, affectiosas, amicabiles et spirituales inter sacerdotes; gratia, quae diffunditur, penetrat et ostenditur atque ad effectum deducitur multis mutui auxilii modis, non solum spiritualibus, verum etiam materialibus. Fraternitas presbyteralis neminem excludit, at suas potest ac debet habere propensiones: evangélicas, dicimus, in eos qui maiore auxilii vel hortationis necessitate laborant. « Haec fraternitas specialem habet curam de iuvenibus presbyteris, cordialem ac fraternum dialogum cum illis mediae et maioris aetatis, et erga illos qui una aliave ratione difficultates experiuntur; etiam sacerdotes qui ab hac forma vitae defecerunt, aut illam non sequuntur, non solum non derelinquit, sed fraterna sollicitudine ultra prosequitur ».[225]

Unici presbyterii pars sunt, titulo diverso, etiam presbyteri religiosi qui in Ecclesia particulari habitant et operantur. Eorum praesentia omnes locupletat sacerdotes variaque charismata, ex quibus vivunt, dum presbyteris adhortationi sunt ut crescant in cognitione ipsius sacerdotii, conferunt ad excitandam et prosequendam sacerdotum formationem permanentem. Vitae religiosae donum, in dioecesana compage si sincerae aestimationi coniungitur et iusta observantia proprietatum cuiusvis Instituti et cuiuslibet spiritualis consuetudinis, testi-

[223] *Propositio* 34.

[224] *Ibid.*

[225] *Ibid.*

monii christiani fines dilatat et multimodis prodest spiritualitati sacerdotali locupletandae, praesertim quod pertinet ad rectam necessitudinem atque mutuam efficacitatem inter valores Ecclesiae particularis et Ecclesiae universitatis Populi Dei. Ipsi religiosi attenti erunt praestando spiritui verae communionis ecclesialis, liberali participationi itineris dioecesis et Episcopi optionum, suum charisma libenter suppeditando aedificandis omnibus in caritate.[226]

In contextu Ecclesiae communionis et presbyterii melius quaestio tractari potest de sacerdotis solitudine, in qua Patres synodales perse vera verunt. Est solitudo quidem, quae ad experientiam omnium pertinet et aliquid est omnino naturale; sed est etiam solitudo, quae e variis oritur difficultatibus et alias vicissim gignit difficultates. Hoc sensu « activa participatio in presbyterio dioecesano, regulares contactus cum episcopo et aliis sacerdotibus, mutua collaboratio, vita communis vel fraterna inter sacerdotes, sicut etiam conviventia familiaris cum christifidelibus laicis activis in paroecia, media valde utilia sunt ad superandos effectus negativos solitudinis quos interdum sacerdos experiri potest ».[227] **At solitudo non solummodo difficultates parit, verum et efficaces praebet opportunitates sacerdotis vitae: « in spiritu oblationis accepta et quaesita in intimitate cum domino Iesu, solitudo etiam orationis et studii opportunitas ac simul sanctificationis et humani progressus adiumentum esse potest ».**[228]

Ne dicamus aliquod solitudinis genus partem esse necessariam formationis perennis. Saepe Iesus secedebat ut solus oraret (cf. *Mt* 14, 23). Facultas bonam solitudinem sustinendi est ad vitae interioris curam condicio necessaria. De solitudine agitur Domini praesentia habitata, qui nos, in Spiritus lumine, cum Patre iungit. Sic intellecta, silentii cura et spatiorum temporumque « deserti » quaesitio formationi perenni necessariae sunt. Hoc item sensu qui suam solitudinem bene colere

226 Q£ ***Propositio*** 38; CONC. OEC. VAT. II, **Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,*** 1; **Decretum de Institutione sacerdotali *Optatam totius,*** 1; S. CONGREGATIO PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS **et** S. CONGREGATIO PRO EPISCOPIS, **Notae pertinentes ad mutuas rationes inter Episcopos et Religiosos in Ecclesia *Mutuae relationes*** (14 **Maii** 1978), **2;** 10: **1. mem.,** 475; 479-480.

227 ***Propositio*** 35.

nescit, ad veram fraternamque communionem non aptus dicitur esse.

75. Formatio perennis eo spectat, ut sacerdos magis conscius fiat se Ecclesiae munus salvificum communicare. In Ecclesia, qua « munere », formatio perennis sacerdotis comprehenditur non solum sicut necessaria condicio, verum etiam sicut ratio minime praetermittenda, ut constanter de significatione recogitetur fidesque detur illam fideliter atque alacriter ad effectum adductum iri. Hac formatione sacerdos adiuvatur ad animadvertendum totum momentum, sed eodem tempore splendidam officii gratiam, quod non sinit eum esse tranquillum: sicut Paulus is posse dicere debet: « Si evangelizavero, non mihi est gloria; necessitas enim mihi incumbit. Vae enim mihi est, si non evangelizavero » *(1 Cor* 9, 16) et simul postulationis, apertae aut tacitae vehementer proficientis ab hominibus, quos Deus sine intermissione ad salutem vocat.

Solum idonea formatio permanens potest sacerdotem sustinere in eo quod essentiale et decretorium est eius sacerdotio, in fidelitate videlicet, uti apostolus Paulus scribit: « Hic autem quaeritur inter dispensatores (mysteriorum Dei) ut fidelis quis inveniatur » *(1 Cor* 4, 2). Fidelis esse debet sacerdos, etsi varii generis difficultatibus offendit, vel condicionibus admodum importunis ac fatigationis, comprehensibilis sane, per omnes vires quae praesto sunt ei, et ad vitae usque finem. Pauli testimonium cuilibet sacerdoti exemplo esse debet et stimulo: « Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibentes nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei; per arma iustitiae a dextris et sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam; ut seductores et veraces, sicut qui ignoti et cogniti, quasi monentes, et ecce vivimus, ut castigati et non mortificati, quasi tristes, semper autem gaudentes, sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes et omnia possidentes » *(2 Cor* 6, 3-10).

76. Formatio permanens, ob id ipsum quod « permanens » est, est semper sacerdotibus excolenda; omni igitur vitae tempore omnique in condicione, sicut et in omni gradu responsalitatis ecclesialis: secundum, ut par est, facultates ac proprietates, quae vitae condicionum et concreditorum munerum mutationi iunctae sunt.

Formatio perennis seu permanens est imprimis iuvenibus sacerdotibus officium: ea illas habere debet assiduitatem et rationem congressionum quae, dum producunt gravitatem et soliditatem formationis in seminario acceptae, gradatim iuvenes ducunt ad intellegendas et colendas singulares divitias « doni » Dei — sacerdotii videlicet — et ad interpositionem certiorem ac magis consciam in dies in presbyterium, ideoque in communionem atque in corresponsalitatem cum omnibus fratribus in sacerdotio.

Si comprehendi potest quidam « satietatis » sensus, quo iuvenis presbyter affici potest, vix e seminario egressus, prae novis studii et congressionis temporibus, est omnino opinio reicienda, tanquam falsa et periculosa, formationem presbyteralem concludi praesentia in seminario peracta.

Congressiones formationis permanentis communicantes iuvenes sacerdotes poterunt mutuum afferre auxilium invicem participantes experientias et cogitationes de exsecutione eius presbyteralis ac ministerialis exemplaris, quod in sucum et sanguinem converterunt per annos in seminario actos. Eodem tempore eorum actuosa participatio congressionum ad formationem presbyterii pertinentium, exemplo esse poterit et stimulo sacerdotibus senioribus, sicque suum testabuntur amorem erga totum presbyterium suumque Ecclesiae particularis studium, quae bene formatis sacerdotibus indiget.

Ad adiuvandos iuvenes sacerdotes hoc difficili vitae et ministerii sui momento peropportunum est, si non necessarium hodie, structuram munimenti ad hoc ipsum institutam creare, cum moderatoribus ac idoneis magistris, in qua possint invenire, modo congruenti et continuo, praesidia necessaria ad bene ineundum suum sacerdotale servitium. In congressionibus periodicis, satis longis et crebris, actis, si fieri potest, in loco communi, domicilii instar, utilia iis concedentur tempora quietis, deprecationis, meditationis et fraterni colloquii. Ita facilius

ab initio poterunt vitam suam presbyteralem evangelice ordinare. Si vero singulae Ecclesiae particulares non poterunt hoc servitium suis iuvenibus sacerdotibus praebere, opportunum erit Ecclesias vicinas sese coniungere et una simul opes collocare et apta programmata elaborare.

77. Formatio permanens officium quoque est presbyteris mediae aetatis. Reapse multiplicia sunt pericula, quibus possunt se offerre, ob ipsam aetatem, qualia sunt nimia navitas et quaedam in ministerii exercitio assuetudo. Hinc sacerdos temptatur sibi nimis confidere, ac si eius personalis experientia iam comprobata non amplius esset cum ulla re aut cum quoquam comparanda. Non raro sacerdos adultus quandam patitur interiorem lassitudinem noxiam, signum frustrationis paratae omnia perpeti ante difficultates et male gesta. Huiusmodi condicioni responsionem dant formatio permanens, continua et aequa recognitio sui suique agendi modi, constans quaesitio causarum et instrumentorum ad proprium munus exsequendum: ita sacerdos spiritum servabit vigilantem et paratum ad perennes et tamen semper novas postulationes salutis, quas quisque presbytero proponit, « homini Dei ». Permanens institutio eos quoque presbyteros implicare debet qui provecta iam aetate senes habentur, qui in nonnullis Ecclesiis maior sunt iam pars presbyterii. Idcirco gratus animus est iis referendus ob ministerium Christo et Ecclesiae praestitum iisque solidarietas est significanda, qui in talibus condicionibus versantur. Horum presbyterorum permanens formatio non expostulabit officium studiorum, recentioris doctrinae et cultus inquisitionis, sed sedatam remissamque confirmationem illius muneris, quod iisdem in presbyterio adhuc est sustinendum, non modo ut ministerium pastorale, quamvis diversis sub formis, continuetur, verum etiam vitae et apostolatus experti ut magistri et aliorum sacerdotum doctorum sustinere possint ipsi personam.

Sacerdotes quoque qui ob labores et valetudinem haud bonam in debilibus condicionibus versantur corporis animive perenni institutione iuvantur, unde iidem concitentur ad quietum acreque pro Ecclesia ministerium continuandum, ne se a communitate vel presbyterio seiungant, ad externam actionem

minuendam, ut tantummodo eos actus peragant pastoralis necessitudinis et spiritualitatis personalis aptos ad rationes et sacerdotii laetitiam sustinendas. Permanens formatio adiuvabit eos ad vivam servandam conscientiam, quam ipsi fidelibus inculcaverunt, se scilicet pergere esse membra nava in Ecclesiae aedificatione, etiam et potissimum propter suam cum Christo patienti communionem aeque cum tot fratribus sororibusque qui in Ecclesia Passionem Domini participant, spiritalem Pauli experientiam repetentes qui asseveravit: « Nunc gaudeo in passionibus pro vobis et adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia » (*Gol* 1, 24).[229]

78. Condiciones, in quibus saepe ac pluribus locis hodie impletur ministerium sacerdotum non facile quidem reddunt serium opus formationis: multiplicata enim officia et servitia, vitae humanae complexa indoles in universum atque communitatum christianarum particulatim, actionis febris et intentus ardor, quae propria sunt tot regionum societatis nostrae, crebro destituunt presbyteros illo tempore ac viribus quae pernecessariae sunt ut sibi attendant (cf. *Tim* 4, 16).

Haec efficiunt ut in omnibus augeantur officia responsalia ita ut superentur difficultates, quin immo evadant provocatio aliqua ut formatio permanens elaboretur ac perficiatur quae convenienter respondeat magnitudini doni Dei necnon gravitati ipsarum postulationum exigentiarum que temporis nostri.

Rursus scilicet responsales permanentis formationis sacerdotum reperiendi sunt intra Ecclesiam-« communionem ». Hoc modo tota particularis Ecclesia, ducente ipso Episcopo[1], officio oneratur concitandi variisque rationibus procurandi permanentem presbyterorum institutionem. Hi enim non sibi solis exsistunt sed Dei populo: hac de causa, permanens educatio, dum maturitatem humanam, spiritualem, intellectualem et pastoralem sacerdotum praestat, in bonum aliquod evadit cuius consors est Populus Dei ipse. Praeterea, pastoralis ministerii exercitatio ipsa perducit ad continuam fructuosamque permutationem reciprocam inter fidei vitam presbyterorum ac vitam fidelium. Omnino partitio vitae inter sacerdotem et communi-

Cf. ***Propositio*** 36.

tatem, si sapienter quidem ducitur et adhibetur, constituit partem praecipuam permanentis educationis, quae tamen redigi non potest ad aliquem singularem eventum aut unum quoddam inceptum sed extenditur et pervadit ministerium totum presbyteri vitamque.

Etenim christiana experientia hominum simplicium et humilium, spirituales impetus personarum Dei amantium, applicationes animosae fidei ipsius ad vitam a christianis peractae elaborantibus variis in muneribus socialibus et civilibus, haec omnia a sacerdote suscipiuntur qui dum ea ministerio suo sacerdotali illustrat, inde spiritualem magni momenti alimoniam haurit. Dubitationes quoque et discrimina ac tarditates coram diversissimis condicionibus presbyterorum singulorum et socialibus, invitamenta ad repudiandum omne vel ad desperationem ipso tempore dolorum et aegrotationum et mortis: in summa, omnia difficilia adiuncta quibus obviam fiunt homines in fidei itinere, vivuntur fraterne ex animoque perferuntur in sacerdotis corde qui responsiones pro aliis conquirens continenter movetur ut sibi eas in primis detegat.

Universus sic Dei populus singulis suis in membris valet et debet magni momenti adiumentum suorum sacerdotum educationi permanenti praebere. Qua in re relinquere presbyteris debet temporis spatia pro studio et precatione, ab iis id poscere cuius causa a Christo missi sunt nec quidquam aliud, adiutricem suppeditare operam variis in provinciis pastoralis muneris praesertim vero illis quae ad hominum promotionem pertinent et caritatis ministerium, in tuto collocare vincula humanitatis ac fraternitatis cum iis, faciliorem sacerdotibus reddere eam conscientiam qua dicere ipsi possint: «Non... dominamur fidei vestrae sed adiutores sumus gaudii vestri» omnium sane christifidelium *(2 Cor* 1, 24). . . . . . .-

Formativum Ecclesiae particularis officium erga sacerdotes concorporatur ac determinatur secundum coniunctionem cum singulis membris quae eam componunt, initio facto a presbytero ipso.

79. Certo quodam modo ipsemet singularis sacerdos primus auctor in Ecclesia institutionis permanentis est: revera quisque presbyter officio tenetur, quod quidem in Ordinis sacra-

mento innititur, ut Dei dono fidelis persistat necnon concitato motui cotidianae conversionis qui eodem ex dono profluit. Regulae aut normae ecclesiasticae auctoritatis hac in re, haud secus atque exemplum ipsum ceterorum sacerdotum, non sufficiunt ut permanens formatio videatur optabilis sive desiderabilis, nisi unusquisque sacerdos sibi persuasit quam sit illa necessaria et nisi paratus est uti eius occasionibus et temporibus et formis. Permanens enim educatio « iuventutem » animi conservat quam nemo ab exteriore parte imponere potest, sed quam intra se singuli semper inveniant oportet. Is solus, qui hoc discendi semper desiderium servaverit vivum atque crescendi, eam « iuventutem » possidebit.

Potissimum officium Episcopi est simulque presbyterii. In eo enim Episcopi officium consistit quod per eum sacerdotium suum presbyteri accipiunt et cum eo communicant pastoralem sollicitudinem erga Dei Populum. Officium ipse gerit perseverantis institutionis illuc spectantis ut omnes eius sacerdotes liberaliter se fideles praestent dono ministerioque recepto, quemadmodum Populus Dei eos agere vult iusque habet ut sese gerant. Idem vero officium movet episcopum una cum toto presbyterio ut propositum opus excogitet constituat que rationem qua permanens educatio conformetur non veluti quidquam adventicium, verum tanquam deliberata doctrinarum ratio quae per passus certos enucleatur certasque exhibet vias. Implebit ideo officium suum episcopus, non modo si presbyterio suo praebuerit loca ac tempora permanentis formationis sed etiam si ipsemet praesentem se exhibuerit et congressionibus interfuerit humaniter ex animoque. Decebit saepius vel etiam oportebit plurium dioecesium finitimarum vel regionis alicuius ecclesiasticae episcopos inter se consentire viresque coniungere ut incepta meliora offerantur vereque incitent formationem illam perpetuam, cuius generis sunt curricula accommodationis biblicae theologicae pastoralis, hebdomades residentiae, cycli instructionum, tempora meditationis et comprobationis in pastoralis itinere ipsius presbyterii communitatisque ecclesialis.

Sua explebit munia episcopus, si partes etiam advocabit et auxilia quae afferri poterunt ex studiorum facultatibus et institutis theologicis ac pastoralibus, ex seminariis et insti-

tutioribus vel consociationibus ubi homines, sacerdotes religiosi fideles laici, in presbyterorum educatione versantes conglobante.

Intra particularem quamque Ecclesiam locus praecipuus obvenit ipsis familiis, ad quas nempe secundum earum naturam « ecclesiarum domesticarum » refertur revera vita ipsa communitatum ecclesiarum quas animant gubernantque sacerdotes. Nominatim vero partes extollendae sunt familiae nativae. Haec namque coniuncta et in suis propositis consentiens potest operi filii sui proprium quoddam praebere adiumentum magni profecto momenti. Cum enim consummat consilium illud providentiae divinae, quod eam constituerat germen vocationis ac necessarium auxilium ad incrementum et progressum, domus sive familia sacerdotis, plane semper observans hunc filium qui voluit se Deo proximoque dedere, perstare debet semper testis fidelis qui munus eius confirmat, comitatur et participat magno cum studio et reverentia.

80. Etsi quodvis momentum esse potest « tempus acceptabile » *(2 Cor* 6, 2) quo sacerdotem perducit Spiritus Sanctus ad incrementum in oratione ac studio necnon conscientia propriorum munerum pastoralium, quaedam tamen momenta exsistunt « privilegiata », licet communiora et in antecessum praestituta.

Hoc quidem loco commemorandi in primis sunt congressus episcopi cum proprio presbyterio, sive liturgici illi sunt (praesertim Missae Chrismatis concelebratio feria quinta in Cena Domini) sive pastorales et culturales, ut videlicet sententiae permutentur de pastorali industria vel studia agantur de quibusdam quaestionibus theologicis.

Contingunt praeterea conventus spiritualitatis sacerdotalis, quales sunt exercitationes spiritales, dies recessus, aliaque similia. Progressionis et auctus spiritalis ac pastoralis opportunitates sunt, tum etiam occasiones orationis longioris et tranquillioris, tempora quibus reditur ad radices ipsius exsistentiae sacerdotalis, quibus renovatur novum studium fidelitatis et pastoralis actuositatis.

Magnum prae se ferunt pondus etiam congressiones studiorum communisque meditationis: impediunt enim ne animi cui-

tura reddatur misera et egena aut refugiatur ad commodas opiniones etiam in apostolatus campo quae sunt effectus inertiae mentis; suppeditant summam iam maturiorem variorum vitae spiritualis elementorum vitaeque culturalis et apostolicae; mentem porro animumque aperiunt novis provocationibus novisque appellationibus quas Ecclesiae praebet Spiritus.

81. Complura sunt praeterea adiumenta et instrumenta quibus uti licet, quo ipsa formatio permanens usque uberior evadat vitae experientia sacerdotibus ipsis. Inter haec memorare placet varias formas communis vitae sacerdotum, quae semper in Ecclesiae historia adfuerunt, quamvis diversis modis gradibusque fervoris: « Hodie fieri non potest quin ipsae magnopere commendentur, inter illos potissimum qui vivunt vitam actionemque apostolicam, verum omnibus exhibet sociis presbyteris ipsisque laicis caritatis et unitatis exemplum ».[230]

Aliud quoddam subsidium importare possunt sacerdotum sodalitates, praesertim vero ipsa instituta saecularia sacerdotum quae prae se ferunt tanquam propriam notam indolem dioecesanam, ex qua arctius sacerdotes cum episcopo consociantur efficiuntque « consecrationis statum ubi per vota aliave vincula sacra presbyteri devoventur ad evangelica consilia in vita cotidiana incarnanda ».[231] **Cunctae autem « fraternitatis sacerdotalis » rationes ab Ecclesia probatae proficiunt non tantum ad spiritalem vitam, verum ad vitam quoque apostolicam ac pastoralem.**

Usus pariter directionis spiritualis multum sane confert ad permanentem sacerdotum educationem provehendam. Translaticium instrumentum est quod nihil interea perdidit suae praestantiae non solum ut spiritualis formatio praestetur, sed etiam ut perpetua fidelitas ac magnanimitas in ministerii sacerdotalis exsecutione promoveatur sustineatur que. In hanc quidem scripsit sententiam futurus Pontifex Paulus VI: « Opus pulcherrimum facit directio spiritualis ac dici potest ea perne-

[230] SYNODI EPISCOPORUM VIII COETUS GEN. ORD., *De sacerdotibus formandis in hodiernis adiunctis* - « Instrumentum laboris », 60; cf. CONC. OEC. VAT. II, Decretum de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus,* 30; Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 8; *C.I.C.,* can. 550 § 2.

[231] *Propositio* 37.

cessaria morali spiritualique iuventutis incremento quae quidem plena fidelitate cupiat interpretari et sequi vocationem, qualiscumque ea est, propriae vitae; adservat porro illa beneficam utilitatem omni vitae aetate, cum sub lumine et caritate alicuius pii prudentisque consilii expetitur comprobatio propriae honestatis atque consolatio de magnanima officiorum propriorum procuratione. Paedagogicum est instrumentum magnae prudentiae, summi tamen ponderis, ars est paedagogica et psychologica permagnae gravitatis in eo qui eam factitat; spiritualis exercitatio humilitatis est ac fiduciae in eo qui eam percipit ».[232]

CONCLUSIO

82. « Dabo vobis pastores iuxta cor meum » (*Ier* 3, 15). Hodie quoque haec Dei pollicitatio vivit in Ecclesia vigetque: ipsa enim sibi sentit has prophetae voces destinari; eas porro videt cotidie impleri tot in terrarum regionibus, vel potius tot in hominum cordibus praesertim iuvenum. Propositis vero gravibus urgentibusque suis mundique necessitatibus concupiscit Ecclesia ut ad tertii millennii limen divinum promissum nova ratione impleatur — ampliore intentiore efficaciore — tanquam ex singulari quadam Spiritus Pentecostes effusione.

Domini promissio in Ecclesiae animo orationem excitat, fidentem implorationem ardentemque ex Patris amore, qui quem ad modum Iesum misit bonum Pastorem Apostolos et eorum successores innumerabilemque presbyterorum multitudinem, sic etiam huius temporis hominibus fidelitatem suam ostendere pergit suamque bonitatem.

Huic ideo gratiae parata est Ecclesia ad respondendum. Percipit enim Dei donum responsionem postulare chori instar et magnanimam: sine intermissione est omni Populo Dei precandum ac laborandum pro sacerdotalibus vocationibus; sacerdotii candidati maxime serio animo comparentur oportet ut suscipiant et vivant Dei donum sibi videlicet conscii Eccle-

232 G. B. MONTINI, *Lettera pastorale sul senso morale*, 1961.

siam et mundum omnino se ipsis indigere; amore rapiendi sunt Christi boni Pastoris quorum cor ad Ipsius est confirmandum, parati esse debent ut vias mundi percurrant veluti eius imagines omnibus nempe declaraturi Christi viam, veritatem et vitam.

Nominatim vero familias compellamus: ut parentes potissimumque matres liberaliter Domino donent liberos quos is ad sacerdotium arcessit utque laetantes cooperentur in eorum vocationis curriculo probe reminiscentes hoc quidem modo reddere se maiorem altioremque christianam eorum fecunditatem et ecclesialem posseque certo quodam sensu experiri Virginis Matris Mariae beatitatem: « Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui » *(Lc* 1, 42).

Adolescentibus autem huius aetatis dicimus: estote vos Spiritus voci dociliores; sinite imo in animo appellationem Christi Domini resonare; sentite super vos amantes Iesu oculos studioseque respóndete propositis illius plenae sequelae.

Respondet quidem Ecclesia huic gratiae per officium quod sacerdotes sibi sumunt ut perficiant permanentem illam formationem quam dignitas et munus flagitant Ordinis sacramento collata. Universi vocantur presbyteri ut agnoscant peculiarem urgentemque necessitatem suae educationis hoc tempore: etenim nova evangelizatio eget novorum evangelizandum, qui scilicet sunt sacerdotes qui sese obstringunt ut suum compleant veluti iter proprium ad sanctitatem.

Promissum Dei eo spectat ut Ecclesia provideat non cuiuslibet generis pastores verum pastores « secundum cor suum ». Dei autem cor nobis patefactum est penitus in Christi boni Pastoris corde. Illud porro Christi cor etiam hodie misereri pergit multitudinum eisque panem praebere veritatis, panem amoris ac vitae (cf. *Mc* 6, 30ss.) et velut omnino in aliis pariter palpitare cordibus, nempe presbyterorum: « Date illis vos manducare » *(Mc* 6, 37). Necesse est homines exeant de obscuritate et timore; agnoscendi sunt nomineque vocandi ut securi per vitae semitas ambulent, ut denuo inveniantur si perierunt, ut diligantur, ut salutem consequantur velut supremum amoris Dei munus: haec ipsa singula efficit Iesus Pastor bonus; ille ac presbyteri cum eo.

At nunc finem Nos huius Adhortationis facientes respicimus numerum eorum qui sacerdotium affectant, sacrorum alumnorum et sacerdotum qui omnibus in orbis partibus, in condicionibus usque difficilioribus quin immo nonnumquam terrificis ac semper laeto in labore fidelitatis erga Dominum et indefesso ministerio ipsius gregis, suam cotidie vitam offerunt in fidei augmentum et spei et caritatis intra animos ipsamque historiam virorum ac mulierum nostri temporis.

Carissimi sacerdotes, vos hoc facitis quandoquidem Dominus ipse Spiritus sui virtute vos vocavit ut in vasibus fictilibus simplicis vestrae vitae thesaurum demonstretis inaestimabilem ipsius amoris ut boni Pastoris.

Una Nos cum synodalibus Patribus et pro cunctis totius orbis et omnis ecclesialis communitatis episcopis maximam testamur aestimationem quam vestra fidelitas ministeriumque vestrum merentur.[233]

Et dum vobis omnibus gratiam illam exoptamus ut cotidie Dei donum per impositionem manuum receptum renovetis (cf. *2 Tim* 1, 6), ut solacium experiamini profundae amicitiae quae cum Christo coniungit et sociat inter vos, ut percipiatis gaudium gregis Dei semper crescentis ad maiorem usque amorem erga eum omnemque hominem, ut excolatis serenam certitudinem ipsum « Qui coepit in vobis opus bonum » *(Phil* 1, 6), id perfecturum esse usque in diem Christi Iesu, vobiscum interea cumque unoquoque vestrum preces adhibemus Mariae nostri sacerdotii matri et altrici.

Omnis species formationis sacerdotalis referri potest ad Beatam Virginem Mariam, quae melius ceteris humanis Deo vocanti respondit; quae ancilla ac discipula Verbi ita est facta, ut animo et corpore suo Verbum hominem factum conceperit, quo donaret genus humanum; quae ipsa vocata est ad educandum unicum aeternum que Sacerdotem, eundemque docilem factum matrisque auctoritati subditum. Suo exemplo ac intercessione beatissima Virgo et pro vocationibus fovendis et pro sacerdotibus in Ecclesia confirmandis vigilare pergit.

Cf. *Propositio* 40.

Quapropter vocamur nos presbyteri ut devotionem in Virginem Mariam firmam amoris plenam in nobis augeamus, eamque imitatione illius virtutum et multa prece testemur.

Mater Iesu Christi et Mater sacerdotum,
hoc accipe nomen quod Tibi tribuimus,
ut maternum munus tuum celebremus
et Sacerdotium Filii tui tuorumque horum filiorum
contemplemur apud Te,
Sancta Dei Genetrix.

Mater Christi,
Messiae Sacerdoti propter Sancti Spiritus unctionem
corpus carneum tradidisti
ut pauperes et contriti corde salvi fierent;
tuere in corde tuo et in Ecclesia sacerdotes,
Mater Salvatoris.

Mater fidei,
Filium hominis comitata es ad templum
qui promissa Patribus facta impleret;
trade Patri gloriae eius causa
sacerdotes Filii tui,
Foederis Arca.

Mater Ecclesiae,
inter discipulos in Cenáculo
pro Populo eiusque Pastoribus rogabas;
impetra presbyterali ordini
plenitudinem donorum,
Regina Apostolorum.

Mater Christi Iesu,
primordiis vitae eius
eiusque muneris cum Eo eras,
Eum quaesivisti Magistrum
in media hominum turba,
Ei adfuisti a terra sublevato,
consumpto propter unum aeternumque sacrificium,
quam prope erat Ioannes, filius Tibi traditus;

eos accipe, qui ab initio vocati sunt,
eorum auctum protege,
Comitare in vita et in ministeriis,
filios tuos,
Mater sacerdotum.
Amen!

Datum Romae, apud S. Petrum, die xxv mensis Martii, in sollemnitate Annuntiationis Domini, anno MCMXCII, Pontificatus Nostri quarto decimo.

IOANNES PAULUS PP. II

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

DECRETUM

De doctrina et usibus particularibus consociationis cui nomen « Opus Angelorum ».

Litteris diei 1 Decembris 1977 Sedi Apostolicae missis, Cardinalis Ioseph Höffner, Archiepiscopus Coloniensis et Praeses Conferentiae Episcopalis Germaniae, examen circa sic dictum *Opus Angelorum (Engelwerk)* eiusque doctrinas et usus particulares, ex praesumptis revelationibus privatis Dominae Gabrielae Bitterlich provenientes, petivit.

Examine peracto, speciatim de scriptis supra dictas doctrinas continentibus, Congregatio pro Doctrina Fidei Em.mo Praesuli, litteris diei 24 Septembris 1983, communicavit sequentes decisiones a Summo Pontifice in Audientia 1 Iulii iam approbatas (cf. *AAS* LXXVI, [1984] 175-176):

1. Opus Angelorum in promotione devotionis erga Sanctos Angelos obtemperare debet doctrinae Ecclesiae necnon SS. Patrum et Doctorum.

Peculiariter non diffundet intra sua membra et intra fideles talem cultum Angelorum qui « nominibus », ex praesumpta revelatione privata (Dominae Gabrielae Bitterlich attributa) cognitis, uteretur. Nec iisdem nominibus in orationibus quibuscumque a commmunitate adhibitis uti licebit.

2. Opus Angelorum a suis membris non expetet neque iisdem proponet sic dictam silentii promissionem (« Schweige-Versprechen »), etsi legitimum sit circa res internas Operis Angelorum aequam discretionem servare quae membris Ecclesiae Institutorum decet.

3. Opus Angelorum eiusque membra omnes normas liturgicas stricte observabunt, speciatim quae ad Eucharistiam spectant. Hoc valet praecipue quoad sic dictam « Communionem expiatoriam ».

Deinceps Congregatio pro Doctrina Fidei potuit examinare alia scripta ab eodem fonte provenientia et certior facta est circa praecedentes suas decisiones non esse datas eorrectam interpretationem et exsecutionem.

Examen horum scriptorum confirmavit iudicium, quod praecedentibus decisionibus subierat, id est, angelòlogiam propriam *Operis Angelorum* et aliquos ex ea derivantes usus alienos esse a ^Scriptura necnon a Traditione,[1] ac proinde non posse fundamentum praestare spiritualitati et activitati Associationum ab Ecclesia approbatarum.

Unde Congregatio pro Doctrina Fidei necessitatem sensit denuo proponendi has decisiones cum sequentibus normis complémentariis.

I. Theoriae provenientes ex praesumptis revelationibus Dominae Gabrielae Bitterlich de mundo angelorum, de eorum nominibus personalibus, coetibus et functionibus non possunt nec doceri nec ullo modo adhiberi, sive explicite sive implicite, in organizatione vel structura operanti (« Baugerüst ») Operis Angelorum, sicut et in cultu, in orationibus, in formatione spirituali, in spiritualitate publica vel privata, in ministerio et apostolatu. Eadem valet dispositio pro quolibet alio Instituto vel Associatione ab Ecclesia approbatis.

Usus et divulgatio librorum vel aliorum scriptorum, praedictas theorias continentium, vetantur sive intra sive extra Associationem.

II. Prohibentur variae formae consacrationis angelis (« Engelweihen »), quae in Opere Angelorum adhibentur.

III. Praeterea, prohibetur sic dicta administratio sacramentorum a longe (« Fernspendung »), sicut et in liturgia Eucharistica et in liturgia Horarum insertio textuum, orationum vel rituum, quae directe aut indirecte referuntur ad praedictas theorias.

IV. Exorcismi possunt adhiberi tantum ad normas et disciplinam Ecclesiae in materia, formulas ab ipsa approbatas adhibendo.

V. Delegatus specialibus munitus facultatibus, a Sancta Sede nominatus, comprobabit et urgebit, verbo facto cum Episcopis, applicationem normarum supra.statutarum. Idem operam dabit ad declarandas et ordinandas relationes inter Opus Angelorum et Ordinem Canonicorum Regularium Sanctae Crucis.

Hoc Decretum, in Conventu ordinario huius Congregationis deliberatum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, in Audientia infrascripto Cardinali Praefecto concessa, approbavit et publici iuris fieri iussit.

Romae, ex Aedibus Congregationis pro Doctrina Fidei, die 6 Iunii 1992.

IOSEPH card. RATZINGER, *Praefectus*

& Albertus Bovone
archiep. tit. Caesarien. in Numidia, *Secretarius*

[1] Cf. Benedictus PP. XIV, *Doctrina de Beatificatione Servorum Dei et de Canonizatione Beatorum,* Lib. IV, Pars II. cap. XXX, *De Angelis et eorum cultu,* Venetiis 1777.

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

i

PERUSINA seu TRECEN.

DECRETUM

Canonizationis ven. Servae Dei Franciscae Salesiae Aviat (in saec.: Leoniae), Confundatricis Congregationis-Sororum Oblatarum S. Francisci Salesii (1844-1914).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilis Serva Dei Francisca Salesia Aviat, die 16 mensis Septembris anno 1844 in oppido *Sézanne* orta, intra fines dioecesis Catalaunensis, optima est educatione instructa in ephebeo Monasterii Visitationis Trecensis. Recusato matrimonio, cum statuisset se Deo consecrare, adiuvavit P. Aloisium Brisson in Congregationis fundatione Sororum Oblatarum Sancti Francisci Salesii, eo consilio, ut puellis operariis adesset, iis praesertim quae in textrinis operabantur maximeque in periculis versabantur gravioribus. Opus hoc valde auctum est etiam extra Europam et socialem religiosamque explicavit navitatem peropportunam ac beneficentissimam. Venerabilis Serva Dei, quae vota nuncupaverat die 11 mensis Octobris anno 1871, cum fidelitate ex sua consecratione vixit et, cum proposuisset in ceteros reddendos felices incumbere, studio ac perseverantia operibus se dedidit, filiabus suis spiritalibus formandis, coniunctioni cum Deo, vitam activam temperans cum contemplativa. Abolitis in Gallia Congregationibus religiosis, anno 1904 cum Domo principe et novitiatu domicilium Perusiae collocavit, ubi die 10 mensis Ianuarii anno 1914 mortem obiit sancta existimata.

Causa canonizationis inita (anno 1929) apud Curiam archiepiscopalem Perusinam et processibus ordinariis informativis celebratis, die 9 mensis Aprilis anno 1957 est decretum promulgatum super Causae introductione. Deinde celebrati sunt processus apostolici, quorum auctoritas est die 14

mensis Ianuarii agnita anno 1967. Felici cum exitu sunt a Theologis inspectae virtutes et calendis Decembribus anno 1978 Summus Pontifex Ioannes Paulus II edixit Matrem Franciscam Salesiam Aviat heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Ad Servae Dei Beatificationem consequendam Causae Actores ad Congregationem de Causis Sanctorum miram retulerunt adsertam sanationem, eius intercessione tributam, Vincentii Kesner, postridie nonas Ianuarias nati anno 1963. Puer hic nullo umquam notabili morbo erat correptus, donec mense Ianuario anno 1975 apparuit in cubitu dextro massa subrotunda, quae gradatim aucta est, quoad molem ovi exaequavit (mense Iulio anno 1975). Cum etiam dolores exorti essent et cubitus flexio esset imminuta, deductus est in valetudinarium Civitatis Capitis, in re publica Africae Australis sitae, ubi est sectus (die 24 mensis Iulii) ad massam resecandam, quae, exploratione histológica facta, esse sarcoma synoviale patuit. Duobus post mensibus massa, quae cubitum affecerat, rursus comparuit: quam ob rem puer iterum est in valetudinarium deductus et mense Octobri exeunte denuo sectus est. Fieri deinde coepit curatio in medicabulo radiotherapica. Principio aliqua salubris mutatio animadversa est, sed post octavam applicationem denuo cicatrix est rupta: vulnus foetorem exhalabat et aegrotus doloribus valde ingemiscebat. Eodem tempore generalis condicio deterior patefacta est cum nausea et asthenia. Hinc est partis aegrae adhibita curatio ad dolorem mitigandum et ad cutis plagam reparandam.

Cognita casus gravitate et scientiae medicae inanitate, die 22 mensis Ianuarii anno 1976; quaedam Sorores Oblatae Sancti Francisci Salesii una cum aegroto eiusque familiaribus novem dierum supplicationes inierunt, divinum interventum invocantes per intercessionem Venerabilis Servae Dei Franciscae Salesiae Aviat, cuius reliquiae in brachio aegro positae sunt. Post duos tresve dies liquor purulentus et dolor defecerunt ac die sexto inventum est vulnus esse plene sanatum et cubitus lentitudinem in antiquum statum restitutam. Subsequentes recognitiones in lucem protulerunt sanationem fuisse perfectam et mansuram.

De asserta mira sanatione apud Curiam archiepiscopalem Civitatis Capitis annis 1977-1979 instructus est processus canonicus, cuius auctoritas est agnita per decretum die 3 mensis Decembris anno 1982 proditum. Est postea casus spectatus apud Congregationem de Causis Sanctorum.

Consilium Medicorum ter hunc inspexit. In ultima sessione diei 2 mensis Maii anno 1991 hanc declaravit diagnosim: « Sarcoma synoviale cubitum dextrum afficiens cum radiodermitide acuta »; de prognosi dixit: « quam maxime suspensa quoad vitam, quod attinet ad tumorem; quam

maxime suspensa quoad valetudinem quod attinet ad radiodermitidem »; quod ad modum sanationis spectat hoc est elocutum: «sanatio a tumore perfecta et mansura; sanatio a radiodermitide celérrima, perfecta, sine reliquiis anatomicis ad perfunctionem membrorum pertinentibus: sanatio perfecta et definitiva a tumore potest causis naturalibus declarari; sanatio perfecta et celérrima e gravi morbo a radiis est pro natura inexplicabilis ».

Die 27 mensis Septembris anno 1991 est actus Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, Antonio Petti, Fidei Promotore, praesidente; die 10 insequentis mensis Decembris effecta est in Vaticano Congregatio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Gagnon. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de praefatis rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super eadem mira sanatione decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Serva Dei Francisca Salesia Aviat, videlicet de celérrima, perfecta ac duratura sanatione pueri Vincentii Kesner e gravi morbo a radiis.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum idem Summus Pontifex referri praecepit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

EB Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

II

ROMANA seu FLAVIOBRIGEN.

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Gerardi a Sancto Francisco (in saec.: Francisci Sagarduy Salazar), coadiutoris professi Congregationis Passionis Iesu Christi (1881-1962).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus; nam et Filius hominis non venit, ut ministraretur ei, sed ut ministraret et daret animam suam» *(Me* 10, 44). Haec Divini Magistri verba claram vitae rationem designant iis omnibus christianis, qui eius volunt persequi vestigia, humilitatis et servitii fratribus praestiti evangelicum nuntium ad effectum adducendo. Sine ostentatione et sine ulla inutili iactantia, rationem illam ad verbum secutus esse videtur Dei Servus Gerardus a S. Francisco, Coadiutor professus C. P., omnium servus factus in frequenti religiosa communitate plus quinquaginta annos, solum vehementi supernaturali spiritu impulsus.

Ortus est Servus Dei die 15 mensis Februarii anno 1881 in parvo Vasconico vico *Zollo* denominato, tum in Victoriensi, nunc vero in Flaviobrigensi dioecesi sito, a coniugibus Antonio Sagarduy et Caietana Salazar, agricolis industriis et simplicibus. Eodem die quo natus, est etiam baptizatus, nomine capto Francisco, et paulo plus duorum annorum, die 6 mensis Septembris anno 1883, confirmationem accepit. Domi sedula et effectiva. est religiosa formatione instructus, praesertim exemplis nisa, dum avunculus, qui magister erat, doctrinae rudimentis illum erudiebat, quamvis puerum ad studia parum proclivem notaret.

Quindecim annos natus Franciscus matre est orbatus et septimum decimum annum agebat cum ad recessum Passionis prodiit, ut tamquam Frater coadiutor acciperetur, cum statuisset ad Domini vocationem responde-

re. Congregationis Passionis vestem induit die 26 mensis Iunii anno 1899, sumpto nomine Fratre Gerardo a Sancto Francisco, initium novitiatus faciens. Eo die Sancti Martyres Romani celebrabantur Ioannes et Paulus, apud quorum sepulcrum in Urbe Servus Dei fere totam erat vitam acturus. Die 27 mensis Iunii anno 1900 Frater. Gerardus, pro temporis iure, professionem fecit perpetuam, ad consueta vota religiosa proprium Congregationis addens, propagandi nempe in fidelium cordibus « gratam Passionis memoriam », secundum Regularum et Constitutionum praescriptum.

A primo, recessui Corellae (in Navarra) attributus est, paulo ante condito, ut ibi iuvenili cum alacritate et fervore omnibus fungeretur muniis fratrum Coadiutorum propriis. Mense Iulio anno 1902 Beatus Bernardus M. Silvestrelli a Iesu, Congregationis Passionis Praepositus Generalis, cum in Hispaniam se contulisset ut Capitulo Provinciali praesideret, verecundum illum iuvenem Coadiutorem animadvertit et Romam arcessivit, ut in ministerio esset Domus Generalitiae Sanctorum Ioannis et Pauli in Caelio monte. Frater Gerardus ibi totum mansit longae vitae suae reliquum tempus.

Servus Dei in condicionem prorsus spiritalem communitatis Caelimontanae mersit, moderante Beato qui est supra commemoratus et exemplo stimulante aliorum clarorum Servorum Dei, qualis fuit P. Germanus Ruoppolo, Sanctae Gemmae Galgani magister spiritus. Austera Regula Sancti Pauli a Cruce ex toto observabatur, cum sueto spiritu deprecationis, paupertatis et solitudinis. Creberrima ieiunia, nocte e lectulo surgere ad Matutinum recitandum et Laudes, nonnisi crepidatos incedere etiam hiemis tempore, calefactionis privatio aliaeque monasticae paenitentiae summam efficiebant vitae Congregationis Passionis, quam fratres Coadiutores integre sequebantur, qui plerumque in recessibus manebant, iis exceptis, qui in stipem colligendam incumbebant. Servus Dei primum ad sacrarium destinatus est basilicae Sanctorum Ioannis et Pauli, sed diu perferre non potuit laboris magnitudinem et Regulae austeritatem propter imbecillam corporis constitutionem. Ad annum 1907 apparuerunt in eo perturbantia signa phtisis laterum; qua re ad recessum Neptuniensem missus est ut morbo curationem adhiberet et quietem caperet, apud tumulum puellae Martyris Sanctae Mariae Goretti. Sanitas optima fuit et mansura; itaque, Romam reversus, Frater Gerardus est ianitoris muneri destinatus, quod ab anno 1908 ad annum 1956 sustinuit.

Et sane in diligenter et accurate hoc officio tuendo Frater Gerardus nomen meritus est « Sanctorum Ioannis et Pauli ostiarium sanctum ». Considerandum est communitatem generalitiam Congregationis Passionis numerum explevisse fere religiosorum et hospitum etiam centum et triginta, quan-

doquidem Curia Generalis complectebatur communitatem stabilem basilicae curam habentem et apostolatus, sacerdotes Studiorum Universitates frequentantes, qui ex quinque Continentibus adveniebant, clericos professos curriculi theologici et denique sacerdotes et religiosos in adiuncta domo Exercitationum meditationumque spiritalium versantes. Per integrum igitur diem Servus Dei saepissime ad ianuam appellabatur, ad telephonium et ad omnes casus promptus esse debebat. Praesertim primis longi sui servitii decenniis, cum deerant hodierna communicationis socialis instrumenta, Frater Gerardus compluries in die emetiri debebat andrones et scalas, ut religiosos reperiret qui exquirebantur ad colloquendum in locutorio vel ut nuntios afferret scriptus aut per telephonium acceptos. Omnes simplicitatem, humanitatem, patientiam et affabilitatem admirabantur, quibus Dei Servus suum exsequebatur officium, exprimens in se verba cara Sancto Paulo a Cruce, id est oportere ostiarium esse debere veluti communitatis sodalium a Passione Christi speculum.

Processus Canonici testes una voce affirmant Servum Dei impenso spiritu supernaturali inflammatum apparere, e fontibus hausto meris assiduae precationis et pietatis eucharisticae ac marialis. Namque Frater Gerardus multo mane diem suum inchoabat multis Missis inserviendo in conclavi-aedicula ubi mortuus est Sanctus Paulus a Cruce, apud cellam ianitoris, et manifesto cum fervore Sanctam Communionem accipiendo. Deinde grave suum officium explere incipiebat numquam consuetam deserens meditationem et modestum ac pudentem corporis motum. Cum vacabat, semper conspectus est marialis coronae glóbulos precando meditandoque volvere, quam a cinctura suspensam portabat, sistens etiam in aedicula quam supra memoravimus, sed paratus et promptus ad accurrendum cum ostii tintinnabulum tinniebat vel telephonium.

In brevi prandii et cenae intervallo, cum post communitatem ederet, reliquiis contentus erat quas in culina inveniebat, interdum vel frigidis. Tot annos in eiusmodi munere perseverare inque talibus spiritus condicionibus non est communis virtutis proprium, sed aperte ostendit heroum animum, quem multi testes, fratres sodales, sacerdotes et laici annotabant.

Omnia vehemens incitabat fides theologalis, quam Servus Dei a familia quasi pretiosam hereditatem acceperat, sed tamen potissimum auxerat sua ad divinam vocationem responsione, per quam vitae suae cupiditatumque suarum Deum et caelestia caput habebat. Eucharistiae et Passionis mysteria maxime meditabatur et cotidie avebat, cum aspectabilibus indiciis animi elationum in tabernaculum et in Crucifixum. Eadem haec fides erat, qua impellebatur ad consistendum ante Mariae Sanctissimae imagines, in

quas incidebat in andronibus et in scalis amplae Domus generalitiae. Eius tranquillitas et aequabilitas, quae tantum testes affecerunt, ex eius intima cum Deo coniunctione oriebantur. Rerum terrestrium neglectio et despectus supernaturalem ostendebant spem, insitam sedulae responsioni gratiae vocationis ad vitam consecratam et in dies auctam per longae vitae perseverantiam.

Divina caritas Servi Dei Fratris Gerardi animam perfundebat, qui non ob aliam vivebat causam, nisi ob Dominum Iesum et eius divinae voluntatis exsecutionem, quam in omni vitae eventu agnoscebat. Propter eandem divinam caritatem Servus Dei sensit se proximo arcte coniunctum, in quo semper Christi imaginem vidit. Eam ob rem omnium factus est servus in laeta gravis muneris sui effectione, aequabiliter omnibus sub veniens. Abstinentem et officiosam eius caritatem experti sunt superiores et fratres sodales Domus generalitiae, multi hospites Domus spiritalibus exercitationibus peragendis et quotquot, tam longo temporis spatio, recessus Sanctorum Ioannis et Pauli fores pulsaverunt. Sed praesertim per duo bella totius orbis terrarum (annis 1915-1918 et 1940-1945 gesta) eius effulsit caritas industria et effectiva. Quotidie fere ad ostium recessus concurrebant pauperum catervae, qui exspectabant suam posse famem explere iucunda illa sorbitone, quam Frater Gerardus optime praeparabat, et obsonio, quod inexplicabiliter colligere valebat. Sed cum pane caritatis non deerat adhortatio ad bene agendum, nec opportunitas brevem deprecationem dicendi, sicut ante distributionem accidebat. Omnia subrisio condiebat continua Servi Dei, eius modestia et comitas.

Etiam virtutum cardinalium et votorum religiosorum exercitationem singularem Servus Dei in innumerabilibus vitae casibus ostendit, qui semper consentaneus fuit iis, quae intus credebat et ardenter profitebatur.

Minime conspicuus, fratribus sodalibus et extraneis factus est exemplar et virtutum magister, comprobans se esse « hominem Dei et religiosum perfectum ».

Procedentibus annis Servi Dei valetudo ineluctabiles passa est imbecillitates, adeo ut anno 1956 Superiores astricti sint Fratrem Gerardum ostiarii officio liberare. Servus Dei, quamvis in se hac re doleret, aequo animo hoc consilium accepit, arctiusque se cum Domino coniunxit in deprecatione atque in meditatione. Ineunte anno 1962 Frater Gerardus femur fregit, perrupti artus vitiis periclitans, uti praevideri poterat. In valetudinarium deductus « Calvary Hospital » appellatum, a Sororibus Parvae Societatis Mariae rectum, omnibus acceptis sacramentis in Domino obdormivit die 29 mensis Maii anno 1962. Unum et octogesimum aetatis annum transgressus

erat et professionis religiosae duos et sexaginta. Est primo in coemeterio Romano *Verano* vocato sepultus, sed anno 1976 eius corpus est in Hispaniam translatum et in ecclesia sacrarum virginum Congregationis Passionis Flaviobrigensium collocatum.

« Ianitoris sancti » fama durante et crescente, annis 1981-1983 instructi sunt processus cognitionalis Romanus et rogatorialis Flaviobrigensis, compluribus interrogatis testibus et collectis magni momenti instrumentis inspectis. Apparata necessaria *Positione super Virtutibus* die 7 mensis Maii anno 1991 Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris est actus, praesidente Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore. Patres Cardinales postea et Episcopi, in Congregatione Ordinaria collecti die 19 mensis Novembris eodem anno, Causae Ponente seu Relatore Exc.mo Domino Paulino Limongi, Archiepiscopo titulari Nicaeensi in Haemimonto, Servum Dei Gerardum a Sancto Francisco virtutes théologales, cardinales et adnexas heroum in modum exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Gerardi a Sancto Francisco (in saec.: Francisci Sagarduy Salazar), coadiutoris professi Congregationis Passionis Iesu Christi, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. 83 S.

ES Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

III

SANCTI IACOBI in CHILE

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Alberti Hurtado Cruchaga, sacerdotis professi Societatis Iesu (1901-1952).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Ecclesia, insimul coetus adspectabilis et communitas spiritualis, una cum tota humanitate incedit eamdemque cum mundo sortem terrenam experitur, ac tamquam fermentum et veluti anima societatis humanae in Christo renovandae et in familiam Dei transformandae exsistit » (CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 40).

Ad humanam societatem in Dei familiam transformandam efficaciter contulit etiam Pater Albertus Hurtado Cruchaga, qui vitae suae exemplo cum evangelio congruenti suaque apostolica industria lucem et caritatem Christi in Chiliensem populum diffudit, pro iuvenibus praesertim, pauperibus et operariis.

Natus est Servus Dei die 22 mensis Ianuarii anno 1901, in oppido *Viña del Mar* (in Chilia) ab Alberto Hurtado Larraín et Anna Cruchaga Tocornal de Hurtado, et, biduo post, baptismum recepit nominibus impositis Aloisio Alberto. Illum nondum quinquennem patre orbatum educandum optima mater curavit, quae, aere alieno compulsa, bonis familiaribus venditis, una cum filiis, Iacobopolim Chiliae commigravit ibique apud fratrem domicilium instituit. Ibi, Servus Dei, annua pensione, quae studiorum causa ei praebebatur usus, ab anno 1909 ad annum 1917, alumnus fuit Collegii S. Ignatii, in quo praecipue sua eminuit bonitate, proximum adiuvandi studio et disciplinae observantia. Mense Augusto anno 1910 prima vice Panem eucharisticum sumpsit et subsequenti mense Octobri sacramentum accepit Confirmationis. Exinde frequenter ad Eucharistiae et Paenitentiae accessit sacramenta, assidue colens pietatem.

In paroecia miserrimi suburbii Sancti Iacobi in Chile, Congregationi Marianae se adiunxit ac pauperibus iuvandis operam navavit. Interea, post attentum divinae vocationis examen cum auxilio P. Ferdinandi **Vives** Soler, S.I., peractum, statuit ingredi Societatem Iesu, sed ei suasum est ut antea studia ad finem adduceret. Anno 1918 nomen dedit Facultatibus Legum et Scientiarum Politicarum apud Universitatem Catholicam Chiliensem, cum tamen tempore postmeridiano et vesperi laboraret ut familiae auxilio esset simulque versari pergeret in apostolatu apud pauperes. Iuris diploma consecutus, die 24 mensis Augusti anno 1923 intravit in Societatem Iesu, in qua, novitiatu peracto, professionem religiosam fecit, die 15 mensis Augusti anno 1925. Cordubae in Argentina Iunioratum peregit (annis 1925-1927), deinde missus est Barcinonem in Hispania ut in Collegio Sarriacensi Sancti Ignatii philosophiae studeret (annis 1927-1931), et Lovanium ut theologiae ac paedagogiae operam daret.

Cum cura et profectu studiis se dedidit et suae formationi, perseveranter quidem et magna cum auxilii divini fiducia, quod obtinere nitebatur deprecatione, Deo et Superioribus oboedientia, erga Sacrum Cor et Virginem Mariam pietate. Die 14 mensis Augusti anno 1933 est ordinatus sacerdos et die 10 mensis Octobris anno 1935 est doctoris paedagogiae dignitatem et nomen adeptus. In Chiliam reversus (anno 1936), religionis fuit professor, alumnorum magister spiritus et Congregationis Marianae rector in Collegio S. Ignatii in urbe Iacobopoli; docuit etiam paedagogiam in Universitate Catholica atque in Seminario Pontificio; libros composuit et scripta confecit; exercitationes meditationesque spiritales praestitit; pietatem eucharisticam et marialem excitavit; vocationes excivit sacerdotales; multas insumpsit horas Confessionum sacramentalium ministerio incumbens. Ab anno 1941 ad annum 1944 magno cum fervore laboravit etiam in Actione Catholica Chiliensi, primum tamquam subadiuva archidioecesanus et postea tamquam iuvenum subadiuva nationalis, quos informare conatus est ad solidam spiri tali tatem, in universali Christi principatu positam, necnon ad conscientiam societatis, eos praeparans ad officia rem publicam contingentia.

Quoniam dissensiones ortae erant cum Assessore Generali Actionis Catholicae de apostolatum agendi ratione apud iuvenes, suum deposuit munus et consociationem reliquit. Ut pauperes hospitio acciperet, adiuvaret et reficeret, magnum Opus instituit « *Hogar de Cristo* » appellatum (anno 1944), eodemque tempore Fraternitatem cum illo coniunctam, cuius vitae spiritalis propria erant plena Deo per pauperes donatio et vota privata oboedientiae, paupertatis et castitatis. Pro operariis condidit (anno 1947) « *Acción*

Sindical Chilena », quae dicebatur, quaeque in provincia laboris ordinem christianum instaurare intendebat.

Anno 1951 fundavit commentarium « *Mensaje* » appellatum, indolis religiosae, socialis, philosophicae, qui ultimum eius inceptum fuit. In his omnibus operibus Pater Albertus non ad aliud spectavit, nisi ad maiorem Dei gloriam, ad Christi regni incrementum atque ad animarum bonum, quibus multa cum alacritate, perseverantia et sacrificii spiritu servivit, iis solis usus opibus, quae evangelio consentaneae essent et officio sacerdotali.

Vehemens eius et multiplex industria apostolica, sicut ex fonte aqua, ex plena manabat fidelitate erga propriam vocationem et ex impensa vita interiore. Servus Dei enim eminenti fidei virtute instructus erat eamque in societate temporis sui disseminavit. Ut autem ceteris lumini esset, suum esse animadvertit cotidie in coniunctione crescere cum luminis fonte, nempe cum Domino Iesu. Idcirco maximi fecit Dei verbi meditationem, piam Missae celebrationem, deprecatiönem, pietatem eucharisticam et marialem, votorum religiosorum observantiam et regulae, cui se dederat. Ipsae actiones apostolicae, quas semper explicavit in communione cum hierarchia ecclesiastica et secundum Romanorum Pontificum normas, splendidum fuerunt testimonium fidei et efficax via qua ipse in Christi imitatione progrederetur, gregis boni pastoris. Ex tota mente, ex toto corde et ex totis viribus Deum amavit, utque ei placeret diligenter cavebat ut quam optime divinam faceret voluntatem et ad hoc consequendum saepe secum quaerebat: « Quid Christus loco meo ageret? ». Domini Iesu exemplum secutus et doctrinam, industriam et sedulam habuit caritatem in proximum, quem operibus adiuvit tum ad corpus pertinentibus tum ad spiritum. Cura quam adhibuit in auxilio pauperibus praebendo, in iuvenum christiana formatione fovenda, inque fermento evangelico ferendo in regionem laboris et culturae, testabatur quantum progressionem socialem et religiosam populi sui sentiret. Praedicavit et coluit erga Deum et homines iustitiam; personae humanae dignitatem defendit, bonorum terrae partitionem ominatus est, ut omnibus opportunitas daretur evolvendi facultates suas et vita sua caelestem Patrem glorificandi. Cum prudentia, fortitudine et humilitate non pauca incommoda obiit et falsas interpretationes, quae ex ardenti eius apostolatu proficiscebantur et ex amore erga Ecclesiae doctrinam socialem.

Morbo insanabili correptus, singulari cum tranquillitate et patientia progredientem tulit corporis hebetationem, quoad pie exstinctus est die 18 mensis Augusti anno 1952, vesperi, fratribus sodalibus et amicis adstantibus, qui eum sanctum habebant.

Sanctitatis fama, qua est in vita fruitus quaeque se indicavit in sollen^ nibus exsequiis, mansit et firmata est sequentibus annis; quam ob rem Archiepiscopus Iacobopolitana statuit canonizationis Causae initium facere. Sanctae Sedi obtento permissu, ad normam M. P. « Sanctitas Clarior » celebratus est apud Curiam Iacobopolitanam processus cognitionalis annis 1977-1982, cui additi sunt processus rogatoriales Romanus (anno 1980 actus) et Mechliniensis-Bruxellensis (anno 1980 celebratus). Horum processuum auctoritas et vis agnita est per decretum die 17 mensis Februarii anno 1984 proditum. Positione apparata, sunt iuxta normas inspectae virtutes. Die 8 mensis Martii anno 1991, secundo cum exitu, factus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, praesidente Fidei Promotore Domino Antonio Petti. Patres Cardinales postea et Episcopi, in Congregatione Ordinaria collecti die 5 mensis Novembris eodem anno, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Martínez Somalo, Patrem Albertum Hurtado Cruchaga virtutes théologales, cardinales et adnexas heroum in modum exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Alberti Hurtado Cruchaga, Sacerdotis professi Societatis Iesu, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. 83 S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

IV

TOKIENSIS seu TAURINENSIS

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Vincentii Cimatti, sacerdotis professi Societatis Sancti Francisci Salesii, iam praefecti apostolici Miyazakensis (1879-1965).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Venient ab oriente et occidente et aquilone et austro et accumbent in regno Dei » *(Lc* 13, 29), quandoquidem ipse Deus « vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » *(1 Tim* 2, 4). Ad hunc finem consequendum Dominus Iesus Ecclesiam instituit, munus ei concredens lumen veritatis et gratiae vitam omnibus populis omnibusque hominibus perferendi.

In eos qui ardore eminuerunt, quo Ecclesiae muneri evangelizandi interfuerunt, ascribendus est sacerdos Vincentius Cimatti, qui plene Christo operam navans, hunc est testificatus suarum virtutum altissimo gradu ac sui apostolatus fervore.

Servus Dei, Faventiae, in suburbio sermone patrio appellato *Borgo Durbecco* ortus est, die 15 mensis Iulii anno 1879 a Iacobo Cimatti et Rosa Pasi, legitimis coniugibus, divitiis quidem egenis, sed probitate instructis et fide. Ante illum quinque nati sunt fratres et sorores, ex quibus Dei Serva Maria **Raphaela,** Soror Hospitalaria a Misericordia (f 1945), et Aloisius, Salesianus laicus, in terra missionum mortuus (t 1927). Ei tres annos nato, postquam est patre orbatus, Providentia spectandum praebuit sacerdotem Ioannem Bosco, qui Faventiae erat Salesianos visuras. Ipse Dei Servus narra vit piam matrem suam sibi in manibus gestato dixisse: « Aspice reverendum dominum Bosco ». Illius Sancti imago in eius memoria insculpta mansit et reliquo vitae Sanctum Ioannem Bosco contemplatus est, ut in Dei animarumque amore eum imitaretur: idque egregie assecutus est.

Anno 1888 ingressus est ephebeum Salesianum suae urbis et, consilio capto ut in Societate Sancti Francisci Salesii sacerdos fieret, Augustae Taurinorum suam est persecutus formationem, magnam semper ostendens pietatem, disciplinae spiritum, peculiarem ad studia propensionem et voluntatem continenter in christianae perfectionis via progrediendo eius enim propositum fuit: « Volo quacumque ratione sanctus fieri, magnus sanctus, celeriter sanctus ». Die 4 mensis Octobris anno 1896 perpetuam fecit professionem et die 18 mensis Martii anno 1905 ab episcopo Ioanne Cagherò sacerdos est ordinatus. Interea, dum multis officiis in bonum sodalium Communitatis incumbebat, diploma est consecutus cantuum choricorum (anno 1900), quoniam multo ingenio ad musicam praeditus erat, et apud Studiorum Universitatem Taurinensem doctoris gradum erat adeptus scientiarum naturalium (anno 1903); postea etiam Philosophiae et Paedagogiae est doctor renuntiatus (anno 1906). Sed, ut ipse dixit, maiora appetebat: « Omnes meas laureas darem et diplomata ut dignus essem, qui missionarius fierem ». At vero viginti ferme annos Augustae Taurinorum fuit ei manendum. Variis est muneribus functus, in quibus praefecti disciplinae ac studiorum, professoris, musicae magistri, rectoris oratorii, praesidis scholae ludi magistris instituendis, directoris in domo salesiana ad clericorum formationem promovendam, vulgo *Valsalice* appellata. Omnia exsecutus est munia plena cum alacritate, simplicitate atque aequalitate. Magnopere et continue in fratres sodales inque alumnos valuit, qui eum maximi faciebant ob observantiam et fiduciam qua utebatur erga omnes, propter singularem bonitatem, ardorem, laetitiam et humilitatem ex quibus suam colebat consecrationem Deo, et institutioni atque apostolatui se dedebat.

Eius tandem antiquum optatum est admissum et mense Decembri anno 1925, coetui fratrum sodalium praefectus, missus est in Iaponiam ad novam missionem Miyazakensem, quam Sancta Sedes Societati Salesianae crediderat. Anno 1928 missio facta est « sui iuris » et anno 1935 evecta est ad gradum Praefecturae Apostolicae, cuius Servus Dei est Praefectus Apostolicus nominatus. Ab anno 1925 ad annum 1949 Inspector quoque fuit-Sale-, sianorum Operum in Iaponia. Licet opum penuriae et difficultatibus omne genus esset obnoxius, ad novam condicionem cum impetu, fervore, prudentia et pastorali caritate se accommoda vit, quae eius naturae erant consentanea. Inde a principio Iaponiam dilexit tamquam alteram patriam, ita eius consuetudines moresque induit, ut dicere ei liceret se « Iaponiensem mente et corde » esse factum. Omnibus se magni existimandum praebuit propter alacritatem, spiritum sacrificii ac animi tranquillitatem, quibus in multa laboriosaque opera apostolica incumbebat. Iaponicam linguam didi-

cit, christianorum vitam religiosam fovit per catechesim, praedicationem, sacramentorum participationem, pietatem erga Sacrum Iesu Cor et Mariam Auxiliatricem, consociationum laicarum institutionem. Peculiarem adhibuit curam de pueris iuvenibusque formandis; hospitio condendo favit pro orphanis et senibus; ipse mandatum dedit ut Congregatio Miyazakensis Sororum a Caritate institueretur et eam omni consilio et opera prosecutus est; oratoria aperuit et scholas pro artes profitentibus; seminarium ephebeumque pro vocationibus indigenis et etiam ex terris exteris venientibus provexit; editricem catholicam promovit, novitiatum, novas ecclesias extruendas. Pater fuit sapiens, humilis et officii plenus erga sodales, quibus et exemplo fuit vitae sacerdotalis, Salesianae, missionalis. Filias a Maria Auxiliatrice ad puellarum educationem fovendam in Iaponiam vocavit et sacerdotali ministerio enixissime fuit adiutor. Bonas habuit rationes cum variis auctoritatibus omnibusque est suis usus facultatibus, etiam musicis, ut Christum nuntiaret eiusque evangelium.

Altero inito bello totius orbis potestates Iaponicae omnes superiores ecclesiasticos exteros rogaverunt ut abdicarent virisque cleri indigetis darent locum. Servus Dei, bono missionis consulens, prompte oboedivit et officium Praefecti Apostolici deposuit (anno 1940), deinde sacrum ministerium in civitate Tokiensi explicavit.

Bello ad finem adducto amplam et difficilem operam promovit ut fratrum sodalium et communitatum christianarum vitam religiosam renovaret. Ab anno 1952 ad annum 1962 Ephebei urbis *Chqfu* rector fuit ubi meritis locuples ac solida affectus sanctitatis fama die 6 mensis Octobris anno 1965 pie obiit.

Eius vita continua fuit oblatio Deo sui ipsius, Ecclesiae, Societati Sancti Francisci Salesii, animis, primum in Italia et deinde in Iaponia, solo cum proposito incremento regni Christi omni ope operam navandi. Omnibus omnia fieri officium fuit ei, quod potius ex fide alte servata, ex ardenti in Dominum caritate, ex industrio erga proximum amore, praesertim iuvenes, humiles, pauperes, aegros, peccatores, non christianos, oriebatur quam ex eius indole, sponte naturae magnanima. Utque docilius instrumentum in manibus Dei fieret, se ipsum abnegavit, prompte Domini voluntati ac Superiorum oboedivit, regulam cui se dederat observavit et a sodalibus servandam curavit, quodlibet fugit peccati et vanitatis genus, paupertatem et continentiam magni fecit, patienter crucem tulit sacrificii et difficultatum cotidianarum; ante omnia coniunctionem coluit cum Deo pia Missae celebratione, peccatorum confessione hebdomadali, assidua deprecatione, pietate in Eucharistiam et Virginem Mariam. Christum, magistrum suum, ami-

cum spemque suam suspiciens, firmo incessu viam sanctitatis confecit et est altum perfectionis gradum adeptus.

Eam ob rem sanctitatis fama, quam sibi vivus pepererat, post eius mortem mansit et confirmata est. Idcirco, rogatu Societatis Salesianae Sancti Ioannis Bosco, archiepiscopus Tokiensis dominus Petrus Seiichi Shirayanâgi, canonizationis Causae initium fecit, Sanctae Sedis obtento permissu ad normam M. P. « Sanctitas Clarior ». Ad processum cognitionalem, apud Curiam Tokiensem celebratum annis 1976-1978, additus est processus Taurinensis (anno 1978). Die 22 mensis Ianuarii anno 1982 est decretum promulgatum super scriptis Servi Dei et die 29 mensis Martii anno 1985 decretum de processuum vi et auctoritate. Positionis praeparationi imposito fine, exitu cum secundo die 24 mensis Septembris anno 1991 actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris, cui Promotor Fidei praefuit Rev.mus Antonius Petti. Deinde Patres Cardinales et Episcopi in Congregatione Ordinaria die 10 mensis Decembris eodem anno habita, Causae Ponente Em.mo Agnello Rossi, agnoverunt Servum Dei Vincentium Cimatti heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Vincentii Cimatti, Sacerdotis professi Societatis S. Francisci Salesii, iam Praefecti Apostolici Miyazahensis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum idem Summus Pontifex referri praecepit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

& Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus PP. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 5 Novembris 1991. — Titulari episcopali Ecclesiae Othonensi R. D. Vincentium Nichols, hactenus Secretarium Conferentiae Episcoporum Angliae et Cambriae.

die 7 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Urdanetensi Exc.mum P. D. Salvatorem Galang, hactenus Episcopum titularem Thibiucensem et Auxiliarem Sancti Ferdinandi.

die 11 Ianuarii 1992. — Cathedrali Ecclesiae Hagulstadensi et Novocastrensi R. D. Ambrosium Griffiths ex Ordine Sancti Benedicti, hactenus parochum in civitate Leyland intra fines archidioecesis Liverpolitanae.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Venerdì, 3 **Luglio** 1992, **S. E. il Signor** IVE LIVLJANIC, **Ambasciatore della Repubblica di Croazia presso la Santa Sede.**

Sabato, 11 **Luglio** 1992, **S. E. il Signor** KAZYS LOZORAITIS, **Ambasciatore di Lituania presso la Santa Sede.**

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Venerdì, 3 **Luglio** 1992, **S. E. il Signor** BONIFACE NGURINZIRA, **Ministro degli Affari Esteri del Rwanda.**

Sabato, 4 **Luglio** 1992, **S.** E. **il Signor** GÜNTHER KRAUSE, **Ministro federale dei Trasporti della Repubblica Federale di Germania.**

Sabato, 11 Luglio 1992, si è riunita nel Palazzo Apostolico Vaticano, alla presenza del Santo Padre, la Congregazione per le Cause dei Santi.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

24 giugno 1992. S. E. mons. Pier Luigi Celata, Arcivescovo tit. di Doclea, *Nunzio Apostolico in Slovenia.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

7 maggio 1992. I sig.ri Tybor Sulik; Malcolm Pitt; Manuel S. Gómez Granados e la sig.na Simone Tagher, *Membri del Pontificio Consiglio della Giustizia e della Pace.*

8 maggio 1992. Mons. Pio Abresch, *Consultore della Congregazione per i Vescovi.*

18 » » Mons. Raffaele Melli, *Consultore della Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti.*

27 » » L'Em.mo Signor Cardinale Antonio Maria Javierre Ortas, *Membro del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica.*

» » » Gli Em.mi Signori Cardinali Bernardin Gantin, Roger Etchegaray, Simon Lourdusamy, Rosalio José Castillo Lara, Edouard Gagnon, *Membri del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica « in aliud quinquennium ».*

29 » » Il sac. Joachim Llobell, *Referendario presso il Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica.*

30 » » S. E. mons. Giovanni De Andrea, Arcivescovo tit. di Acquaviva. *Vice Presidente dell'Ufficio del Lavoro della Sede Apostolica.*

NECROLOGIO

24 giugno 1992. Mons. Angelo Pedroni, Arcivescovo tit. di Novica.

3 luglio » Mons. John Baptist Franz, Vescovo em. di Peoria *(Stati Uniti d America).*

» » » Mons. Felix Marie Verdet, Vescovo em. di La Rochelle *(Francia).*

An. et vol. LXXXIV 8 Septembris 1992

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico — Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

YAMUSSUKROËNSIS

In Litore Eburneo nova conditur dioecesis Yamussukroënsis nomine.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad aptius prospiciendum spirituali bono atque regimini Christifidelium degentium intra fines Buakensis Ecclesiae in Eburneo Litore, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, re mature perpensa auditisque quorum interest votis, censuerunt nuper ibidem novam condendam esse dioecesim. Nos vero, de universo Dominico grege solliciti, eandem sententiam habentes ratam, haec summa Apostolica potestate decernimus. Ab Ecclesia Buakensi distrahimus territorium districtus civilis « Yamussukro » nuncupatum, ex eoque novam condimus dioecesim Yamussukroënsem appellandam, quam metropolitanae Sedi Abidianensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea huiusce novae dioecesis sedem in urbe vulgo « Yamussukro » statuimus ibique exstans templum Sancti Augustini, Episcopi et Ecclesiae Doctoris, ad

gradum et dignitatem ecclesiae Cathedralis evehimus. Cetera autem secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducat ad exitum Venerabilis Frater Ianuarius Bolonek, Archiepiscopus titulo Madaurensis et in eadem Natione Apostolicus Nuntius, vel ab eo delegatus sacerdos, factis necessariis facultatibus. Re quidem acta, documenta exarentur sincerisque exemplis ad Congregationem, quam diximus, rite mittantur. Has denique Litteras ratas sive nunc sive in posterum esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo altero, Pontificatus Nostri quarto decimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 304.265

II
GHIKONGOROËNSIS

In Ruanda nova dioecesis conditur Ghikongoroënsis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Tantis quidem progressibus triginta superiores annos tantisque christifidelium auctibus effloruerat ecclesialis communitas Butarensis in Ruandae natione ut ipsis regionis eiusdem Episcopis convenire videretur illam latissimam dicionem minores dividi in partes, quo nempe efficacius hominum evangelizatio proveheretur singulaeque inibi paroeciae salutarius regerentur. Quod ideo consilium huic exposuerunt Apostolicae Sedi fore confisi ut pontificia auctoritate optata res ad effectum rite quam primum deduceretur. Cum vero eiusdem partitionis constitutionisque causae validae Nobis

usquequaque probentur, libentes profecto sententiam amplexati Venerabilium Fratrum Nostrorum negotiis praepositorum Congregationis pro Gentium Evangelizatione, hac omni de re statuimus ac fieri censemus singula quae huc subiunguntur. A finibus Butarensis dioecesis volumus civilem provinciam, cui vulgare nomen Ghikongoro, totam seiungi atque in sui iuris dioecesim novam, posthac Ghikongoroënsem nuncupandam, converti, quam praeterea Metropolitanae Ecclesiae Kigaliensi suffraganeam subdimus et iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Episcopalis autem huius Ecclesiae sedes in civitate ipsa esto Ghikongoro eiusque templum Deo dicatum ad Sacrae Familiae honorem ibidem cathedralis sit aedes in posterum, omnibus additis privilegiis ac iuribus id genus templorum propriis. Universas vero normas rationes regulas ad dioecesium constitutionem gubernationemque spectantes sacris ex canonibus iubemus iam nunc examussim adservari; qua de causa Venerabilem Fratrem Iosephum Bertello, Archiepiscopum titulo Urbis Sal viae et Apostolicum in Ruanda Nuntium destinamus, ut haec consilia Nostra et iussa quam religiosissime curet exsequenda deindeque exsecutionis actus ipsius germanum exemplar ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione perferendum. Dum precantes vehementer praevidemus novae huius dioecesis constitutionem totius communitatis catholicae Ruandensis prosperitati aedificationique profuturam, praecipimus ut Apostolicae hae Litterae cunctam suam vim tam in praesens quam in subsequens omne exserant tempus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tricesimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo altero, Pontificatus Nostri quarto decimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 304.267

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Servae Dei Mariae Gabrielae Sagheddu Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Meminerint omnes christifideles se Christianorum unionem eo melius promovere, immo exercere, quo puriorem secundum Evangelium vitam degere studeant. Quo enim arctiore communione cum Patre, Verbo et Spiritu unientur, eo intimius atque facilius mutuam fraternitatem augere valebunt » (CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 7).

Christi amore capta motaque, humilis Soror Maria Gabriela Sagheddu magno cum fervore et celeritate perfectionis christianae iter confecit, Evangelio oboediendo, suam baptismalem ac monasticam vocationem colendo et prompte, perseveranter spiritalique cum gaudio divinam adimplendo voluntatem. Puro cum corde atque indiviso Trinitati coniuncta tantum in caritate maturuit tamque sollicita facta est de Christi grege, ut non dubitaverit iuvenilem vitam suam Deo devovere ad christianorum unitatem ab eo impetrandam, hoc modo votum Redemptoris ad effectum adducendo operam navans: « ut unum sint » *(Io* 17, 21).

Dignissima haec Sancti Benedicti discipula in oppido, patrio sermone Dorgali appellato, intra Nuorensis dioecesis fines posito, orta est die xvn mensis Martii anno MCMXIV. Paucis post diebus baptismi sacramentum accepit Maria vocata. Puera est patre orbata, a matre autem Dei sanctum timorem docta. Ludi frequentatione peracta, domestica et agrorum opera iniit. Immatura sororis mors eam a mundi rebus alienavit et impigra Actionis Catholicae paroeciae eius participatio auxit in ea rerum divinarum amorem, deprecationis et apostolatus. Pretiosa margarita inventa, de qua Evangelium loquitur (cf. *Mt* 13, 46), nihil aliud optavit, nisi illam possidere. Quam ob rem incepit multum temporis insumere in Eucharistiae adoratione, in precatione, in exercendis humilitate, sui castigatione, oboedientia atque caritate erga Deum et proximum. Tantum est nisa et generose quidem ac constanter, indolis suae tollere asperitates, coniunctionem cum Domino excolere et melior fieri in virtutum exercitio, ut familiaribus

aequalibusque admirationi esset. Reiecta facultate nubendi, statuit se totam Christo consecrare ac, diligenti cum cura se praeparavit ad Institutum religiosum ingrediendum. Ordine elegit Cisterciensium Reformatarum, id est Strictae Observantiae. Aequo animo rebus omnibus relictis, anno MCMXxxv postulandatus initium fecit in monasterio Cryptoferratensi S. Ioseph, apud Romam, et die xxxi mensis Octobris anno MCMXXXVII monasticam fecit professionem. Cum fide, congruentia ac laetitia suam Deo consecrationem est exsecuta, quam copiose aluit per Regulae et votorum observantiam, animi intentionem, deprecationis spiritum et sacrificii, serenam vitae communis participationem. Quam perfectissime cotidiana explicavit officia estque a Sororibus sodalibus « anima magnae perfectionis » et « lucerna continuo accensa ignisque interior continuus » habita. Ut Iesum crucifixum usque in finem sequeretur, maxime amatum, et efficacius eius regno aedificando interesset, granum frumenti esse voluit, quod, cadens in terram, multum fructum affert (cf. *Io* 12, 24). Qua re, anno MCMXXXVIII, per hebdomadam precum christianorum unitati redintegrandae, fortissimo caritatis actu vitam Deo devovit pro Christi gregis unitate. Eius valetudo, usque ad id tempus sana, est paulo post phthisi affecta. Mira cum tranquillitate, simplicitate atque voluntate se dedendi, viam crucis confecit ad supremam usque sacrificii consummationem. Pie excessit e vita die xxin mensis Aprilis anno MCMXXXIX, Dominico Boni Pastoris.

Sanctitatis fama, quam Serva Dei viva sibi comparaverat, annis mortem eius subsequentibus, est monasterium praetergressa et in populo Dei diffusa, in iis praesertim qui christianorum unitati student. Canonizationis Causa inchoata est apud curiam Tusculanam anno MCMLVIII. Iis omnibus actis, quae canonicae normae praescribunt, coram Nobis die iv mensis Maii anno MCMLXXXI, promulgatum est decretum super virtutibus heroicis.

Ad beatificationem obtinendam apud curiam Drepanensem, annis MCMLXII-MCMLXXXII, effectae sunt inquisitiones iuridicae de coniecta sanatione mira, Alcami in Sicilia patrata et precationi Sororis Mariae Gabrielae tributa. Casu ad S. Congregationem pro Causis Sanctorum relato, exitu cum prospero, die xvn mensis Decembris anno MCMLXXXII est decretum super miro promulgatum.

Decrevimus inde ut beatificationis ritus insequentis mensis Ianuarii die xxv celebraretur in Basilica S. Pauli extra Moenia, in conclusione hebdomadis precum unitati christianorum redintegrandae.

Hodie igitur, in Basilica Sancti Pauli extra Moenia, inter sacra hanc ediximus formulam: « Nos, vota fratris nostri Aloisii Liverzani, episcopi Tusculani, necnon plurium aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque

Christifidelium explentes, de Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabilis Serva Dei Maria Gabriela Sagheddu Beatae nomine in posterum appelletur, eiusque festum die ipsius natali vigesimo tertio mensis Aprilis, in locis et modis iure statutis, quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Postea eius virtutibus in lucem prolatis per habitam allocutionem, eandem ad imitandum proposuimus, praesertim femininae christianae iuventuti. Quae autem his Litteris statuimus, volumus et nunc et in posterum firma et rata esse contrariis rebus quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, apud Basilicam S. Pauli extra Moenia, sub anulo Piscatoris, die xxv mensis Ianuarii, anno MCMLXXXIII, Pontificatus Nostri quinto.

AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 302.110

II

Venerabili Servae Dei Paulinae Mallinckrodt Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Totam fiduciam meam in Domino pono et omne bonum ab eius misericordia exspecto. Dominus est spes mea, ipse solus mea vis, non faciet ut confundar ».

Haec verba, quae significant se plene ad fidenti animo Dei manibus commisisse, Venerabilis Serva Dei Paulina Mallinckrodt pronuntiavit, quae, magna cum alacritate et sacrificii spiritu, operam navavit auctui Domini Iesu regni et, per fidem, spem caritatemque ei coniuncta, mirum dedit testimonium seduli amoris christiani in suam religiosam Communitatem inque dolentes.

Orta est die III mensis Iunii anno MDCCCXVII Mindae (in Vestfalia), in Paderbornensi dioecesi, opulenta atque nobili familia, et eiusdem mensis die IX Baptismi sacramentum accepit. Anno MDCCCXXIV cum parentibus Aquisgranum migravit, ubi condiscipulam habuit Dei Servam Claram Fey, futuram conditricem Sororum a Iesu Infante Paupere. Undecim annorum primum ad Paenitentiae sacramentum accessit et subsequenti anno ad Eu-

charistiae. Matre orbata, quam tenero prosequebatur amore, commodis suis contemptis domus paternae administrationem suscepit. Duodeviginti annos nata sacramentum sumpsit Confirmationis, quod maximum habuit in vita eius momentum; Spiritus Sanctus enim altiorem Dei amorem in eius anima accendit ac promptiorem appetitionem se devovendi pro proximi bono et salute, pro pauperioribus in pauperibus, egentioribus atque derelictis. Paderbornae, quo se cum familia contulerat, coepit aegrotis in ipsorum domibus assidere, de pueris pauperibus, operariorum filiis, curam adhibere. Pro his receptaculum aperuit et Piam Unionem excitavit mulierum aequalium suaeque condicionis assiduitati praebendae puerulis non videntibus et senibus egenis.

Patre mortuo et amore renuntiato iuvenis gravis ac probi, statuit se dedere omnino Dei et proximi servitio. Multimodis nisa aliquod Institutum religiosum ingredi, Reverendissimo domino Claessen, Episcopo Auxiliari Coloniensi, moderante, initium fecit Congregationis Sororum a Caritate Christiana Filiarum B. Mariae Virginis ab Immaculata Conceptione, ab Episcopo Paderbornensi approbatae anno MDCCCXXXXVIII. In eiusdem Ordinarii manibus Venerabilis Serva Dei eiusque primae sodales professionem religiosam fecerunt anno MDCCCL. Novae Congregationi Deus benedixit, quam Mater Paulina, tamquam Antistita Generalis, fortiter et suaviter rexit, cum sapientia, prudentia et praesertim inconcussa cum fide divino auxilio habita, in quo totam suam spem collocavit, potissimum per tempestatemi motus « Kulturkampf » qui vocabatur. Omni ornata virtute, filiis suis spiritalibus non solum diligens mater fuit, sed et exemplo propter fidelitatem erga Dei voluntatem, vocationem religiosam, regulam et vota ac propter amorem in Deum, in Ecclesiam et proximum male affectum atque indigentem. Sancta habita de vita decessit Paderbornae die xxx mensis Aprilis anno MDCCCLXXXI.

Hac fama durante, quin crescente, Episcopus Paderbornensis anno MCMXXIV canonizationis Causam iniit canonicosque praescriptos celebravit processus. Rebus omnibus peractis iure statutis, coram Nobis, die VIII mensis Ianuarii anno MCMLXXXIII promulgatum est decretum quo agnovimus Matrem Paulinam Mallinckrodt heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Interea apud eandem Curiam Paderbornensem documenta collecta erant ad miram coniectam sanationem pertinentia, anno MCMLV patrata et deprecationi Venerabilis Servae Dei tributa. Consuetis inspectionibus factis apud Congregationem pro Causis Sanctorum, coram Nobis die ix mensis Novembris anno MCMLXXXIV editum est decretum super miro.

Decrevimus deinde ut beatificationis ritus die xiv mensis Aprilis insequenti anno celebraretur.

Hodie igitur, in foro ad Basilicam Sancti Petri Apostoli in Vaticano spectante, hanc sumus inter Missae sollemnia formulam elocuti: « Nos, vota fratrum nostrorum Ioannis Ioachimi Degenhardt, Archiepiscopi Paderbornensis, Angeli Cella, Episcopi Ferentini, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servae Dei Paulina Mallinckrodt et Catharina Troiani, Beatorum nomine in posterum appellentur, earumque festum die ipsarum natali: Paulinae Mallinckrodt die tricésima mensis Aprilis, Catharinae Troiani die sexta mensis Maii, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xiv mensis Aprilis, anno MCMLXXXIV, Pontificatus Nostri septimo.

68 AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco £8 Sigilli
in Secret. Status tab., n. 302.393

III

Venerabili Servo Dei Andreae Carolo Ferrari honores Beatorum tribuuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

4. P. Nicasius Sierra Ucar, natus in Navarro oppido Cascante, die 11 mensis Octobris anno 1890; qui anno 1907, die 25 mensis Augusti, professionem religiosam fecit atque die 20 mensis Iunii anno 1915 est ordinatus sacerdos;

5. Venceslaus Maria Claris Vilaregut, in Barcinonensi loco Olost de Llusanés ortus die 3 mensis Ianuarii anno 1907; qui professionem religiosam

fecit die **15** mensis Augusti anno **1927;** est subdiaconus ordinatus Idibus Iuniis anno **1935,** theologiae alumnus;

6. Gregorius Chirivás Lacambra, natus in pago Siétamo (Oscensis provinciae) die **24** mensis Aprilis anno **1880;** qui religiosam fecit professionem die **3** mensis Octobris anno **1897** fuitque frater cooperator.

Idibus Augustis anno **1936** martyrium subierunt:

1. P. Secundinus Maria Ortega García, qui natus in vico Santa Cruz de la Salceda, ad Burgensem provinciam pertinente, die **20** mensis Maii anno **1912,** professionem religiosam fecit die **15** mensis Augusti anno **1928** et est ordinatus sacerdos postridie nonas Iunias anno **1936;**

2. Xaverius Aloisius Bandrés Jiménez, qui natus Sangüesa (in Navarra) Calendis Decembribus anno **1912,** religiosam professionem fecit die **15** mensis Augusti anno **1930;** alumnus theologiae;

3. Iosephus Brengaret Pujol, qui natus in Gerundensis provinciae pago S. Jordi Desvalls die **18** mensis Ianuarii anno **1913,** religiosam fecit professionem die **15** mensis Augusti anno **1929;** theologiae alumnus;

4. Antolinus Maria Calvo Calvo, ortus in Burgensis provinciae pago Gumiel del Mercado, die **2** mensis Septembris anno **1912;** qui professionem religiosam fecit die **15** mensis Augusti anno **1929;** theologiae alumnus;

5. Thomas Capdevila Miró, ortus in Illerdensis provinciae vico Maldá, die **5** mensis Maii anno **1914,** qui professionem religiosam fecit die **15** mensis Augusti anno **1930;** theologiae alumnus;

6. Stephanus Casadevall Puig, natus in Gerundensis provinciae pago Argelaguer postridie Nonas Martias anno **1913;** qui professionem religiosam fecit die **15** mensis Augusti anno **1930;** theologiae alumnus;

7. Eusebius Codina **Milla,** natus in Illerdensis provinciae pago Albesa die **7** mensis Decembris anno **1914;** qui religiosam fecit professionem die **8** mensis Decembris anno **1930;** theologiae alumnus;

8. Ioannes Codinachs Tuneu, natus in Barcinonensis provinciae vico Santa Eugenia de Berga, postridie Idus Februarias anno **1914;** qui professionem religiosam fecit die **15** mensis Augusti anno **1930;** theologiae alumnus;

9. Antonius Maria Dalmau Rosien, natus in Illerdensis provinciae pago Miralcamp die **4** mensis Octobris anno **1912;** qui professionem religiosam fecit die **15** mensis Augusti anno **1929;** theologiae alumnus;

10. Ioannes Echarri Vique, ortus in Navarro pago Olite die **30** mensis Martii anno **1913;** qui religiosam fecit professionem die **15** mensis Augusti anno **1929;** theologiae alumnus;

11. Petrus García Bernal, natus in vico Santa Cruz de Salceda, intra fines provinciae Burgensis die **27** mensis Aprilis anno **1911;** qui professionem religiosam fecit die **15** mensis Augusti anno **1928;** theologiae alumnus;

12. Hilarius Maria Llórente Martín, natus in Burgensis provinciae pago Vadocondes die **14** mensis Ianuarii anno **1911;** qui religiosam professionem fecit die **15** mensis Augusti anno **1929;** theologiae alumnus;

13. Raimundus Novich Rabionet, natus in Gerundensis provinciae pago La Sellera de Ter die **18** mensis Aprilis anno **1913;** qui professionem religiosam fecit die **15** mensis Augusti anno **1930;** theologiae alumnus;

14. Iosephus Maria Ormo **Sero,** ortus in pago Almatret, ad Illerdensem provinciam pertinente, die **18** mensis Augusti anno **1913;** qui religiosam professionem fecit die **15** mensis Augusti anno **1930;** theologiae alumnus;

15. Salvator Pigem Serra, natus in Gerundensis provinciae vico Vilobi d'Onyar die **15** mensis Decembris anno **1912;** qui professionem religiosam fecit die **15** mensis Augusti anno **1929;** theologiae alumnus;

16. Theodorus Ruiz de Larrinaga García, ortus in Navarro vico Bargota die **9** mensis Novembris anno **1912;** qui professionem religiosam fecit die **15** mensis Augusti anno **1930;** theologiae alumnus;

17. Ioannes Sánchez Munárriz, ortus in Caesaraugustanae provinciae vico Malón die **15** mensis Iunii anno **1913;** qui professionem religiosam fecit anno **1930,** die **15** mensis Augusti; theologiae alumnus;

18. Emmanuel Torras Sais, ortus in vico Sant Marti **Veli,** intra fines Gerundensis provinciae, die **12** mensis Februarii anno **1915;** qui professionem religiosam fecit die **15** mensis Augusti anno **1931;** theologiae alumnus;

19. Emmanuel Buil Lalueza, ortus in Oscensis provinciae pago Abizanda die **31** mensis Augusti anno **1914;** qui professionem religiosam fecit die **19** mensis Martii anno **1934;** frater cooperator;

20. Alfonsus Miquel Garriga, natus in vico Prades de Molsosa, ad Illerdensem provinciam pertinente, die **24** mensis Februarii anno **1914;** qui professionem religiosam fecit die **15** mensis Augusti anno **1931;** frater cooperator.

Die **15** mensis Augusti anno **1936** martyrium obierunt:

1. P. Aloisius Masferrer Viia, natus in Gerundensis provinciae vico San Vicente de Torello, die **9** mensis Iulii anno **1912;** qui professionem religiosam fecit die **15** mensis Augusti anno **1929** quique sacerdos est ordinatus die **19** mensis Aprilis anno **1936;**

2. Iosephus Maria Amorós Hernández, ortus in Valentinae provinciae vico Puebla Larga, die **14** mensis Ianuarii anno **1913;** qui professionem religiosam fecit die **15** mensis Augusti anno **1930;** alumnus theologiae;

3. Iosephus Maria Badia Mateu, natus in Tarraconensis provinciae pago Puigpelat die **30** mensis Septembris anno **1912;** qui professionem religiosam fecit calendis Octobribus anno **1928;** theologiae alumnus;

4. Ioannes Baixeras Berenguer, ortus in oppido Castelltersol die **21** mensis Novembris anno **1913;** qui professionem religiosam fecit die **15** mensis Augusti anno **1930;** theologiae alumnus;

5. Iosephus Maria Blasco Juan, in vico Játiva, ad provinciam Valentinam pertinente, ortus postridie Calendas Ianuarias anno **1912;** qui professionem religiosam fecit die **15** mensis Augusti anno **1929;** theologiae alumnus;

6. Raphaël Briega Morales, in Caesaraugustanae provinciae oppido Montemolin natus die **24** mensis Octobris anno **1912;** qui professionem religiosam fecit die **15** mensis Augusti anno **1930;** theologiae alumnus;

7. Aloisius Escalé Binefa, in oppido Fondarella, intra fines provinciae Illerdensis posito, ortus die **18** mensis Septembris anno **1912;** qui professionem fecit religiosam die **15** mensis Augusti anno **1930;** theologiae alumnus;

8. Iosephus Figuero Bertrán, natus die **14** mensis Augusti anno **1911** in Burgensis provinciae oppido Gumiel del Mercado; qui professionem fecit religiosam die **15** mensis Augusti anno **1928;** theologiae alumnus;

9. Raimundus Illa Salvia, pridie Idus Februarias natus anno **1914** in Illerdensis provinciae oppido Bell vis; qui professionem religiosam fecit die **15** mensis Augusti anno **1930;** theologiae alumnus;

10. Aloisius **Liado** Teixidó, die **12** mensis Maii anno **1912** ortus in Gerundensis provinciae oppido Viladesens; qui professionem religiosam fecit die **15** mensis Augusti anno **1930;** theologiae alumnus;

11. Michael Masip González, natus in oppido Llardecans, ad Illerdensem provinciam pertinente, die **8** mensis Iunii anno **1913;** qui religiosam fecit professionem die **24** mensis Octobris anno **1930;** theologiae alumnus;

12. Faustinus Pérez García, in Navarro oppido Baríndano ortus die 30 mensis Iulii anno 1911; qui professionem religiosam fecit die 15 mensis Augusti anno 1930; theologiae alumnus;

13. Sebastianus Riera Coromina, natus in Gerundensis provinciae vico Ribas de Freser die 13 mensis Octobris anno 1913; qui professionem religiosam fecit die 15 mensis Augusti anno 1930; theologiae alumnus;

14. Eduardus Ripoll Diego, ortus in loco Játiva, intra fines Valentinae provinciae posito, postridie Nonas Ianuarias anno 1912; professionem religiosam fecit die 15 mensis Augusti anno 1929; theologiae alumnus;

15. Iosephus Maria Ros Florensa, natus in oppido Torms, sito in provincia Illerdensi, die 29 mensis Octobris anno 1914; qui religiosam fecit professionem Calendis Novembribus anno 1930; theologiae alumnus;

16. Franciscus Maria Roura Farro, idibus Ianuariis natus anno 1913 in oppido Sors, ad Gerundensem provinciam pertinente; qui professionem fecit religiosam die 15 mensis Augusti anno 1930; theologiae alumnus;

17. Alfonsus Sorribes Teixidó, natus in Illerdensis provinciae oppido Rocafort de Vallbona, die 17 mensis Decembris anno 1912; qui professionem religiosam fecit die 15 mensis Augusti anno 1930; theologiae alumnus;

18. Augustinus Viela Ezcurdia, in Navarro oppido natus Oteiza de la Solana, pridie Nonas Apriles anno 1914; qui professionem fecit religiosam die 15 mensis Augusti anno 1930; theologiae alumnus;

19. Franciscus Castán Messeguer, natus in Oscensis provinciae oppido Fonz, Calendis Februariis anno 1911; qui professionem fecit religiosam die 15 mensis Augusti anno 1930; frater cooperator;

20. Emmanuel Martínez Jarauta, in Navarro oppido Murchante ortus die 22 mensis Decembris anno 1912; qui professionem religiosam fecit die 11 mensis Februarii anno 1930; frater cooperator.

Die 18 mensis Augusti anno 1936 martyrium obierunt:

1. Iacobus Falgarona Vilanova, in Gerundensis provinciae oppido Argelaguer ortus postridie Nonas Iunias anno 1912; qui professionem fecit religiosam die 15 mensis Augusti anno 1930; theologiae alumnus;

2. Athanasius Vidaurreta Labra, in Navarro vico natus postridie Calendas Maias anno 1911; qui professionem religiosam fecit die 15 mensis Augusti anno 1930; theologiae alumnus.

Hi unus et quinquaginta religiosi (novem sacerdotes, triginta septem theologiae alumni et quinque fratres cooperatores) ilico martyres fidei habiti sunt; quam ob rem Episcopus Barbastrensis Causae canonizationis initium fecit per processus ordinarii informativi celebrationem (annis 1947-1949), cui additus est rogatorialis Rosariensis (annis 1948-1949), quorum auctoritas probata est per decretum die 9 mensis Februarii anno 1990 promulgatum. Die 9 mensis Octobris subsequenti anno actus est, prospero cum exitu, Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris, cui praefuit Fidei Promotor Generalis Rev.mus Antonius Petti. Patres Cardinales deinde et Episcopi in Congregatione Ordinaria diei 4 mensis Februarii anni 1992, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Martínez Somalo, confessi sunt mortem Servorum Dei Philippi a Iesu Munárriz Azcona et quinquaginta Sociorum habendam esse verum martyrium, utpote in odium fidei obitam.

Facta demum de hisce omnibus rebus per subscriptum Cardinalem Praefectum Summo Pontifici Ioanni Paulo II accurata fidelique relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de martyrio deque martyrii causa praedictorum Servorum Dei rite conscriberetur.

Quod cum factum esset, accitis hodierna die ad Se Cardinalibus subscripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus sollemniter edixit: *Constare de martyrio et de causa martyrii Servorum Dei Philippi a Iesu Munárriz Azcona et quinquaginta Sociorum Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. V., in odium fidei in Hispania interfectorum anno 1936, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 7 mensis Martii, a. D. 1992.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

EB Eduardus Nowak,
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

III

BONAËREN. seu ORUREN.

DECRETUM

Canonizationis ven. Servae Dei Nazariae Ignatiae March Mesa fundatricis Congregationis v. d. « Misioneras Cruzadas de la Iglesia » (1889-1943).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilis Serva Dei Nazaria Ignatia March Mesa Matriti est orta die 10 mensis Ianuarii anno 1889. Divinae gratiae respondens a pueritia statuit solius Dei esse et, undecim annos nata, suam ei virginitatem consecravit. In Mexico, quo familia migraverat propter adversam fortunam, Congregationem Sororum a Senibus Derelictis est ingressa. Votis temporaneis nuncupatis, cum aliis Sororibus sodalibus est in Boliviam missa ad asylum condendum pro urbis Oruri senibus. Alacri apostolatui se dedidit et, caritate mota, victimam se devovit pro Ecclesia Boliviana. Sed Providentia voluit eam esse novae Congregationis religiosae conditricem, quae appellata est Congregatio Missionariarum Ecclesiae Cruce Signatarum, cuius erat regnum Dei aedificare per catechesim et opera misericordiae praesertim pro pauperibus. Non paucae fuerunt ei difficultates et res adversae obeundae, quas patienter tulit et fortiter, laeta divinum Magistrum sequi in via crucis. Impense Deum amavit, Ecclesiam, Summum Pontificem et animas, splendidumque testimonium dedit fidelitatis erga vocationem suam ac in suum Institutum diligentiae. Bonaëropoli in Argentina e vita decessit die 6 mensis Iulii anno 1943, sancta habita.

Inita canonizationis Causa apud Curiam archiepiscopalem Bonaëropolitanam iisque peractis, quae normae canonicae praescribebant, Calendis Septembribus anno 1988 Summus Pontifex Ioannes Paulus II declaravit Matrem Nazariam Ignatiam March Mesa heroum in modum théologales, cardinales adnexasque virtutes exercuisse.

Ad beatificationem obtinendam eiusdem Venerabilis Servae Dei Causae Actores ad Congregationem de Causis Sanctorum retulerunt de asserta sanatione, divinitus patrata, dominae Zonae Augustinae Ortiz Miranda de Jiménez, deprecationi tributa Servae Dei de qua supra dictum est. Haec domina, vesperi diei 9 mensis Septembris anno 1964, diebus 43 post par-

tum, acerbis abdominis doloribus correpta est cum febri coniunctis. Subsequentis diei multo mane medicus familiae aegram visitavit edixitque diagnosim de pelviperitonaei inflammatione. Eodem medico suadente statim est in Bonaëropolitanum valetudinarium deducta, in quo medici eandem edixerunt diagnosim, sed nec eam secuerunt, nec ullam therapiam praescripserat, quoniam ad antibiotica erat allergica; varias autem medicamentorum officiniae inspectiones fieri iusserunt. Notae morbi acerbae totum diem esse perrexerunt et febris ad 40 mansit gradus. Vesperi eiusdem diei (decimi mensis Septembris) Missionariae Ecclesiae Cruce Signatae, gravis dominae condicionis certiores factae, in valetudinario eam viserunt reliquias Matris Nazariae Ignatiae March Mesa ferentes, quas aegra in parte corporis sui dolore affecta posuit, simul magno cum fervore deprecationem invocans Venerabilis Servae Dei. Eadem vespera Communitas Missionariarum Ecclesiae Cruce Signatarum novendialem supplicationem iniit in honorem Conditricis suae. Insequenti mane, die 11 mensis Septembris, aegra experrecta est perfecte sanata, sine doloribus ac sine febri.

De casu apud Curiam archiepiscopalem Bonaëropolitanam Processus canonicus est instructus (annis 1987-1988), cuius auctoritas probata est per decretum die 25 mensis Februarii anno 1989 promulgatum. Consuetae factae sunt indagationes apud Congregationem de Causis Sanctorum. Consilium Medicorum, quod in tribus distinctis sessionibus illam sanationem inspexit, in ultima die 3 mensis Octobris habita anno 1991, uno ore sic est locutum: diagnosis: « addome acuto da pelviperitonite puerperale »; prognosim: « valde suspensa »; therapia: « solum symptomatica »; ratio sanationis: « celérrima, perfecta et mansura, pro scientia nostra inexplicabilis ».

Die 20 mensis Decembris anno 1991 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, praesidente Rev.mo Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; die 21 mensis Ianuarii anno 1992 effecta est Congregatio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Relatore Em.mo Cardinali Agnelo Rossi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de praefatis rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super eadem mira sanatione decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Beatissi-

mus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Venerabili Serva Dei Nazaria Ignatia March Mesa, videlicet de celérrima, perfecta et mansura sanatione dominae Zoilae Augustinae Ortiz Miranda de Jiménez ab « addome acuto da pelviperitonite puerperale ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum idem Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Martii, a. D. 1992.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

© Eduardus Nowak,
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

IV

CRACOVIEN.

DECRETUM

Canonizationis Servae Dei Mariae Faustinae Kowalska (in saec.: Helenae) sororis professae Instituti sororum B.M.V. a Misericordia (1905-1938).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« In Christo per Christumque singulariter etiam Deus elucet sua in misericordia; nempe extollitur illa Divinitatis proprietas, quam Vetus iam Testamentum variis utens speciebus ac dictionibus "misericordiam" definivit. Huic enim Testamenti Veteris traditioni super misericordia divina significationem Christus addit sempiternam. Neque de ea solum loquitur similitudinibusque eam explanat et parabolis, verum ante omnia ipse illam in se corporat ac sua veluti persona induit. Quippe is ipse quodammodo miseri-

cordia est. Quicumque igitur in eo perspicit illam invenitque in ipso, Deus peculiari ratione "visibilis" ei redditur ut Pater dives in misericordia » (IOANNES PAULUS II, Litt. Encycl. *Dives in misericordia,* 2: *AAS,* 1980, 1180).

Divinae misericordiae magna fuit apostola Soror Maria Faustina Kowalska (in saeculo Helena), quae in humilitate ac sacrificio alacriter iter christianae perfectionis confecit egregiumque dedit testimonium amoris in Deum, eius gloriae studii atque sedulae de animarum salute curae.

Serva Dei, decem filiorum tertio loco nata, die 25 mensis Augusti orta est anno 1905 in Poloniae Centralis oppido Glogowiec, tum Russorum imperatori subdito, ac die 6 mensis Septembris anno 1905 est in ecclesia paroeciali pagi Swinice Warskie, intra fines dioecesis Vladislaviensis siti, baptizata. Parentes pauperes erant agricolae; pater laborabat etiam tamquam faber lignarius. Inde ab aetate septem annorum vocationis ad vitam consecratam gratiam animadvertit, atque novem annorum Primam Communionem accepit interiore cum laetitia, « quod Iesum excepisset ».

In ludo duobus annis actis, famulae opus explicavit, ut familiam adiuvaret, cui salarium tradebat. Anno 1923, duodeviginti annos nata, matri nuntiavit statuisse se religiosam esse, sed parentes permissum negaverunt, etiam ob suam oeconomicam condicionem. Postid vanis obiectationibus indulsit, continuo gratiae invitamento neglecto, quod ceteroqui fuit ei magno cruciatui quodque reprimere delectamentis nitebatur. Sed gratia intervenit et per vesperem quendam quo saltabatur in notorum familia, anno 1924, cum saltare incepit Iesum vidit iuxta se flagellatum, plagis saucium, qui ei imperiose dixit: « Quamdiu feram te? Quamdiu falles me? ». Varsaviam profecta, domum adivit Sororum Beatae Virginis Mariae a Misericordia postulavitque ut admitteretur. Promissio ei facta est re ipsa favens, sed fuit ei insuper etiam laborandum ut sibi dotem compararet; quam ob causam alium exspectavit annum, quo uti famula operata est suumque salarium conventui impendit pro dote constituenda.

Calendis Augustis anno 1925 tamquam postulans excepta est in Congregatione Beatae Virginis Mariae a Misericordia in Domo viae urbicae Zytnia Varsaviae. Antea votum nuncupaverat privatim perpetuae castitatis. In Sorores secundi chori ei delegatae labores coquinae concrediti sunt.

Die 30 mensis Aprilis anno 1929 in novitiatum intravit et biennio post vota temporanea fecit. Nomen cepit Mariam Faustinam, cui addidit « a Sanctissimo Sacramento ». Eius religio inde ab initio Christocentrica, quae dicitur, fuit ac sacramentalis, continuae familiaritatis in deprecatione atque adoratione cum Domino Iesu in Sanctissimo Sacramento abdito. Deum, quem quaerebat, in domo sua invenit, in tabernaculo, et apud eum

inventum semper mansit. Eucharistia caput fuit ad quod omnia referebantur. Illinc ad eam serena persuasio profíciscebatur Christi praesentiae, cuius personae coniungebatur et per quem incomprehensibile patebat ei Sanctissimae Trinitatis mysterium ad amorem usque sponsalem cum Christo Deo: « Tota animae meae vis — scripsit — a Sanctissimo Sacramento manat. Omnia tempora vacua cum eo colloquens ago. Is magister est meus ». In fidei luce, quae altissima fuit propter ardorem, constantiam atque perseverantiam, totum confectum est Servae Dei iter spiritale, indiciis locupletatae mysticis. Eius vita theologalis est in Christo contracta, utpote divinae Misericordiae revelatore: « Per Verbum incarnatum — dicit ei Dominus — abyssum patefacio Misericordiae meae ». Eius vitae interioris gremium munus fuit omnibus in gradibus Misericordiae mysterium vel Dei misericordis amoris provehendi.

Dei Serva in pluribus Congregationis domibus laboravit, sed praecipue Varsaviae, Vilnae, Plocii et Cracoviae. Sacrificii amans semper parata fuit ad superiorum oboediendum praeceptis, in regulae observantia, cui se dederat. Vita eius exterior sororum sodalium vitae similis fuit, sed ratione dissimilis, quoniam constanti perfectione enitebat, in muniis exsequendis diligentia, quae ad humile ac grave opus coquinae, horti olitorii ac ianitricis pertinebant; continua hilaritate ac serenitate et amabilitate; prompto alacrique obsequio erga Dei voluntatem: « In mea conscientia Dei voluntas habitat », scripsit.

In plena fidelitate et congruentia cum Evangelii spiritu vitam vixit consentaneam, simplicem ac demissam, non tamen rerum adversarum, magnarum quidem et difficilium expertem, praesertim e valetudine exsistentium, continenter debili et infirma propter phthisim atque acerbos dolores, quos accipiebat « ad satisfaciendum Deo pro infantibus in gremiis malarum matrum occisis ». Falsas interpretationes et improbationes subiit eorum, qui eius optiones absolutae curae de evangelica perfectione adipiscenda non comprehendebant.

Vitae decem anni postremi longus fuerunt ei cruciatus.

Anno 1936 Cracoviam rediit aegrotans. Quamvis incommoda uteretur valetudine, etiam tum opus obiit horti colendi et ianitricem adiuvandi. Sed postea est in conclavi segregata, cum Sorore sodali phthisi affecta. Appetenter diem exspectavit mortis, tamquam occursus cum Iesu. Die 5 mensis Octobris anno 1938, quo de vita decessit, animi cum commotione Sorori hoc insusurravit: « Hodie me Dominus accipiet ».

Crescente sanctitatis fama, archiepiscopus Cracoviensis, Cardinalis Carolus Wojtyla, nunc Summus Pontifex, canonizationis Causae initium fecit

anno 1965 per celebrationem processus ordinarii informativi, qui est anno 1967 conclusus. Die 3 mensis Decembris anno 1979 Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei Causam persequendi licentiam dedit. Die 19 mensis Iunii anno 1981 decretum promulgatum est super scriptis Servae Dei tributis et die 22 mensis Decembris anno 1990 decretum super processus auctoritate. Exitu cum prospero die 6 mensis Decembris anno 1991 actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris, Rev.mo Fidei Promotore Generali Antonio Petti praesidente. Patres porro Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria die 18 mensis Februarii anno 1992 habita, Causae Ponente Em.mo Domino Cardinali Andrea Maria Deskur, confessi sunt Servam Dei Mariam Faustinam Kowalska virtutes théologales, cardinales et adnexas heroum in modum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Faustinae Kowalska (in saeculo Helenae), Sororis professae Instituti Sororum B.M.V, a Misericordia, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Martii, a. D. 1992.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

SS Eduardus Nowak,
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

V

FODIAN.

DECRETUM

Canonizationis Servae Dei Genovefae De Troia e Tertio Ordine Sancti Francisci Assisiensis (1887-1949).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Solum cognoscere volo Christum et virtutem resurrectionis eius. Solum pati volo et conformare me morti eius, si quo modo occurram ad resurrectionem, quae est ex mortuis » (cf. *Phil* 3, 10).

Intellegendi via figuram Servae Dei Genovefae De Troia invenitur in magnitudine atque simplicitate supernaturalis eius vitae fidei, spei et caritatis. Omnia in ea sub luce huius visionis apparent: in facienda videlicet Domini voluntate, qui eam voluit sine intermissione doloris experientia astrictam, consciam solummodo Christum amando in eius passionibus posse se aeternum consequi praemium.

Serva Dei orta est die 21 mensis Decembris anno 1887 Luceriae a Paschale De Troia et Vincentia Terlizzi, estque postridie baptizata et vocata Genovefa. Pueritia quasi praesagium fuit sortis eius spiritalis. Quattuor annorum erat, cum ex eius, dextro crure ulcus exstitit, quod cum patientia tulit aetate maiore. Quotannis eam mater gerebat ad Sanctuarium Virginis Coronatae; eius ibi sanationem implorabat. Per ultimum iter ad illud Sanctuarium, in deprecationem intenta vocem audivit sibi dicentem: « Non consanesces »; cui sponte respondit: « Fiat voluntas Dei ». Et hoc erga Dei voluntatem obsequium nota fuit praecipua totius eius vitae spiritalis.

Adulescentiam et iuventutem familiarium inopia et precoces laboris experientiae signaverunt. Duodecim annos nata (anno 1901) scholam frequentavit Sororum a Caritate, sed minus prospere; ideoque fuit ei suendi ars discenda. Sedecim annorum mensem fere famulata est optimae Turnantinae familiae et postea alii, Luceriae. Interea pater — cuius laboris insta-

bilitas recidebat in continuas familiae domicilii translationes —- Fodiis opus est nanctus, eoque Genovefa cum tota familia migravit (anno 1913) nec umquam inde discessit, nisi ut pyrobolorum iactus defugeret altero universi orbis terrarum bello.

In suae iuventutis flore in morbum incidit, quandoquidem ex eius corpore plura sunt ulcera orta. Et iterum vocem audivit sibi dicentem: « E lectulo non surges ». Et ita quidem per quinquaginta annos factum est.

Morbus, « lipoidosis vel granulomatosis », « Morbus ab Hand-Schüller Christian » vocatus, est necessario in deterius mutatus, nec usque ad hoc tempus ullam habet medicina potestatem illum sanandi. In summo culmine morbi Serva Dei vixit quasi continuo « a capite ad pedes » flagellata, dum gradatim eius corpus imminutum est, victima cuiusdam generis pusillitatis hypophysariae.

Fodiis Capuccinum cognovit, P. Angelicum a Sarno, qui eius evasit confessarius ac spiritus magister et Franciscanum ei iniecit spiritum. Anno 1931 Tertiariae Franciscanae vestem induit. Iunctio cum Tertio Ordine fuit Genovefae efficax institutoria via ad alacrius ac perfectius in dies « secundum Evangelii formam » vivendi, in Christi adsectatione inque Sancti Francisci Assisiensis vestigiis. Propter amorem pati et cum amore; se ipsam suasque cruces offerre ad expianda peccata, sine intermissione precari pro animarum salute et Christi regni incremento, haec omnia constans fuerunt animae eius appetitio et splendidissimum, quod hominibus aetatis suae dedit testimonium. Eius cubile factum est ara in qua se obtulit et quodammodo cathedra perfectae cum Dei voluntate congruentiae; eius conclave mutatum est in cenaculum deprecationis et in sedem apostolatus atque caritatis pro variis indigentium ordinibus. Afflicti, peccatores, pauperes, qui frequentes ab ea auxilium petebant, semper ad audiendum paratam illam invenerunt, ad comprehendendum, ad consolandum, ad consilia danda, ad confirmandum: quae sane cum humilitate faciebat, prudentia atque supernaturali sapientia.

Quamquam in extrema vivebat paupertate, libenti animo et liberaliter acceptas a benefactoribus stipes distribuebat, dicens: « Meae divitiae sunt paupertas et quae benefactores ad me mittunt, non mea sunt sed pauperum ». Ita aliena a rebus terrestribus fuit et ab immoderatis animi motibus, mentem et cor semper intenta habens in Dei laudem atque in immortalia spiritus bona. Egregie temperantiam et continentiam coluit, ut per omnia divinum Magistrum imitaretur et efficacius redemptionis operi interesset.

Fundamentum tam probae agendi rationis fides viva, caritas ardens ac solida spes fuerunt. Ex continua deprecatione, ex aeternarum veritatum

meditatione, ex Eucharistia, ex pietate in Iesu Passionem, in Virginem Mariam et Sanctum Franciscum alimentum hausit spiritale ut in Dei amore ac proximi progrederetur, necnon vim ad multos suos ferendos dolores et utiliter mystico Christi corpori serviendum.

Circa eam effectus est largus populi motus et solida sanctitatis fama, quae non solum eam est comitata usque ad mortem, quae die 11 mensis Decembris evenit anno 1949, verum etiam in exsequiis et subsequentibus annis. Quam ob rem episcopus Fodianus Causae canonizationis initium fecit per celebrationem processus ordinarii informativi (annis 1958-1967), cuius auctoritas probata est decreto die 13 mensis Decembris promulgato anno 1985. Die 29 mensis Octobris anno 1991 exitu cum prospero actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris, Fidei Promotore Generali Rev.mo Antonio Petti praesidente. Patres Cardinales deinde et Episcopi in Congregatione Ordinaria die 18 mensis Februarii habita anno 1992, Causae Ponente Exc.mo Domino Hieronymo Grillo, episcopo Centumcellarum - Tarquiniensi, Servam Dei Genovefam De Troia virtutes théologales, cardinales et adnexas heroum in modum exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Genovefae De Troia, e Tertio Ordine S. Francisci Assisiensis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Martii, a. D. 1992.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak,
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus PP. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 4 Maii 1992. — Cathedrali Ecclesiae Fossanensi Exc.mum P. D. Natalinum Pescarolo, hactenus Episcopum tit. Alexanensem et Auxiliarem Cuneensem.

die 7 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Praenestinae R. D. Victorium Tomassetti, e clero archidioecesis Anconitanae-Auximanae, hactenus Pontificii Seminarii Piceni rectorem.

die 20 Maii. — Titulari Ecclesiae Quaestorianensi R. *D.* Michaelem Neary, hactenus Professorem Sacrae Scripturae in Collegio Sancti Patricii apud Maynooth.

die 25 Maii. — Metropolitanae Ecclesiae Salernitanae-Campaniensi-Acernensi Exc.mum P. D. Gerardum Pierro, hactenus Episcopum Abellinensem.

die 4 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae de Castello Tituliano R. D. Andream Imrich, Vicarium generalem dioecesis Scepusiensis, quem Reputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 11 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Parralensi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Iosephum Andream Corral Arredondo, hactenus Episcopum tit. Cincaritanum et Auxiliarem archidioecesis Durangensis.

die 30 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Veronensi Exc.mum P. D. Atilium Nicora, hactenus Episcopum tit. Furnitanum minorem et apud Episcoporum Italiae Conferentiam Consilii de bonorum et institutorum ecclesiasticorum quaestionibus atque Commissionis episcopalis ad caritatem promovendam quae dicitur « Caritas » Praesidem.

die 8 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Furnitanae maiori R. D. Iulium Henricum Prado Bolaños, e clero dioecesis Ipialensis, parochum in urbe, vulgo dicta, « Cumbal », quem constituit Auxiliarem archidioecesis Caliensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Foritraianensi R. D. Edgarium a Iesu García Gil, rectorem Seminarii maioris dioecesis Carthadensis in Columbia, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Caliensis.

— Cathedrali Ecclesiae Sanctissimae Conceptioni in Argentina Exc.mum P. D. Bernardum Henricum Witte, O.M.I., hactenus Episcopum Rioiensem.

die 11 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Rivogallaecensi R. D. Alexandrum Antonium Buccolini, Societatis S. Francisci Salesii sodalem, Inspectorem Provincialem eiusdem Societatis in Argentina.

die 13 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Iacobi Equitum Exc.mum P. D. Ioannem Antonium Flores Santana, hactenus Episcopum Vegensem.

die 14 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Sanctae Rosae in California, Exc.mum P. D. Georgium Patricium Ziemann, hactenus Episcopum tit. Obbensem, et Auxiliarem archidioecesis Angelorum in California.

— Metropolitanae Ecclesiae Indianapolitanae, Exc.mum P. D. Danielem M. Buechlein, O.S.B., hactenus Episcopum Memphitanum in Tennesia.

die 16 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Cairnensi, Exc.mum P. D. Iacobum Foley, e clero archidioecesis Brisbanensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Mustitanae in Numidia R. D. Salvatorem Gristina, hactenus Vicarium generalem archidioecesis Panormitanae, quem deputavit Episcopum Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 17 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Briocensi R. D. Lucianum Fruchaud, e clero Nannetensi, Vicarium episcopalem pro permanenti clericorum formatione.

die 24 Iulii. — Metropolitanae Ecclesiae Valentinae Exc.mum P. D. Augustinum Garcia-Gasco Vicente, hactenus Episcopum titularem Nonensem, Auxiliarem archidioecesis Matritensis et Secretarium generalem Conferentiae Episcoporum Hispaniae.

die 25 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Tadduensi R. D. Fridelmum Hofmann, e clero archidioecesis Coloniensis, canonicum et parochum templi cathedralis, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Vallispaschalensi, noviter erectae,-R. D. Ioachimum Morón, curionem urbis vulgo Boconó, in dioecesi Truxillensi in Venetiola.

die 1 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Barinensi Exc.mum P. D. Antonium Iosephum López Castillo, hactenus Episcopum titularem Theuzitanum et Auxiliarem archidioecesis Maracaibensis.

ACTA TRIBUNALIUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Responsio ad propositum dubium.

Quaesitum est ab hac Apostolica Paenitentiaria utrum Norma 24 Enchiridii indulgentiarum — nimirum « Opere, cui praestando aliquis lege aut praecepto obligatur, nequit Indulgentia lucrifieri, nisi in eiusdem concessione aliud expresse dicatur; qui tamen praestat opus sibi in sacramentalem paenitentiam iniunctum et indulgentiis forte ditatum, potest simul et paenitentiae satisfacere et indulgentias lucrari » — ita intellegenda sit ut preces et pia opera, quae viri et mulieres, Institutorum Vitae Consecratae et Societatum Vitae Apostolicae sodales, offerre vel peragere vi suarum regularum vel constitutionum vel aliter ex praecepto tenentur, excludi ab indulgentiis assequendis, an vero ita ut eadem ad illas consequendas sufficere, censenda sint. Hoc autem quaesitum praesertim respicit adorationem SS.mi Sacramenti (cf. *Enchiridion indulgentiarum,* Concessio n. 3), Rosarii marialis recitationem (cf. *ib.,* Concessio n. 48), S. Scripturae lectionem (cf. *ib.,* Concessio n. 50).

Apostolica Paenitentiaria, re mature perpensa, respondet: negative ad primam partem, affirmative ad secundam; id est huiusmodi preces et pia opera valere ad indulgentias lucrandas.

In Audientia infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiori concessa die 30 Iunii 1992, SS.mus D. N. Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II hanc mentem adprobavit ac publici iuris fieri iussit.

Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die 1 Iulii 1992.

VILLELMUS card. BAUM
Paenitentiarius maior

L. & S

ALOISIUS DE MAGISTRIS
Regens

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteriav di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

17	giugno	1992.	Mons. Americo Do Couto Oliveira, *Capo Ufficio della Congregazione per i Vescovi.*
1	luglio	»	L'Em.mo Signor Cardinale John Joseph O'Connor, *Membro del Comitato di Presidenza del Pontificio Consiglio per la Famiglia.*
4	»	»	P. Joseph Edward Fox, O.P., *Capo Ufficio nell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica.*
7	»	»	Il prof. Giulio Mcotra, *Sanitario e Dirigente Incaricato del Fondo di Assistenza Sanitaria.*
»	»	»	Gli Em.mi Signori Cardinali Eduardo Martínez Somalo, Achille Silvestrini, Antonio Maria Javierre Ortas, José T. Sánchez, Pio Laghi e S. E. mons. Gilberto Agustoni, *Membri del Pontificio Consiglio per l'Interpretazione dei Testi Legislativi.*
8	»	»	Mons. Renato Boccardo, *Capo Ufficio per la Sezione Giovani del Pontificio Consiglio per i Laici.*

NECROLOGIO

14	luglio	1992.	Mons. Joaquim de Lange, Vescovo Prelato em. di Tefé *(Brasile).*
19	»	»	Card. Giuseppe Paupini del titolo « pro hac vice » di Ognissanti in Via Appia Nuova.
21	»	»	Mons. Tomas F. Reilly, Vescovo em. di San Juan de la Maguana *(Repubblica Dominicana).*
22	»	»	Mons. Thomas Joseph Drury, Vescovo em. di Corpus Christi *(Stati Uniti d'America).*
27	»		Mons. Eugen J. F. Vroemen, Vescovo em. di Chikwawa *(Malawi).*
4	agosto	»	Card. Frantisek Tomásek, del titolo dei Ss. Vitale, Valeria, Gervasio e Protasio.

An. et vol. LXXXIV 2 Octobris 1992 N. 10

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

GUVAHATINA

Nova dioecesis conditur, Guvahatina scilicet inter Indiae fines.

IOANNES PAULUS PP. II

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Opitulante quidem domino, inter Indiae gentes catholicum nomen laetanter vidimus florere et latius proferri. Ideo Nos aptare properamus ecclesiastica instituta ad feliciores rerum inibi condiciones. Quapropter de sententia Congregationis pro Gentium Evangelizatione, consiliis quorum interest auditis, favente Venerabili Fratre Georgio Zur, Archiepiscopo titulo Sestensi atque in India Pronuntio apostolico, quae sequuntur decernimus et statuimus. Haud mutatis, usquedum aliter provideatur a competenti auctoritate ecclesiastica seu religiosa, sedibus et muneribus cleri, sive cuivis alii dioecesi, sive alicui Instituto vitae consecratae adhuc adscripti, qui tum ad illam ipsam Ecclesiam Shillongensem-Gauhatinam (quae posthac solummodo Shillongensis vocabitur) tum ad dioeceses Tezpurensem et Turanam pertinet, detractis nonnullis locis, novam dioecesim condimus *Guvahatinam* appellandam et deinde suffraganeam Metropolitanae Sedi

Shillongensi habendam; quae hos districtus civiles comprehendet: Kokhrajar, Dhubri, Goalpara, Barpetta, Nalbari, Kamrup, Nagaon (de hoc tamen districtu tribus demptis subdistrictibus (v. d. Thana) Rupahihat, Kaliabar et Samugari, qui usque iuri dioecesis Tezpurensis subsunt). Episcopalem porro cathedram ponimus in templo Sancto Ioseph dicato eodemque in Guvahatina urbe posito. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Georgium Zur quem diximus legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re demum ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tricésima mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo altero, Pontificatus Nostri quarto decimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*
Antonius Macculi, *Protonot. Apost. s. n.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 303.886

II
CUMANENSIS

In Bolivia Provincia ecclesiastica conditur Cumanensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Necessitate adducti operae suae in id conferendae, ut « populi Dei saluti quam perfectissime fieri potest ministretur » (CD, 22), Venerabiles Pastores Ecclesiasticae Provinciae Civitatis Bolivarensis, plene cum Conferentia Episcopali Venetiolana concordes, modo ab Apostolica Sede petere non du-

bitaverunt, ut nova apud se Ecclesiastica Provincia nomine Cumanensis condatur cognominisque dioecesis ad superiorem traducatur ordinem Metropolitanae archidioecesis. Cuiusmodi re perpensa, cum et Venerabilem Fratrem Orianum Quilici, Archiepiscopum titulo Tablensem et in Venetiola Nuntium Apostolicum, eidem proposito perficiendo assentire constet, hodie de sententia Congregationis pro Episcopis, quam plane complectimur, deque potestate Nostra Apostolica harumque Litterarum virtute haec statuimus, quae sequuntur. Cumanensem Ecclesiam a Metropolitana archidioecesi Civitatis Bolivarensis deducimus eandemque ad gradum archiepiscopalis Ecclesiae Metropolitanae evehimus, iuribus auctam ac privilegiis, quae ceterarum talis ordinis archidioecesium sunt propria, ita ut nunc condita Provincia Ecclesiastica Cumanensis ex ipsa constet Cumanensi Ecclesia ac dioecesibus Barcinonensi in Venetiola atque Margaritensi, his pariter de Provincia Civitatis Bolivarensis iam nunc demptis. Cumanensis pro tempore Antistes, iuribus ac privilegiis Metropolitae cumulatus necnon oneribus officiisque devinctus, Archiepiscopus dehinc erit ac Metropolita; qua nunc dignitate Venerabilem Fratrem Iosephum Rodríguez Figueroa insignimus, obligationibus proinde ac oneribus astrictum ipsisque iuribus ornatum ac privilegiis cum eiusmodi munere et honore cohaerentibus. Memoratus Venerabilis Frater Orianus Quilici, Nuntius Apostolicus, omnia exequenda curet, quae hic iubentes statuimus, cui debitas facultates facimus una cum facultate ad id officium alii delegandum viro in ecclesiastica dignitate constituto, unoque tempore mandamus, ut verum rei peractae exemplum litterarum cito ad Congregationem pro Episcopis transmittat. Quod reliquum est, Apostolicas has Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum xvi mensis Maii, anno MCMLXXXXII.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

83 BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*
Antonius Macculi, *Protonot. Apost. s. n.*

Loco 83 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 304.896

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabilibus Servis Dei Salvatori Lilli et Septem Sociis Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui est in caelis » *(Mt* 10, 32).

Venerabiles Servi Dei Salvator Lilli et eius septem Socii in martyrio promissionem divini Magistri crediderunt et, ei coniuncti, in fidei professione manserunt usque ad sanguinis effusionem, et hinc praemium aeternae gloriae consecuti sunt.

Venerabilis Salvator Lilli Cappadociae in Aquilana provincia ortus est die XIX mensis Iunii anno MDCCCLIII, a parentibus valde christianis. Vestem religiosam induit Fratrum Minorum in Conventu loci Nazzano Romano appellati anno MDCCCLXX et professionem religiosam fecit anno MDCCCLXXI. Peculiaris condicio, quae in Italia facta est propter Ordinum religiosorum abrogationem a Potestatibus Publicis decretam, effecit ut iuvenis alumnus Franciscanus ad Loca Sancta Palaestinae profieisceretur. In urbibus Bethlehem et Ierusalem suam perfecit theologicam atque pastoralem formationem, ordinatione presbyterali absolutam, quam die vi mensis Aprilis accepit anno MDCCCLXXVIII.

Duobus post annis servitii apud Redemptoris sepulcrum, missus est ad Marasc Armeniae Minoris, ubi per quindecim annos in alacrem apostolatum incubuit. Per eum in humili illa gente studium effulsit missionale et spiritus S. Francisci Asisinatis. Caritate impulsus, tres novos condidit vicos ut dispersos núcleos familiares congregaret, quo melius eos protegeret ac edoceret. Amplum emit agrum ut opus daret et panem indigentibus et constanter instituendis iuvenibus prospexit. Praesertim alacriorem reddidit suorum paroecianorum vitam religiosam, qui eius trahebantur exemplo, pietate ac liberalitate. Aegros, pauperes, parvulos praeferebat. Sapiens consultor et sollers operum socialium fautor, necessitatibus catholicorum, orthodoxorum et M,acometi sectatorum consulebat; qua re ab omnibus aestimabatur et observabatur.

Anno MDCCCXciiii nominatus est parochus et superior hospitii oppidi Mugiukderesi. Ibi est insequentis anni mutationibus deprehensus, cum multae caedes patratae sunt a Turcis, praesertim Armenorum catholicorum. Fratres sodales vigilantem pastorem hortati sunt ut ad tutiorem confugeret locum.

Ipsi loci incolae, de vita Patris sui solliciti, perstiterunt ut in tutum se reciperet. Sed is quiete et fortiter respondit: « Meas non possum relinquere oves; malo cum eis mori, si est necessarium ». Die xix mensis Novembris anno MDCCCXCV milites domum paroecialem ingressi sunt et dux eorum illi optionem dedit utrum Christum negaret an moreretur. Firma cum fortitudine Venerabilis Servus Dei suam est fidem confessus: « Nullum, nisi Christum, cognosco ». Post tres dies est a manipulo abductus una cum septem paroecianis: Baldji Oghlou Ohannès, Khodianin Oghlou Kadir (vel Khadjir), Kouradji Oghlou Tzeroum (vel Zirou vel Ziroun vel Zirun), Dimbalac Oghlou Warfavar, Ieremias Oghlou Boghos, parochi famulus, David Oghlou David, Toros, frater Davidis. Duas horas iter fecerunt. Postquam illos morati sunt apud torrentem, tribunus militum postremum iis proposuit utrum Christum negarent an morerentur. Cum fidem suam prodere récusassent, primus occisus est Pater Salvator Lilli militum cuspidibus transfossus, et, statim post, reliqui septem Socii, testes, sicut ille, intrepidi et illustres Christi.

Sanctitatis fama durante, Vicarius Apostolicus Aleppensis initium fecit Causae canonizationis anno MCMXXX. Praescriptis canonicis processibus celebratis, apud Congregationem pro Causis Sanctorum secundo cum exitu actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum et deinde Congregatio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum. Die xii mensis Iulii anno MCMLXXXII, coram Nobis promulgatum est decretum, quo declaravimus mortem Patris Salvatoris Lilli a Cappadocia et eius septem Sociorum habendam esse verum martyrium.

Statuimus dein ut ritus beatificationis die III mensis Octobris eiusdem anni celebraretur.

Hodie igitur in Basilica Vaticana Principi Apostolorum dicata, hanc sumus inter Missarum sollemnia formulam elocuti: « Nos, vota fratrum nostrorum, Georgii Layek, archiepiscopi Aleppensis Armenorum, Pauli cardinalis Guyon, archiepiscopi Rhedonensis necnon plurium aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut venerabiles Servi Dei Salvator Lilli, Baldji Oghlou Ohannès, Khodianin Oghlou Kadir, Kouradji Oghlou Tzeroum, Dimbalac

Oghlou Wartavar, Ieremias Oghlou Boghos, David Oghlou David, Toros Oghlou David et Ioanna Jugan, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali: Beatorum martyrum Salvatoris Lilli eiusque Sociorum septem, die vicesima secunda mensis Novembris; Beatae Ioannae Jugan, die vicesima nona mensis Augusti, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit ». Quae autem per has Litteras decrevimus nunc firma esse ac rata volumus et in futurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Octobris, anno MCMLXXXII, Pontificatus Nostri quarto.

AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco ©Sigilli
In Secret. Status tab., n. 302.396

II

La Croce. Il legno della Croce. Oggi la Chiesa intera si concentra sulla Croce, a cui fu appeso Cristo, Salvatore del mondo: Venite, adoremus. La Chiesa adora la Croce e proclama a tutti gli uomini, a tutte le generazioni la sua forza salvifica.

Dalla Basilica di San Pietro siamo venuti al Colosseo. Siamo venuti avendo nella memoria quell'invocazione: « Ecce lignum Crucis, in quo salus mundi pependit. Venite, adoremus ».

Qui, nel Colosseo, ritorniamo sulla scia della Via Crucis di Cristo. La Via Crucis accompagna la storia dell'uomo.

2. All'inizio della Quaresima, nel Mercoledì delle Ceneri, l'Apostolo ci ha parlato: « Vi supplichiamo in nome di Cristo: lasciatevi riconciliare con Dio. Colui che non aveva conosciuto peccato, Dio lo trattò da peccato in nostro favore, perché noi potessimo diventare per mezzo di lui giustizia di Dio ».[1]

Parole profondamente commoventi.

Oggi queste parole hanno trovato il loro compimento. Poteva essere «trattato da peccato» Colui che non aveva conosciuto peccato? Colui che era il « tutto Santo »?

Ma — ha accolto il peccato. « Il Signore fece ricadere su di lui l'iniquità di noi tutti ».[2] E ha portato sul Golgota questo inesprimibile giogo come sua croce. E su questa croce ha dato la sua vita in sacrifìcio. Ecco il legno della Croce.

*** Die 17 m. Aprilis a. 1992.**

[1] ***2 Cor*** **5, 20-21.**

[2] ***Is*** **53, 6.**

La Croce, ha scritto qualcuno, è come una confessione universale. È una confessione dei peccati, della quale nessun uomo è capace. Ha una dimensione assoluta. Abbraccia l'intero « peccato del mondo », arrivando alle sue più nascoste radici.

Cristo, dopo essersi addossato tutto, ha su questo peccato la superiorità dell'infinito amore. Questo amore possiede la forza redentrice: « Con la tua Croce e la tua Passione hai redento il mondo ».

3. Così è rimasta nella storia dell'uomo la Croce di Cristo come il segno dell'amore che toglie i peccati.

È bene che alla fine di questo giorno siamo presenti qui, nell'antico Colosseo romano, al centro di una Città che ha conosciuto l'epopea dei martiri.

Qui, nella Roma dei Cesari, l'uomo ha compreso, in modo particolarmente profondo, il mistero della Croce. Coloro che agli inizi del Cristianesimo hanno dato la vita per Cristo, non cessano di testimoniare la forza della Croce. Ciascuno di loro nella propria carne ha completato quello che manca ai patimenti di Cristo a favore del suo Corpo...[3]

Le rovine del Colosseo non cessano di parlare di questo! Ed ecco, si apre come un immenso spazio che solo Dio penetra. In questo spazio sono presenti tutti gli uomini che, in modi diversi, partecipano ai patimenti di Cristo. Essi guardano la Croce, forse neppure sapendo che li abbraccia lo stesso mistero dell'amore redentore, che non conosce limiti.

« Ecce lignum Crucis... ».

II

Die Paschatis.*

1. « Io Sono ».[1]
Le donne si sono recate alla tomba;
l'hanno trovata vuota
ed hanno sentito annunciare: Lui non è qui!
Perché cercate tra i morti colui che è vivo?
È risuscitato![2]
« IO SONO ».

[3] Cf. *Col 1,* 24.

* Die 19 m. Aprilis a, 1992.
[1] *Gv* 8, 24.
[2] Cf. *Lc* 24, 5-6.

2. Secoli prima, Mose aveva chiesto a Dio il suo Nome:
« Io sono colui che sono »,[3]
suonava la risposta dal roveto ardente.
IO SONO — il nome di Dio, di « Jahweh ».
E Gesù ha détto ai figli di Israele:
« Prima che Abramo fosse, IO SONO »[4]
— e allora hanno cercato di lapidarlo.
Ha detto ancora:
« Quando avrete innalzato il Figlio dell'uomo,
allora saprete che IO SONO ».[5]
Poi innalzarono il Figlio dell'uomo sulla croce
e, quando ormai era morto,
colpirono il suo costato con la lancia
e il corpo esanime fu deposto nel sepolcro.
Però il terzo giorno, di buon mattino,
dal sepolcro vuoto giunge la conferma: IO SONO.
La vita e la morte del Figlio dell'uomo
sono radicate nell'immortalità
di COLUI che È.

3. « Io sono con voi ».
Così dice Cristo agli Apostoli:
e li manda in tutto il mondo,
per predicare il Vangelo a tutti i popoli.[6]
Li invia poveri e indifesi.
Dice: « Mi sarete testimoni ».[7]
Non prendete nulla per il viaggio.[8]
Avendo la testimonianza della risurrezione e della vita,
avete tutto: IO SONO con voi.
« Guai a me se non predicassi il Vangelo »,[9]
grida l'Apostolo... Guai a me!
« L'amore di Cristo ci spinge! ».[10]

[3] *Es* 3, 14.
[4] *Gv* 8, 58.
[5] *Ibid.* 8, 28.
[6] Cf. *Mc* 16, 15.
[7] *At* 1, 8.
[8] Cf. *Mc* 6, 8.
[9] *1 Cor* 9, 16.
[10] *2 Cor* 5, 14.

Quale altra Buona Novella può esservi,
all'infuori di questa, che Cristo è morto
per i peccati di tutti ed è risuscitato?
Che in lui la vita umana e mortale
è stata radicata nell'immortalità
di COLUI che È?

4. « IO SONO con voi ».
Da questa parola hanno avuto inizio
tutti gli itinerari apostolici,
tutti i percorsi missionari
che hanno portato il Vangelo nel mondo intero.
« IO SONO con voi »:
questa parola è all'origine
di quel nuovo cammino missionario,
che è iniziato cinquecento anni or sono
ed ha portato i testimoni del Risorto
oltre il grande vasto oceano,
verso popoli dei quali prima
neppur si conosceva l'esistenza.
Un nuovo mondo e uomini nuovi.
Potevano i discepoli di Cristo
non andare verso di loro con il Vangelo?
Quale altra verità può esservi più grande di questa,
che Cristo è morto per i peccati di tutti
e che il terzo giorno è risuscitato?
Che in lui la vita umana mortale
è stata radicata nell'immortalità
di Colui che ha detto:
« IO SONO COLUI che SONO »?

5. « Io sono con voi ».
Risuonano queste parole nel cuore dell'umanità;
esse danno senso alla storia.
« Abbiate fiducia; io ho vinto il mondo »,[11]
assicura il Risorto.
« Ecco, io sono con voi tutti i giorni,
sino alla fine del mondo ».[12]

[11] *Gv* 16, 33.
[12] *Mt* 28, 20.

Ascoltate quest'invito
voi tutti, popoli della terra!
Ascoltatelo voi, nazioni delle Americhe,
raggiunte cinquecento anni or sono
dalla luce della Croce.
Ascoltatelo in particolare voi, nazioni d'Europa,
che state affermando, nel mutare degli assetti politici,
le vostre peculiari caratteristiche.
Ascoltate, vi prego,
la voce di Colui che ha operato in voi con grande potenza.
Egli vi invita a non avere paura:
vi esorta a fare del Vecchio Continente
una realtà nuova, dove diversità non significhi
opposizione e scontro,
ma reciproco arricchimento
nella complementarietà e nello scambio.
Vi esorta a non costruire mai
la sicurezza sulla forza delle armi, distruttrici della vita
e di ogni fraterna civile convivenza;
a non seppellire mai con l'egoismo,
con la bramosia di beni materiali sempre più grandi
i nobili progetti di sviluppo e di pace;
a cercare, piuttosto, la libertà,
la verità e l'amore che rendono realmente liberi,
e consentono di costruire insieme un nuovo mondo.
Vi esorta ad essere creature nuove per una nuova umanità.

6. Io sono con voi. La mia pace sia con voi!
Così ripete Cristo, vincitore della morte,
in questo giorno di luce e di speranza.
Pace a voi, Fratelli e Sorelle qui presenti,
e a voi tutti, che mi seguite
attraverso la radio e la televisione.
Vi auguro la pace, la pace vera:
quella a cui anela nel profondo ogni essere umano.
Giunga quest'augurio pasquale a chi ancora combatte
in alcune regioni del Continente africano,
nel cuore dell'Europa e nel Caucaso.
Come non ricordare il dramma che stanno vivendo

le popolazioni della Bosnia Erzegovina
e del Nagorno Karabakh?
Lo rivolgo fiducioso a voi, popoli del Medio Oriente,
ricchi di secolari tradizioni umane e religiose,
perché il vostro importante patrimonio di valori
favorisca il dialogo
e faciliti l'auspicata soluzione
dei problemi ancora irrisolti.

7. Pace a te, travagliata popolazione cambogiana,
che ti sei avviata nel difficile cammino della concordia,
ancor turbata, purtroppo,
da non sopite rivalità.
Pace, parimenti, a voi che vivete nell'Estremo Oriente:
dal caro Vietnam al Laos ed alla grande Cina.
Nelle vostre terre, insieme ai connazionali,
i figli della Chiesa si impegnano con passione
per favorire uno sviluppo spirituale e materiale,
degno delle nobili tradizioni locali.
L'annuncio di pace del Cristo risorto
risuoni, altresì, nell'America Latina,
dove, all'armistizio faticosamente raggiunto nel Salvador,
fanno riscontro le tensioni e l'instabile situazione
che si registra nel Perù.
« Io sono con voi »,
dice ancora il Signore della vita
a coloro che in Africa continuano ad essere minacciati
dalla fame, dalla miseria, dalla malattia,
o sono vittime della drammatica esperienza
dell'odio e della vendetta.
La parola di Cristo
è consolante presenza per chi soffre,
è, inoltre, appello pressante
perché l'indifferenza ed il silenzio
non lascino inascoltato il grido angosciato dei poveri.

8. « Io sono con voi »:
continua a proclamare la Chiesa.
Quanti missionari, religiosi e laici, uomini e donne,
hanno fatto di sé un dono d'amore a Dio e ai fratelli!

Alcuni hanno pagato con la vita
la loro fedele testimonianza al Vangelo
e il loro impegno per l'uomo.
Il loro esempio è sostegno per tutti i credenti,
è vitale patrimonio per l'umanità intera.
In Cristo, vita immortale,
la loro morte,
la morte dell'uomo s'illumina di eterno fulgore.
« Questo è il giorno fatto dal Signore:
rallegriamoci ed esultiamo in esso! ».[13]
È il giorno prodigioso della vittoria:
la Pasqua di risurrezione.
Che l'annuncio della gioia pasquale
sia ascoltato da tutti gli uomini
e da tutti i popoli
sulla faccia della terra!

NUNTII SCRIPTO DATI

I

Ob diem ad communicationes sociales fovendas.*

Bear Brothers and Sisters,

For the twenty-sixth successive year, in response to a directive given by the Second Vatican Council, the Church célébrâtes a World Day dedicated to social communications.

What is it that this Day célébrâtes? It is a way of acknowledging with gratitude a specific gift of God, a gift which has enormous significance for the period of human history in which we are living, the gift of ail those technical means which facilitate, enhance and enrich communications between human beings.

On this Day, we celebrate the blessings of speech, of hearing and of sight, which enable us to emerge from our isolation and loneliness in order to exchange with those around us the thoughts and sentiments which arise

[13] *Sal* 117/118, 24.

* Die 24 m. Ianuarii a. 1992.

in our hearts. We celebrate the gifts of writing and reading by which the wisdom of our ancestors is placed at our disposai and our own expérience and reflection are passed on to the générations that follow us. Then, as if these wonders were of small account, we recognize the value of "marvels" even more wonderful: "the marvels of technology which God has destined human genius to discover",[1] inventions which in our time have immeasurably increased and extended the range over which our communications may carry and have amplified the volume of our voice so that it can simultaneously come to the ears of multitudes beyond counting.

The communications media—and we exclude none of them from our célébration—are the admission ticket of every man and woman to the modem marketplace where thoughts are given public utterance, where ideas are exchanged, news is passed around, and information of ali kind is transmitted and received.[2] For all of this we praise our Heavenly Father from whom comes "every good endowment and every perfect gift".[3]

Our célébration, while essentially one of gladness and thanksgiving, is of necessity tempered with sadness and regret. By the very media we are celebrating we receive constant reminders of the limitations of our human condition, of the présence of evil in individuáis and in society, of the senseless violence and injustice human beings wreak upon one another under so many pretexts. Through the media we often find oursei ves in the position of helpless spectators assisting at atrocities committed ali over the globe, whether the reason for them be historical rivalries, or racial préjudices, a desire for vengeance, a lust for power, greed for possessions, selfishness, or a lack of respect for human life and human rights. Christians deplore these happenings and motivations. But they are called to do much more; they must endeavour to overeóme evil with good.[4]

The Christian response to evil is, above ali, to hearken to the Good News and to make God's message of salvation in Jesus Christ ever more présent. Christians have a "good news" to tell. We have Christ's message —and it is our joy to share it with every man and woman of good will who is prepared to listen.

We tell it first by the witness of our lives, for, as Pope Paul VI wisely said, "modem man listens more willingly to witnesses than to teachers, and if he does listen to teachers, it is because they are witnesses".[5] We are

[1] ***Inter mirifica,*** **1.**
[2] Cf. ***Redemptoris missio,*** **37.**
[3] ***Jas*** **1:17.**
[4] Cf. ***Rom*** **12:21.**
[5] ***Evangelii nuntiandi,*** **41.**

expected to be like a city on a hill, like a lamp on a lampstand, visible to all, our light shining like a beacon signalling the safe Channel to a peaceful haven.[6]

When our individual and community lives exemplify the beliefs and values we profess as Christians, this fact cannot fail to be brought to the attention of the world by ail communications media that truly reflect the reality of things. Such a proclamation of Christ's message can already accomplish great good. How effective would be such a universal witness on the part of the members of the Church!

But, a stili more explicit proclamation is also expected of Christ's follo wers. We are obliged to proclaim our beliefs "in the light of day" and "from the housetops",[7] without fear or compromise, adapting the divine message, naturally, "to people's way of talking and their patterns of thought",[8] and always with a sensitivity towards their actual beliefs and convictions equal to the sensitivity which we expect from them in regard to our own. Our proclamation must invariably be made with that twofold respect which the Church insists on: respect for all human beings without exception in their quest for ans wers to the deepest questions of their lives, and respect for the action of the Spirit, already mysteriously présent in every human heart.[9]

Christ, we remember, forced his teaching on no one. He presented it to ali without exclusion, but left each one free to respond to his invitation. This is the pattern which we, his disciples, follow. We claim that ali men and women have the right to hear the saving message which he left with us; and we claim for them the right to embrace it if it convinces them. Far from feeling any obligation to apologize for putting Christ's message at the disposai of all, we claim with full conviction that it is our right and obligation to do no less.

There exists a corresponding right and obligation to use for this purpose ali the new media of communication which distinguish our times. Indeed "the Church would feel herself guilty before God if she did not avail herself of those powerful instruments which human skill is constantly developing and perfecting".[10]

It is clearly realized that these "powerful instruments" require specific skills and disciplines on the part of those who use them, and that to com-

[6] Cf. *Mt* 5:13-14.
[7] *Mt* 10:27; *Lk* 12: 3.
[8] *Communio et progressio,* 11.
[9] Cf. *Redemptoris missio,* 29.
Evangelii nuntiandi, 45.

municate intelligibly in these "new languages" there is a need for both special aptitudes and appropriate training.

It is in this connection that on World Communications Day I recali the activities of Catholics, individually and in a myriad of institutions and organizations, in this field. In particular I mention the three great Catholic Media Organizations: the International Catholic Office for Film and Cinema (OCIC), The International Catholic Press Union (UCIP), and the International Catholic Association for Radio and Television (UNDA). It is to them in particular and to the vast resources of professional knowledge, skill and zeal among their extensive international membership that the Church hopefully and confidently turns as she seeks to proclaim Christ's message in a form adapted to the instruments now at her disposai and in language intelligible to the worldwide media-conditioned culture to which it must be addressed.

The great body of Catholic media professional, lay men and women for the most part, must be reminded on this special day of the awesome responsibility which rests upon them, but they must also be made to feel that they enjoy the spiritual support and finn solidarity of the whole body of the faithful. I wish t o encourage them to e ven greater and more urgent efforts, both to communicate the message through the media and to train others to do so. I appeal to ali Catholic organizations, to Religious Congrégations and ecclesial movements, but in a special way to Episcopal Conferences, both national and regional, to foster the Church's présence in the media and to work for greater coordination among the Catholic agencies in vol ved. In fulfilling her mission, the Church needs t o be able to count on a far-reaching and more effective use of the means of social communication.

May God be the strength and support of all Catholics involved in the world of communications as they rededicate themselves to the work which he so clearly requires of them. As a token of his divine présence and of his all-empowering help for their efforts, I gladly impart to them my Apostolic Blessing.

From the Vatican, 24 January 1992, Feast of Saint Francis de Sales.

IOANNES PAULUS PP. II

II

Occasione oblata conventus Cartagenae in Colombia habiti: de rebus oeconomicis in mundo huius temporis.*

A Monsieur K.K.S. Dadzie
Secrétaire général de la Conférence des Nations Unies
sur le Commerce et le Développement

La nouvelle session de la Conférence des Nations Unies pour le Commerce et le Développement se propose d'examiner comment promouvoir « une économie mondiale saine, sûre et équitable ». Bien que ce thème ait été abordé maintes fois dans le passé, il convient de le reconsidérer aujourd'hui dans un esprit entièrement nouveau, car de profondes transformations ont affecté le monde depuis cinq ans.

Les bouleversements politiques qui se sont produits au cours de ces dernières années ont déjà commencé à faire sentir leurs effets dans les domaines de la production et de l'échange sur lesquels portent vos travaux. Vous vous efforcez d'en prendre toujours mieux la mesure et de les maîtriser. Les événements récents ont montré à l'évidence que le rêve de planifier l'économie au point d'étouffer l'initiative privée n'est pas réalisable car il porte préjudice à ce droit fondamental des peuples d'être « les principaux artisans et les premiers responsables de leur progrès économique et social
Cependant, il ne faudrait pas voir dans l'évolution actuelle uniquement la crise du marxisme car celle-ci « n'élimine pas du monde les situations d'injustice et d'oppression que le marxisme lui-même exploitait et dont il tirait sa force ».[2]

La désorganisation des économies planifiées aggrave la crise générale du commerce international contre laquelle votre Conférence cherche depuis plus de vingt-cinq ans à réagir, rendant encore plus nécessaire la mise en oeuvre de nouvelles solidarités. Mais un second écueil se présente ici. Les liens à instaurer ne peuvent répondre aux seuls impératifs du développement économique ni négliger le domaine social. De nombreuses tensions actuelles trouvent leur origine dans l'échec de cette époque qui n'a pas encore su comment allier les objectifs économiques et les objectifs sociaux.

Un changement important est intervenu, au cours de ces dernières années, dans la conception même du développement, de ses conditions et de

* **Die 11 m. Februarii a. 1992.**

[1] ***Pacem in terris,*** **III.**

[2] ***Centesimus annus,*** **26.**

ses buts. Le droit au développement devient un principe régulateur des relations internationales. Sans doute aucune définition humaniste n'en est-elle encore acceptée par tous; mais n'est-ce pas l'une des finalités de vos rencontres que d'ouvrir de nouveaux horizons à ceux que leur profession rend d'abord attentifs aux données chiffrées du commerce international? Vous préparez ainsi les responsables à faire entrer dans leurs perspectives et leurs calculs les données sociales de l'économie.

Les obstacles qui se dressent pour intégrer les dimensions sociales aux échanges internationaux et en faire une occasion de progrès humain des populations les plus démunies doivent être levés. Une conversion profonde des mentalités est ici nécessaire, car il faut que les hommes de notre époque entrent dans une autre logique. C'est l'intérêt de tous. Et c'est une condition pour la paix. Qu'il s'agisse d'une économie nationale ou des relations économiques internationales, l'expérience montre qu'un régime qui ne se donne pas pour objectif d'inscrire dans la réalité l'amélioration du bien-être matériel des personnes en même temps que leur développement spirituel ne peut se maintenir indéfiniment. Une réunion comme celle de Carthagène doit s'attacher à convaincre les hommes politiques et l'opinion publique, devant laquelle ils sont redevables de leur action, que les intérêts des hommes et des peuples l'emportent sur ceux de l'économie, si l'on veut que le surcroît de puissance de l'univers soit mis au service de l'homme et de la paix.

La misère de certaines populations et l'insécurité qui en est la conséquence constituent des faits d'une telle gravité qu'ils appellent une réaction immédiate de la part de tous ceux qui en ont les moyens. Paul VI relevait déjà en 1967 l'existence de «situations... trop disparates et [de] libertés réelles trop inégales» entre les peuples. Et il ajoutait: « La justice sociale exige que le commerce international, pour être humain et moral, rétablisse entre partenaires au moins une certaine égalité de chances ».[3] Ces problèmes ne sont pas encore résolus. Si quelques pays ont réussi à se hausser au niveau atteint par les anciens pays industriels, combien d'autres sont abandonnés à leur extrême pauvreté! Il est immoral d'ignorer la barrière de la misère qui sépare ceux qui sont bien pourvus de ceux qui sont dépourvus, car tous les hommes sont égaux en dignité; ils doivent obtenir les moyens de vivre dans la vérité, la liberté et la justice; ils ont le droit de compter sur la solidarité des autres. Il est illusoire de penser qu'il sera possible de laisser des millions d'hommes dans le désespoir

[3] ***Populorum progressio,*** 61.

comme s'ils ne devaient pas découvrir un jour la voie de la violence pour se faire entendre.

Beaucoup reste encore à faire pour arriver à plus d'équité dans les relations internationales. Mais, pour les peuples, cette marche paraîtra une nouvelle chimère s'ils ne perçoivent pas la détermination des plus riches et des plus puissants à rechercher inlassablement les voies les plus sûres de la justice et de la solidarité. C'est l'honneur de la CNUCED d'avoir toujours tenu à affirmer la dimension éthique des questions sur lesquelles ont porté ses travaux.

Bien conscient des enjeux auxquels la Conférence doit faire face, je confie vos travaux au Seigneur de l'histoire qui « jugera le monde avec justice et les peuples avec droiture ».[4]

Monsieur le Secrétaire général, je forme les meilleurs vœux pour l'accomplissement de votre tâche au cours de la VIII[e] session de cette Conférence. Je vous serai obligé de bien vouloir assurer les délégués de nombreuses nations qui y prennent part du grand intérêt que je porte à leurs efforts pour le développement harmonieux de tous les peuples qui composent l'unique famille humaine.

Du Vatican, le 29 janvier 1992

IOANNES PAULUS PP. II

[4] *Psaume 98,* 9.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

I

GUAYAQUILEN.

DECRETUM

Canonizationis Ven. Servae Dei Narcissae a Iesu Martillo Moran virginis saecularis (1832-1869).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilis Serva Dei Narcissa a Iesu Martillo Moran in viculo Nobol, intra fines dioecesis Guayaquilensis posito in Aequatoria, orta est, anno exeunte 1832 aut 1833 ineunte. Ambobus orbata parentibus in urbem Guayaquilium migravit, ut ad vitam necessaria tamquam vestifica quaeritant. Sed eius cura praecipua in eo posita fuit, ut Iesum patientem consolaretur et hominum expiaret peccata, exemplum secuta S. Mariae Annae a Iesu Paredes y Flores, primae Aequatoriae sanctae.

In solitudine ac paupertate singulari cum fervore et alacritate deprecationi se dedidit et asperis paenitentiis. Loca invenire cupiebat, ubi ad precationem intendere posset et libere in sui castigationem inque pietatem incumbere.

Pluries domicilium mutavit, donec anno 1868 Limam se contulit, qua in urbe hospes fuit apud Tertiariarum Dominicanarum Communitatem. Ibi quoque fidei soliditate fulsit, caritatis ardore, precationis, contemplationis et sacrificii studio. Omnibus exornata virtutibus, de vita decessit die 8 mensis Decembris anno 1869, de improviso.

Sanctitatis fama, quam viva sibi comparaverat, post eius mortem est aucta; quam ob rem apud Curiam archiepiscopalem Guayaquilensem Causa canonizationis initium habuit per celebratum processum ordinarium infor-

mativum (annis 1961-1962). Iis omnibus peractis, quae normae canonicae praecipiunt, die 23 mensis Octobris anno 1987, coram Summo Pontifice Ioanne Paulo II decretum promulgatum est, per quod Serva Dei agnita est heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Ad eiusdem Venerabilis Servae Dei beatificationem obtinendam, Causae Actores ad Congregationem de Causis Sanctorum retulerunt de asserta mira sanatione iuvenis Ioannis Baptistae Pesantes Peñaranda, intercessione tributa Narcissae a Iesu Martillo Moran. Iuvenis hic anno 1965 acerbum subiit vulnus in regione frontis et oculorum cavearum, quod sex post mensibus tumentiam excivit ibidem. Therapia medica et postea chirurgica est sine ullo beneficio curatus, quandoquidem tumor regerminabat. Interea exorta est sinuum maxillarium et frontis inflammatio. Post falsam morbi remissionem, anno 1967, mense Octobri in valetudinario Guayaquilensi biopsia est effecta, quae tumoris maligni praesentiam ostendit. Aegrotus translatus est ad Institutum cancris curandis eiusdem urbis, ut therapiam obiret a Rontgen appellatam. Ibi, magna cum fiducia, in partem aegrotantem imponere coepit paulum lanuginis, quae antea corpus Servae Dei tetigerat, cui preces adhibuerunt ipse aeger et nonnulli religiosi. Post duas solas appositiones therapiae a Rontgen appellatae inexplicabiliter patrata est optata sanatio.

De hoc casu apud Curiam Guayaquilensem instructus est anno 1980 processus cognitionalis, cuius auctoritas probata est per decretum die 30 mensis Iunii anno 1984 promulgatum. Consilium Medicorum, in sessione habita die 27 mensis Iunii anno 1991, haec verba est elocutum: diagnosis: « reticulosarcoma, nunc lymphoma histiociticum malignum denominatum, mononodale, circumscriptum, a sinu frontis proficiscens »; prognosis: «suspensa quoad vitam»; therapia radiationibus agens: «impar habenda»; sanationis ratio: « sanatio comparate celeris, perfecta et mansura, inexplicabilis pro nostra scientia ». Die 20 mensis Decembris anno 1991 actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris, cui praefuit Rev.mus Fidei Promotor Generalis Dominus Antonius Petti; die 18 mensis Februarii anno 1992 effecta est Congregatio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de praefatis rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super eadem mira sanatione decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinali infrascripto Praefecto, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more con vocandis, eisque adstantibus Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Venerabili Serva Dei Narcissa a Iesu Martillo Moran, videlicet de comparate celeri, perfecta et mansura sanatione iuvenis Ioannis Baptistae Pesantes Peñaranda a « reticolosarcoma, attualmente denominato linfoma istiocitico maligno, mononodale, circoscritto, a partenza dal seno frontale ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum idem Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Martii A. D. 1992.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. £8 S.

£8 Eduardus Nowak,
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

GUADAL A JAREN.

DECRETUM

Canonizationis servorum Dei Christophori Magallanes et XXIV sociorum sacerdotum dioecesanorum et virorum laicorum in odium fidei, uti fertur, interfectorum (1915-1937).

SUPER DUBIO

An constet de martyrio eiusque causa, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Qui audit verba mea haec et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam super petram. Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti et irruerunt in domum illam, et non cecidit: fundata enim erat supra firmam petram » *(Mt* 7, 24-25).

Christi discipuli peregrinantes in terra ad divinum Magistrum sequendum in via crucis parati esse debent et ad firmiter manendum in oboedientia fidei, etiam in difficultatibus, in acerbitatibus ac persecutionibus. Ali-

qui autem ex illis a Deo vocantur ut coram hominibus, praesertim vero coram persecutoribus supremum dent caritatis fidelitatisque erga Dominum Iesum, eius Evangelium et Ecclesiam testimonium sui sanguinis effusione.

Hoc in Mexico evenit saeculo hoc ineunte, cum non pauci christiani sunt martyrii coronam adepti.

Ut notum est, publicae magnae illius nationis auctoritates, iniquis legibus et cruenta persecutione Ecclesiam eiusque institutiones a populi vita eradicare conati sunt, qui tamen fortiter atque animose restitit. Eiusmodi in condicionibus Christi gregis inimici frustra adorti sunt schismaticam instituere ecclesiam; deinde e finibus omnes pepulerunt sacerdotes exteros, ephebeorum atque scholarum catholicarum cessationem iusserunt ac leges et iudiciorum poenas mutaverunt, capitibus additis legis Ecclesiae alienis. Episcoporum eius loci reclamationes atque multorum catholicorum irritae fuerunt. Potestatum mandatu omnes fere sacerdotes sunt a suis communitatibus amoti, quam ob rem suorum episcoporum permissu in magnas migraverunt urbes aut patriam dereliquerunt: sed centum ferme, quamvis scirent se magna pericula esse subituros, in suo loco manere maluerunt, ut animis servirent sacramenta subministrando, Eucharistiam celebrando, catechesim tradendo, pauperes visitando et aegrotos.

Huius agminis participes fuerunt duo et viginti sacerdotes de quibus nunc agimus. Ii, bonum imitantes Pastorem qui animam suam ponit pro ovibus (cf. *Io* 10, 11), suas noluerunt deserere communitates christianas et, periculi neglegentes, munere suo fungi perrexerunt, sibi a superioribus concredito. Fideles idcirco erga vocationem suam sacerdotalem, nihil aliud curaverunt, nisi animarum bono prodesse per nuntium verbi Dei, sacrorum celebrationem et caritatis exercitium. A qualibet politica actione se abstinuerunt et ab obstantia armata alieni fuerunt, quam contra, exsequebatur motus, cui « Cristeros » nomen erat. Multi ex iis saepe dixerunt se paratos esse ad martyrium huncque laudabilem confirmavere sensum cum deprehensi sunt atque diebus qui, quod ad quosdam pertinet, occisioni antecesserit. Minas patienter tulerunt, indignitates, corporis et animi cruciatus, et ecclesiae schismaticae assentiri recusaverunt. Suis persecutoribus ignoverunt et, magna fulti fide, audacter pro Christo proque Ecclesia mortem obierunt, indicta causa. Ideo quod sacerdotes erant, et insuper apostolatui dediti, interfecti sunt.

Ii fuere:

1. Christophorus Magallanes, pagi Totatiche parochus; qui natus est die 30 mensis Iulii anno 1869 et ordinationem presbyteralem accepit die 17

mensis Septembris anno 1899: plumbea glande necatus est die 25 mensis Maii anno 1927 in loco Colotlán;

2. Augustinus Caloca, vicarius cooperator pagi Totatiche, seminarii ibi instituti praefectus et professor; qui natus est die 5 mensis Maii anno 1898 et ordinationem sacerdotalem accepit die 5 mensis Augusti anno 1923; est glande transfossus cum sacerdote Christophoro Magallanes;

3. Iosephus Maria Robles, parochus loci Tecolotlán; qui natus est die 3 mensis Maii anno 1888 et ordinationem sacerdotalem accepit die 22 mensis Martii anno 1913; condidit Congregationem Sororum a Iesu in Sanctissimo Sacramento; die 26 mensis Iunii anno 1927 suspensus est in vicinia oppidi Quila;

4. David Gal van, vicarius cooperator pagi Amatitán; qui natus est die 29 mensis Ianuarii anno 1881 et sacerdos est ordinatus die 20 mensis Maii anno 1909; est plumbo interfectus die 30 mensis Ianuarii anno 1915 prope valetudinarium civile Guadalajarense;

5. Iustinus Orona, parochus vici Cuquío, qui ortus est postridie idus Apriles anno 1877 et est sacerdos ordinatus die 7 mensis Augusti anno 1904; est plumbo necatus calendis Iuliis anno 1928 in vico Las Cruces;

6. Atilanus Cruz, vicarius coadiutor vici Cuquío; qui ortus est die 5 mensis Octobris anno 1901 et ordinationem sacerdotalem accepit die 24 mensis Iulii anno 1927; est plumbo transfossus calendis Iuliis anno 1928 cum sacerdote Iustino Orona;

7. Romanus Adame Rosales, parochus pagi Nochistlán; qui natus est die 27 mensis Februarii anno 1859 estque sacerdos ordinatus die 30 mensis Novembris anno 1890; est ignivoma manuballista necatus die 21 mensis Aprilis anno 1927 in coemeterio vici Yahualica;

8. Iulius Alvarez Mendoza, parochus pagi Mechoacanejo; qui ortus est die 20 mensis Decembris anno 1866 estque ordinatus sacerdos postridie calendas Décembres anno 1894; est plumbo interfectus die 30 mensis Martii anno 1927 in loco San Julián;

9. Petrus Esqueda, qui sacrum exercebat ministerium tamquam vicarius cooperator in oppido San Juan de los Lagos; quique ortus est die 29 mensis Aprilis anno 1887 et ordinationem sacerdotalem accepit die 19 mensis Novembris anno 1916; plumbo transfossus est die 22 mensis Novembris anno 1927 in oppido Teocaltitán;

10. Rodericus Aguilar, parochus vici Unión de Tula; qui natus est idibus Februariis anno 1875 et ordinationem sacerdotalem accepit die 4 mensis Ianuarii anno 1903; in platea vici Ejutla est arbori suspensus die 28 mensis Octobris anno 1927;

11. Tranquillinus Ubiarco, parochus succedaneus pagi Tepatitlán; qui ortus est postridie nonas Iulias anno 1899 et sacerdotalem ordinationem accepit nonis Augustis anno 1923; die 5 mensis Octobris anno 1928 est arbori suspensus ad ostium pagi Tepatitlán;

12. Ianuarius Sánchez, cappellanus pagi Tamazulita; qui natus est die 19 mensis Septembris anno 1886 et ordinationem sacerdotalem accepit die 20 mensis Augusti anno 1911; die 17 mensis Ianuarii anno 1927 suspensus est in colle La Loma apud locum Tecolotlán;

13. Iosephus Isabel Flores, qui sacrum exercebat ministerium in pago Zaplotanejo quique ortus est die 28 mensis Novembris anno 1866 et sacerdotalem accepit ordinationem die 26 mensis Iulii anno 1896; die 21 mensis Iunii anno 1927 est securi percussus in coemeterio pagi Zaplotanejo;

14. Saba Reyes, qui sacrum ministerium explicabat in pago Tototlán quique natus est nonis Decembribus anno 1883 et sacerdotalem accepit ordinationem mense Decembri anno 1911; idibus Aprilibus anno 1927 est plumbo transfossus in coemeterio pagi Tototlán;

15. Turibius Romo, qui sacrum explicabat ministerium in oppido Tequila quique ortus est die 16 mensis Aprilis anno 1900 et sacerdotalem ordinationem accepit die 23 mensis Decembris anno 1922; est plumbea glande necatus die 25 mensis Februarii anno 1928 in fabrica oppidi Tequila;

16. Aloisius Batis, parochus pagi Chalchihuites; qui ortus est idibus Septembribus anno 1870 et sacerdotalem accepit ordinationem calendis Ianuariis anno 1894; est plumbo necatus die 14 mensis Augusti anno 1926 in pago Chalchihuites;

17. Matthaeus Correa, parochus oppidi Valparaíso; qui ortus est die 23 mensis Iulii anno 1866 et sacerdotalem ordinationem accepit die 20 mensis Augusti anno 1893; est plumbo interfectus postridie nonas Februarias anno 1927 prope coemeterium urbis Durangi;

18. Petrus Maldonado, parochus oppidi Santa Isabel; qui natus est die 15 mensis Iunii anno 1892 et est sacerdos ordinatus die 25 mensis Ia-

rmarii anno 1918; mortuus est die 11 mensis Februarii anno 1937 in valetudinario principali Chihuahuensi propter ictus quibus pridie eius diei erat caesus;

19. Iesus Méndez, parochus vici Valtierrilla; qui ortus est die 10 mensis Iunii anno 1880 estque sacerdos ordinatus die 3 mensis Iulii anno 1906; est in vico Valtierrilla plumbo transfossus nonis Februariis anno 1928;

20. David Uribe, parochus pagi Iguala; qui natus est die 29 mensis Decembris anno 1888 et ordinationem sacerdotalem accepit postridie calendas Martias anno 1913; interfectus est pridie idus Apriles anno 1927 in vicinia oppidi San José Vidal;

21. Margaritus Flores, parochus pagi Atenango del Rio; qui natus est die 22 mensis Februarii anno 1899 et ordinationem sacerdotalem accepit nonis Aprilibus anno 1924; est plumbea glande transfossus pridie idus Novembres anno 1927 in oppido Tulimán;

22. Michael de la Mora, cappellanus Cathedralis Colimensis, rector dioecesanus Propagationis Fidei et moderator spiritalis ephebei La Paz denominati; qui ortus est die 19 mensis Iunii anno 1874 et ordinationem sacerdotalem accepit anno 1906; est plumbo transfossus die 7 mensis Augusti anno 1927 in castris stativis Colimensibus.

Per eandem contra Ecclesiam persecutionem multi etiam laici perierunt, inter quos tres iuvenes, ad Actionem Catholicam aggregati ac sui parochi Aloisii Batis adiutores. Ii se paratos dixerant esse ad vitam pro Christo fundendam et re ipsa id testati sunt, quandoquidem nec suam fidem occultaverunt nec se Actionis Catholicae participes esse, animose ac magna cum tranquillitate custodiam obierunt, iniurias, vexationes et ad ultimum mortem, indicta causa. Ii strenui christiani fuere:

1. Emmanuel Morales, ortus die 8 mensis Februarii anno 1898, qui est plumbo interfectus die 15 mensis Augusti anno 1926;

2. Salvator Lara, natus idibus Augustis anno 1905; qui secretarius fuit Societatis Nationalis libertati religiosae vindicandae et Actionis Catholicae iuventutis Mexicanae praeses; est plumbo interfectus die 15 mensis Augusti anno 1926;

3. David Roldan, ortus postridie calendas Martias anno 1907, qui praeses fuit Actionis Catholicae Mexicanae ac vicarius praesidis Societatis Nationalis libertati religiosae vindicandae; plumbo est transfossus die 15 mensis Augusti anno 1926.

Hi Servi Dei, a diversis Mexicanis dioecesibus oriundi (duodecim a dioecesi Guadalaiarensi et tredecim ab aliis dioecesibus) inde a die mortis suae veri habiti sunt martyres fidei. Hac durante fama, canonizationis Causae initium factum est. Apud Curiam Guadalajarensem, ab anno 1933 ad annum 1969, decem celebrati sunt processus ordinarii informativi super martyrio duodecim Servorum Dei; postea (annis 1984-1988) apud Curias Guadalajarensem, Durangensem, Chihuahuensem, Moreliensem, Chilapensem, Colimensem novem instructi sunt processus canonici super reliquorum tredecim Dei Servorum martyrio. Horum processuum auctoritas probata est per decretum die 24 mensis Maii anno 1991 promulgatum. Prospero cum exitu die 22 mensis Novembris eodem anno Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris est actus, cui praefuit Rev.mus Dominus Antonius Petti, Fidei Promotor Generalis. Patres Cardinales dein et Episcopi, in Congregatione Ordinaria coacti die 4 mensis Februarii anno 1992 habita, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Francisco Pironio, professi sunt Servos Dei Christophorum Magallanes et viginti quattuor socios veros habendos esse martyres, in odium fidei occisos.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, praecepit ut decretum super martyrio praefatorum Servorum Dei rite conscriberetur.

Quod cum factum esset, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis eisque adstantibus Beatissimus Pater declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Christophori Magallanes, et XXIV Sociorum Sacerdotum dioecesanorum et virorum laicorum, in odium fidei in Mexico interfectorum, annis 1915-1937, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 7 mensis Martii A. D. 1992.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. *m S.*

£8 Eduardus Nowak,
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

III

LUCIONEN.

DECRETUM

Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Ludovicae a Iesu (in saec.: Mariae Ludovicae Trichet) confundatricis Filiarum a Sapientia (1684-1759).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilis Serva Dei Maria Ludovica a Iesu (in saeculo Maria Ludovica Trichet) Pictavae in Gallia nata est nonis Maiis anno 1684. A puera bona cum voluntate iter facere coepit perfectionis christianae et, septemdecim annorum, in urbe patria cognovit sanctum Aloisium Grignion de Montfort, qui eius factus spiritus moderator eamque adiuvit ut suam vocationem ad vitam consecratam ad effectum adduceret. Cum eo namque obsequenter se consociavit in Congregationem Filiarum a Sapientia condendam quae, etsi magna fuit inopia multaeque difficultates, vivide floruit. Tamquam antistita generalis suo est munere iuncta cum diligentia atque prudentia, suis sodalibus sororibus mira praebens exempla caritatis in Deum et in proximum, maternae de pauperibus et aegrotis curae, humilitatis, patientiae, fervoris in deprecatione inque pietate erga Eucharistiam ac Virginem Mariam, amoris crucis Christi et animarum salutis studii. Pie mortem obiit die 28 mensis Aprilis anno 1759 in oppido Saint-Laurent-sur-Sèvre atque sepulta est prope tumulum sancti Aloisii Grignion de Montfort in ecclesia paroeciali.

Canonizationis Causa nonnisi inita est anno 1952 instrumentis historicis collectis ad eandem Venerabilem Dei Servam pertinentibus. Deinde processus ordinarius informativus est celebratus (annis 1953-1954) apud Curiam Lucionensem. Prospere actis Congressu Peculiari Consultorum Theologorum et deinceps Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, die 10 mensis Iulii anno 1990 coram Summo Pontifice Ioanne Paulo II decretum promulgatum est, quo Venerabilis Serva Dei iudicata est virtutes théologales, cardinales et adnexas heroum in modum exercuisse.

Ad beatificationem consequendam Causae Actores ad Congregationem de Causis Sanctorum de coniecta mira sanatione retulerunt, intercessioni Venerabilis Servae Dei tributa. Sanatio attinet ad Sororem Rosam a Sa-

pientia (Aloisiam Ravasio), religiosam professam Congregationis Filiarum a Sapientia. Haec, ad annum 1941, affici coepta est stomachi doloribus, quos sequebantur vomitio, debilitas, cephalaea et inde corporis macies. Eodem anno bis secta est sine ulla utilitate. Ineunte anno 1942 signa inventa sunt diabetae melliti et curatio incepta est per insulinum, quae ob fortuitas causas bellicas non est optimo modo peracta. Acerbae implicationes deinde in artubus inferioribus apparuerunt et posterius in superioribus; de plurium nervorum inflammatione existimatum est cum atrophia musculorum, quam ob rem aegrota lecto est affixa. Interea diabetes in peius mutatus est gradatim, adeo ut die 8 mensis Augusti anno 1944 Soror Rosa a Sapientia in coma diabeticum ceciderit. Universae condicionis gravitas, molis deminutio et implicationes quae super venerunt, ad significandam prognosim infaustam induxere: hinc quaelibet therapia est intermissa, utpote inutilis ad morbum discutiendum. Interim Sorores valetudinarii Domus Principis Filiarum a Sapientia, quo aegrota erat deducta, una cum ea Venerabilem Servam Dei Mariam Ludovicam a Iesu precari inceperant a die 16 mensis Iulii anno 1944 ut sanationem obtinerent. Altera novendiali supplicatione confecta, die scilicet 9 mensis Augusti eodem anno, Soror Rosa a Sapientia ex cornate exivit, loqui coepit et cibum sumere expetivit; postea e lectulo surrexit nullius auxilio atque in sacellum se contulit ut Domino ac Venerabili Servae Dei gratias ageret pro obtenta sanitate.

De hoc eventu anno 1947 processus canonicus instructus est apud Curiam Lucionensem, cuius auctoritas probata est per decretum die 25 mensis Ianuarii anno 1991 promulgatum. Postid consuetae factae sunt inspectiones medicorum et postea Theologorum apud Congregationem de Causis Sanctorum. Propterea die 24 mensis Octobris anno 1991 sessio habita est Consilii Medicorum, quod sic est elocutum: diagnosis: «coma diabeticum gravissimum in persona nervorum plurium inflammatione affecta cum artuum radicis musculorum atrophia gravi atque privatione repercussus tenontium, nervorum infirmitate automatopoeeta in stomacho et intestinis sita et condicione universa extenuata»; prognosis: « infausta »; therapia: «impar quoad mensuram et modum suppeditationis; intermissa, utpote inutilis habita »; sanationis ratio: « subitanea, perfecta et mansura; pro nostra scientia inexplicabilis ». Die 7 mensis Ianuarii anno 1992 actus est Theologorum Consultorum Congressus Peculiaris, cui praefuit Fidei Promotor Generalis Rev.mus D.nus Antonius Petti; die 3 mensis Martii subsequentis effecta est Congregatio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Gagnon. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio

an de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de praefatis rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super eadem mira sanatione decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Venerabili Serva Dei Maria Ludovica a Iesu (in saeculo: Maria Ludovica Trichet), videlicet de subitanea, perfecta et mansura sanatione a « coma diabetico gravissimo in soggetto con polinevrite, grave amiotrofia della radice degli arti e ariflessia tendinea, neuropatia autonómica a localizzazione gastro-intestinale e condizioni generali scadute ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum idem Summus Pontifex referri praecepit.

Datum Romae, die 7 mensis Martii A. D. 1992.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

£B Eduardus Nowak,
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

IV

LUGDUNEN.

DECRETUM

Canonizationis Servae Dei Ioannae Chézard de Matel fundatricis Congregationis Verbi Incarnati et Sanctissimi Sacramenti (1596-1670).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam » *(Io* 3, 16).

Divinorum mysteriorum contemplatio, et praesertim Patris amoris, qui Filium dat pro mundi redemptione, animam inflammavit Servae Dei Ioannae Chézard de Matel ardenti caritate eamque impulit ad se laudi atque adorationi Verbi Incarnati dedendam. Ut hoc propositum assequeretur, etsi multae ei difficultates et acerbitates obfuerunt, novam condidit religiosam familiam, quam supernaturali cum sapientia et materna cura duxit ad contemplationem Dei hominis facti et ad christianam iuventutis educationem.

Serva Dei Romae orta est die 7 mensis Iulii anno 1859 a legitimis coniugibus Angelo Vannini et Annuntiata Papi; subsequenti die in paroecia S. Andreae de Hortis baptismum accepit estque appellata Iuditha, Adelaidis et Agatha. Die 19 mensis Martii anno 1873 primum ad Eucharisticam mensam accessit estque Confirmationis sacramento munita. Puerula ambobus est orbata parentibus, quam ob rem excepta est et educata in Romano orphanotrophio « Torlonia », quod Filiae Caritatis S. Vincentii de Paul dirigebant, ubi ad annum 1880 mansit, ab Antistitibus et aequalibus magni existimata propter lenitatem, bonitatem et diligentiam, qua suis fungebatur muneribus. A Primae Communionis die coepit fortem atque constantem allegationem animadvertere ad vitam consecratam, et quamvis aliquis niteretur eam dissuadere de via illa ingredienda, perseveravit in suo proposito. Anno igitur 1883 inter Filias Caritatis intravit, vestem religiosam induit et novitiatum incepit, sed est ab Instituto dimissa, etiam quod non bona utebatur valetudine. Post varios eventus Providentia effecit ut, dum religioni operam dabat sub magistro pietatis, exeunte anno 1891, in Servum Dei P. Aloisium Tezza incideret, Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Procuratorem Generalem, qui paulo ante Consilio Generali Ordinis sui permissionem obtinuerat instituendi Communitatem Tertiariarum Camillinarum, ministerio deditarum aegrorum. Occursus ille discrimen fuit in vita Servae Dei quae, re attente considerata, consensit cum P. Tezza de opera navanda novae religiosae familiae condendae.

Postridie calendas Februarias anno 1892, duabus cum sociis, vestem scapularem accepit Tertiariarum Camillinarum et die 19 mensis Martii insequentis vestem religiosam induit, nomen cepit Sororem Mariam Iosephinam et nascentis Communitatis est antistita nominata. Ita Congregatio Filiarum Sancti Camilli iniit, cuius ipsa Serva Dei conditrix habetur. Die 8 mensis Decembris anno 1895 professionem perpetuam fecit et est creata antistita generalis. Non paucis victis difficultatibus, anno 1909 institutum, quod interim in Italia, in Gallia, in Belgio atque in Argentina auctum erat, a Cardinali Petro Respighi, vicario generali Summi Pontificis pro dioecesi Romana, evecta est ad Congregationem iuris dioecesani et denique a Sancta Sede approbata anno 1931.

Ad mortem usque Serva Dei egregie antistitae generalis munus sustinuit, cum prudentia suum regendo institutum atque cum amabilitate et vigore incumbendo in sororum sodalium spiritalem formationem, quas volebat in suam consecrationem fideles, sedulas in exsequendis muniis erga

Deum et proximum, perfecte observantes magnarum et parvarum regulae normarum, cui se dederant. Simul professoriam formationem sororum curavit, ut habiles essent etiam aegrorum ministrae, tales quidem, quae his quam optime assidere possent.

Dum indefatigabili cum ardore et sacrificii spiritu suo serviebat instituto, sine intermissione in divini Magistri imitatione progrediebatur inque virtutum christianarum exercitio, splendidum omnibus testimonium praebens fidei et ardentis caritatis. Firmiter enim in Deum credidit, in verbum eius et amorem. Semper parata fuit ad divinam faciendam voluntatem atque ad laborandum pro Christi regni incremento et animarum utilitate, spiritu mota humilitatis, sacrificii necnon sincerae communionis cum Ecclesia et oboedientiae Romano Pontifici, Episcopis, Sacerdotibus. Coniunctionem cum Domino coluit per meditationem, contemplationem, deprecationem, pietatem erga Eucharistiam, Sacrum Iesu Cor et Passionem, votorum religiosorum accuratam observantiam et regulae, perque peccatorum fugam. Crucis Christi amans, indolem suam castigabat, commoda recusabat rebusque supervacaneis se abstinebat et, cum spem suam in Dei auxilio posuisset, cum tranquillitate ac patientia sacrificia et acerbitates tolerabat, in quae a puera est delapsa: similiter molestias excepit ab infirmitate valetudinis proficiscentes et ab itineribus, quae faciebat ut domus et sorores suae Congregationis viseret. Cum simplicitate, diligentia et continentia praeceptum caritatis erga proximum explicavit, peculiari cum assiduitate erga sorores sodales, aegros, pauperes, peccatores: de eorum spiritali salute sollicita erat et corporali, sororesque docebat idem facere cum urbanitate neque viribus parcentes.

Ab ineunte aestate anni 1910 valetudo Servae Dei, incommodis cordis correptae, in peius gradatim versa est. Adstricta ad quiescendum omnino, consueta cum animi fortitudine novam accepit condicionem. Quotquot ei aderant, eius pietatem in Deum, patientiam in quolibet dolore, amabilitatem in sorores, docilitatem erga confessarios, spiritum cupiditatum refrenationis, gratum animum ob parvum quodvis servitium, sensuum humilitatem admirabantur. Die 21 mensis Februarii anno 1911, maxima cum serenitate et pietate, nomina Iesu et Mariae invocans atque Crucifixum amplectens et osculans, Viaticum recepit et Unctionis infirmorum sacramentum. Biduo post, id est die 23 mensis Februarii, animam Deo reddidit.

Sanctitatis fama, quam sibi viva comparaverat, post mortem quoque mansit: qua re Vicarius generalis Suae Sanctitatis pro dioecesi Romana Causae canonizationis initium fecit et processum ordinarium informativum

egit (annis 1955-1956), cui additi sunt processus rogatoriales Bonaëropolitanus et Cameracensis. Die 22 mensis Martii anno 1961 decretum promulgatum est de scriptorum Servae Dei recognitione; die 15 mensis Decembris anno 1977 decretum super Causae introductione et die 5 mensis Iulii anno 1985 decretum super auctoritate horum processuum. Inspectae sunt deinde virtutes. Die 25 mensis Octobris anno 1991 actus est exitu cum secundo Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, praesidente Promotore Generali Fidei Rev.mo Antonio Petti. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Congregatione Ordinaria diei 7 mensis Ianuarii anni 1992, Causae Ponente Exc.mo Domino Angelo Palmas, Archiepiscopo titulari Vibianensi, agnoverunt Servam Dei Iosephinam Vannini heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Iosephinae Vannini, fundatricis Congregationis Filiarum Sancti C amitti, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Martii A. D. 1992.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ffi-S.

£8 Eduardus Nowak,
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

II

TAURINEN, seu ASMAREN.

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Angelici a None (in saeculo: Matthaei Pittavino), sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum (1875-1953).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Sicut Filius hominis, qui non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis » *(Mt* 20, 28).

Ad normam huius Christi hortatus Servus Dei Angelicus a None vitam suam direxit. Nam a iuventute « Padre, faccio io » appellabatur, quia tam subditus quam superior, in claustris et in missionibus, « minister et servus aliorum fratrum » *(Regula Franciscana,* c. X) evasit: libenter, humiliter et iucunde serviens.

Ortus in viculo None, Taurinensis provinciae et archidioecesis, die 28 mensis Maii anno 1875, maximus natu octo filiorum coniugum Andreae Pittavino et Franciscae Valentino, appellatus est Matthaeus in Baptismo, die 30 sequenti, accepto. Virtutis germina, a pia matre in corde pueruli sata, loci parochus suscipiens una cum acri ingenio, illum ad Ecclesiae ministerium direxit, obtinens ut in Seminarium Javeni reciperetur; ibique Matthaeus humanas litteras didicit ea mentis alacritate, ut ceteris discipulis studendo et discendo facile antecelleret. Dein, in archiepiscopali item Athenaeo Carrei, philosophiae curriculum egregie pariter absolvit.

Verum generosus iuvenis inter Capuccinos connumerari petiit: hincque Raconisii, die 2 mensis Octobris anno 1892, in Ss. Angelorum Custodum festo, vestem clericalem in seraphicam mutavit, frater Angelicus vocitatus. Nomen quasi omen dicitur, neque hac vice incassum.

Eadem sequenti anni die, votis simplicibus nuncupatis, in coenobiis Buscae et Cadralii sacrae theologiae operam dedit; et utrobique tum excellentia ingenii tum honestate morum, velut norma et decus inter discipulos eminuit. Die 2 mensis Octobris anno 1896, professionem votorum perpe-

tuorum fecit; et, sacerdotio auctus Salutiis, die 18 mensis Decembris anno 1897, proxime Lector nominatus est. Hoc autem docendi munus, sive philosophiam sive theologiam, variis in locis, nempe Buscae, Villaefrancae et Augustae Taurinorum per annos quattuordecim obivit. Sed non in sola cathedra constitit. In sacris ministeriis fuit valde sollicitus et numquam defessus.

Aetate iuvenis sed consilio maturus, in Capitulo anni 1905 ad res Provinciae Pedemontanae definiendas assumptus est; et comitiis sequentibus, anno scilicet 1908, Minister provincialis electus. In eminentiore gradu constitutus et forma gregis factus, ad meliora fratres subditosque suos adducere continuo nisus est: saepe rogans, saepius paterne exhortans, minis numquam usus.

Tempore regiminis expleto, solitarium Montis Taurini coenobium elegit, ibique solummodo studio ac orationi vacavit: Deo sic statuente, ut consilium aliquam Missionem petendi, iamdudum captum, tutiore animo maturaret. A Ministro generali Servus Dei veniam obtinuit Missionem Erythraeae adeundi. Receptis oboedientiae litteris, postridie, id est die 2 Februarii anni 1914, recto itinere Romam inde Neapolim contendit, unde, die 18 sequenti, Massauae portum appulit.

Longum est Servum Dei pedetentim persequi in nova Domini vinea, quam triginta circiter annos incoluit, per quos de Italia, ne obiter quidem repetenda, numquam cogitavit. Indigenarum culturae, praesertim e Bilenorum stirpis, primo addictus, nullis deterritus periculis, adlaboravit; quorum, religionis humanitatisque praeceptis imbutorum, solo quadriennio: 1915-1919, sex milia Christo adiunxit. Neque locorum asperitas, neque gravitas caeli, neque difficultas ulla eius fregit constantiam aut eum a quovis caritatis opere praestando prohibuit.

Munus docendi in Seminario Cherensi sive inferiores sive sacras disciplinas Iubenti animo docuit, non parvo alumnorum profectu; quos in peregrinationibus apostolicis, ad evangelizandos curandosque Buenos infirmos, sibi socios adiunxit. Hoc ministerium pastorale discipulorum fervorem incendit numeroque eorum, qui duo erant, sexaginta addidit ac vigintiquinque ordinationes sacerdotales adeptus est. Nec praetermittere licet Servi Dei consilium Monachos Aethiopicos catholicos instituendi, quorum Regulam scripsit et Cistercensibus, quibus exsecutio demandata est, dilectissimum discipulum, in fama sanctitatis vita defunctum obtulit.

Alia plurima apostolatus officia egregie exercuit, tum inter colonos et milites in stativis dispositos, tum apud indígenas. Omnibus omnia factus, potissimum erga pauperes, nunquam ope vel solacio eis defuit: hanc vero

miserationem maxime patefecit teterrimis annis 1919-1921, contagio « Spagnola » dicto et inopia vexatis. Monumentum singularium virtutum Servi Dei sunt haec verba relationis Vicarii Apostolici Erythraeae, anno 1922 ad Secretarium S. Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus missa: « Austeritate vitae et ardentissimo animarum zelo praeclarus omnibus admirationi est. Omnium indigenarum corda, quibuscum et vitam vivit, sibi facile devinxit. De se quam humillime demisse sentit ac summo studio omnia devitat et fugit quae ab indigenarum cura eum retrahere conantur ».

Quum vergente anno 1937 Exc.mo D. Leoni Ossola esset demandata Vicariatus Apostolici Hararensis administratio, ante omnia Servum Dei arcessitum, suum Vicarium generalem constituit. Revera, et administratio Vicariatus ipsi est collata, et institutio scientifica alumnorum in Seminario degentium. Sequenti anno, ad Pro-Cathedralem Neanthopolitanam translatus est. Exorti enim anno 1940 immanissimi belli exitiales casus et Africam percussere: exinde, civilis auctoritatis decreto, Servus Dei primum per quinque menses in captivitate Manderae (Somaliland) detentus, postea cum aliis sociis circumnavigare Africanas oras coactus est.

In Italiam redux, mense Ianuario anno 1943, ad maternam Provinciam rediit; petivitque coenobium Montis Taurini. Sed ex hoc loco ob frequentes aereas incursiones emigrare opus fuit: ideoque, mense Augusto sequenti, Braydam, in claustrum S. Mariae Angelorum, se contulit, ibique constitit. Licet annis gravis laboribusque lassus, haud otiosam vitam duxit; scholam redintegravit et per quinquennium, alumnos Seminarii Seraphici Latinis Graecisque litteris excoluit.

Non sola multiformi et actuosa vita Servus Dei Capuccinorum illustravit Ordinem, sed etiam doctrina ac pietate singulari. Nonnulla suae scientiae monumenta reliquit, publici iuris facta; scilicet duas Summulas, unam de theologia dogmatica, de re morali alteram, ad usum utique clericorum Missionis, quos ipse docebat; seriusque Summarium tertium edidit de philosophia.

Gratius tamen de virtutibus heroicis Servi Dei aliquid liceat delibare. Ut a fundamento incipiamus, eius humilitas fuit insignis: honores quoscumque neglexit, laudes est adversatus. Egregia anteactae vitae facinora silentio praeteribat: quod si percontanti aliquid respondere oporteret, eius verba ab omni gloriola quam maxime distabant. Item officia quaecumque fratrum laicorum propria, aliave, licet gravia et abiecta, sibi ultro suscipiebat simpliciterque exsequebatur.

Orationis spiritu fuit veraciter imbutus: haec dulcissima eius occupatio. Magno erga Eucharistiam, Sacratissimum Cor Christi et Deiparam, cuius

Rosarium in manu semper gerebat, aestuavit amore. Ad servandum orationis spiritum omnem vanum sermonem declinabat; extra claustrum non exiens, nisi officio vel caritate compulsus.

Aeternae gloriae inhians, maximam fiduciam Dei providentiae habuit, uti, grassante inopia in dicione Cherensi annis 1919-1921, in extrema necessitate versus, pro afflictis pluries prodigia obtinuit.

Ad proximi levamen semper praesto fuit, cum sive opportune sive importune eius praesentia poscebatur. Quotquot humilem eius cellulam adibant, prudens consilium, certum solamen, reficientem tranquillitatem animi comparabant. Erga sodales indigenasque fuit caritatis plenus, officiosus et affabilis, tamquam « frater universalis »: omnia in meliorem partem solitus interpretari, atque modeste pro insimulato stans. Duas sententias repetere solitus erat: « Tota Missiologia in exercitio operum spiritualium et corporalem misericordiae consistit », « Semper misericordia ad conversionem reducit, raro iustitia ».

Virtutes cardinales heroica constantia exercuit: iustus in tribuendo unicuique suum, prudens in agendo et hortando, austere temperans in moribus, fortis in aerumnas infirmitatesque sustinendas.

Oboedientiae exemplar, etiam in rebus gravioribus, perseveranter, prompte et iucunde decreta vel tantummodo consilia superiorum, immo et inferiorum, patrabat, maximam reverentiam eorum adhibens.

Vitam fere angelicam duxit: mentis oculorumque custodia, morum modestia et sensuum castigatione. In ministerio reconciliationis principia probabilismi Alfonsiani secutus, illam sententiam sancti Doctoris iterabat: « In materia de sexto, melius est deficere quam abundare ».

Obsoletis vestibus semper usus, paupertatem seraphicam amavit unice; et in extremis vere asserere potuit se nihil habere religiosorum more repudiandum. Duram vivendi rationem tenuit usque ad devexam aetatem: quidquid maiorum traditiones et simplicitatem Ordinis laedere poterat, constanter est detestatus.

Perspicuum signum heroicae virtutis edidit tempore ultimae infirmitatis. Iam a pluribus annis eius valetudo defecerat: laborabat enim cardiaco morbo, saepeque admonitus erat ut saluti prospiceret: sed fere incassum. Mense autem Augusto anno 1952, dira infirmitatis crisi correptus est, quae fere eum ad extrema adduxit. Per quinque menses die noctuque in sella consistere astrictus, varias gravesque morbi poenas fortiter ac pie toleravit. Tandem, die 15 mensis Ianuarii anno 1953, in antecessum praedicto, sensibus integris ingeminans Iesu et Mariae nomina, in sinu Patris quievit.

Sanctitatis Servi Dei fama percrebrescente, Consilium episcopale Aethiopicum, in urbe Neanthopoli congregatum anno 1965, Summo Pontifici

Paulo VI litteras postulatorias ad introducendam Causam Beatificationis misit: quia « eius memoria apud gentem Aethiopicam est memoria hominis sancti, tantummodo Dei honoris animarumque salutis alacris ». Processu Ordinario Informativo in Archidioecesi Taurinensi ac simul Processu Rogatoriali in Vicariatu Apostolico Asmarensi constructis annis 1966-1976, die 2 mensis Maii anno 1980 decretum super scriptis editum est. Approbato a Summo Pontifice Ioanne Paulo II, die 19 mensis Iunii anno 1982, decreto Introductionis Causae, die 11 antecedentis edito, in Archidioecesi Taurinensi Processus Cognitionalis actus est, a die 9 mensis Septembris sequentis usque ad diem 8 mensis Iunii anni 1983.

Praeparata Positione super virtutibus, disceptatum est de Servi Dei virtutibus heroum in modum exercitis, primum in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, die 23 mensis Aprilis anno 1991, praesidente Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; deinde, die 21 mensis Ianuarii anno 1992 in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Em.mo Achille Silvestrini. In utroque autem Coetu, posito ad disceptandum dubio num constaret de heroicis Servi Dei virtutibus, omnes, qui aderant, adfirmando responderunt.

Facta postmodum de omnibus hisce rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata fidelique relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis excipiens, rataque habens, praecepit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die ad Se Cardinalibus subscripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Angelici a None, Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinarum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum in vulgus ederetur et in Acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 7 mensis Martii A. D. 1992.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

EB Eduardus Nowak,
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

III

TTRASONEN. seu PASTOPOLITANA

DECRETUM

Canonizationis beati Ezechielis Moreno y Díaz, ex Ordine Augustinianorum Recollectorum, Episcopi Pastopolitani (1848-1906).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Beatus Ezechiel Moreno y Díaz die 9 mensis Aprilis natus est anno 1848 in oppido Alfaro sermone patrio denominato, intra Hispaniae provincia Iuliobrigensi. Fratris Eustachii exemplum secutus, quindecim annorum Augustinianorum Recollectorum est Ordinem ingressus, nomenque cepit Ezechielem a Virgine Rosarii. Sollemni facta professione, cum aliis fratribus sodalibus in Philippinas est missus, ubi die 3 mensis Iunii anno 1871 presbyteralem accepit ordinationem. Ministerio apostolico cum fervore se dedidit variisque quae ei concredita sunt muneribus. Anno 1885 Prior creatus Conventus Montis Acuti in provincia Navarra, in patriam rediit, sed paucis post annis sponte se obtulit ut suum religiosum Ordinem in Columbia restauraret atque, exeunte anno 1888, Bogotam est profectus, fratrum sodalium coetum ducens. Dum egregie Superioris provincialis officium sustinebat, est Episcopus titularis Pinarensis nominatus et primus Vicarius Apostolicus Casanarensis. Est Episcopus ordinatus calendis Maiis anno 1894. Biennio interiecto, electus est Episcopus Pastopolitanus. Gregis sui verum exemplar, indefatigabilis fuit in verbo Dei nuntiando, in paenitentiae sacramento administrando, in exercenda erga pauperes et aegros caritate. A falsis liberalismi, qui dicitur, doctrinis populum suum defendit. In Eucharistiam et Sacrum Iesu Cor singularem coluit pietatem ac summum ostendit sacrificii spiritum. Anno 1905, insanabili morbo correptus, in Hispaniam revertit ut plures subiret curationes chirurgicas. Mira cum patientia, fortitudine crucisque amore suam tulit infirmitatem. Pie excessit e vita in Conventu Montis Acuti die 19 mensis Augusti anno 1906, sanctus habitus, praesertim in Ordine suo et in Columbia.

Causa canonizationis inita peractisque quae eius temporis normae canonicae praecipiebant, Summus Pontifex Paulus VI eum Beatum renuntiavit calendis Novembribus Anno Sancto 1975.

Ad eiusdem Beati canonizationem obtinendam Causae Actores ad Congregationem de Causis Sanctorum de mira sanatione retulerunt, coniecta

quidem, anno 1986 in pago Pastopolitanae dioecesis Buesaco patrata pro domina Maria Jesús Ñáñez de Díaz, quadraginta septem annos nata. Haec anno 1985 secta est ob cruris dextri melanoma, nec umquam recidivae in loco exstiterunt. Mense Aprili anno 1986 animadvertit se nodulo esse affectam in sinistra mamilla, qui celeriter crevit et acerbissimus est factus. Eodem tempore dominae condicio generalis in peius mutata est gradatim. Inspectio bioptica est ei suasa, sed aegra noluit illam obire. Cum mense Iulio eodem anno esset in Pastopolitanum valetudinarium deducta propter alium morbum, medici reppererunt massam mamillae in longitudinem patere inque latitudinem centimetra 8x6, quamobrem statutum est ut mense exeunte secaretur. Ex valetudinario dimissa, aegra visitata est ab administro valetudinis curandae, honesto et perito, qui, cognita casus et universae aegrae condicionis gravitate, in capite eius reliquias posuit Beati Ezechielis Moreno y Díaz, cuius una deprecationem invocaverunt ut a Deo optatam obtinerent sanationem. Ipsa illa nocte domina vidit in somnis Beatum Ezechielem, qui ei dixit se esse sanatam. Experrecta ad secundam vigiliam, stupefacta experta est tum dolores tum mamillae tumentiam omnino defecisse. Subsequenti die sanatio est a multis agnita personis et deinde etiam a pluribus medicis.

Anno 1989 de hoc casu processus canonicus celebratus est apud episcopalem curiam Pastopolitanam, cuius auctoritas est per decretum die 24 editum mensis Novembris eodem anno probata. Solitae postea explorationes factae sunt apud Congregationem de Causis Sanctorum. Die 3 mensis Octobris anno 1991 Consilium Medicorum convenit, quod uno ore elocutum est haec verba: diagnosis: « tumor durus et dolorem afferens, conspicuae molis, celeriter crescens, gravi cum discrimine condicionis generalis, situs in mamilla sinistra aegrotae, antea exstirpationem passae melanomatis crus dextrum afficientis »; prognosis: « valde suspensa »; therapia: « nulla »; sanationis ratio: « subitanea, perfecta et mansura, pro nostra scientia inexplicabilis ». Die 20 mensis Decembris anno 1991 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, praesidente Promotore Generali Fidei, Rev.mo Antonio Petti; die 4 mensis Februarii huius anni effecta est Congregatio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Exc.mo Domino Angelo Palmas, Archiepiscopo titulari Vibianensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo constare divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de praefatis rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super eadem mira sanatione decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercendente Beato Ezechiele Moreno y Díaz, videlicet de subitanea, perfecta et mansura sanatione dominae Mariae Jesus Ñáñez de Díaz a « tumefazione dura e dolente, di notevole volume, a rapido accrescimento con forte compromissione dello stato generale, localizzata alla mammella sinistra in paziente precedentemente sottoposta ad asportazione di melanoma alla gamba destra ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum idem Summus Pontifex referri praecepit.

Datum Romae, die 7 mensis Martii A.D. 1992.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

£B Eduardus Nowak,
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

IV

ALBEN.

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Ioannis Baptistae Rubino, Sacerdotis, Fundatoris Congregationis Sororum Oblatarum a S. Aloisio Gonzaga (1776-1853).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est » *(Mt* 5, 16).

Servus Dei Ioannes Baptista Rubino, a puero ad fidem educatus, in Dei proximique crevit amore, adeo ut ad sacerdotium se convertent, signum maximum suae iunctionis cum Deo. Altae vitae spiritalis fuit, eminentis castitatis et indefatigabilis ardoris apostolici. Cuilibet personarum ordini navavit operam, praesertim vero iuventuti, quam congregatam ad christianarum virtutum exercitium direxit secundum Sancti Aloisii Gon-

zaga exemplum. Per totam vitam amorem ac pietatem vehementer coluit erga Virginem Dei Matrem Mariam, cuius cultum efficaciter diffudit; ardentissime et sincere Romanum Pontificem atque Ecclesiam dilexit, eo tempore vexatam, quam verbo, scriptis defendit et condita Congregatione Sororum Oblatarum a Sancto Aloisio Gonzaga eius deditarum servitio.

Ortus est Servus Dei in oppido *La Morra* patrio sermone appellato, intra fines posito Cuneensis provinciae et Albae Pompeiensis dioecesis, die 12 mensis Februarii anno 1776, a Michaele Rubino et Anna Maria Teresia Gazzera. Eius loci ludum frequentavit et Latinitatis scholam, deinde, ab anno 1791 ad annum 1794, in regio Ephebeo Albae Pompeiensis est studia superiora rhetoricae et philosophiae prosecutus. Indole apertus ac sociabilis, fervoris plenus, septemdecim annos natus, parocho domino Iosepho Pennini adiuvante, in oppido *La Morra* condidit Sodalitatem a Sancto Aloisio Gonzaga, christianae iuvenum formationis causa. Studebat suis aequalibus se exemplum esse ac magistrum, in se ad effectum adducendo Sancti Pauli verba: « Nemo adulescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate » *(1 Tim* 4, 12). In seminarii alumnos est admissus a domino Pio Vitale, Albae Pompeiensis episcopo, anno 1794. Quamvis seminarium a militibus bellantibus saepe esset occupatum, is tamen ecclesiastica studia peregit et sacerdos est ordinatus mensis Martii die 9 anno 1799.

In patrio loco *La Morra,* quo ab episcopo est missus et ubi totam mansit vitam, alacrem explicavit apostolicam industriam. Sodalitas a Sancto Aloisio, quam ipse instituerat, eius cura extra dioecesim multum se extendit. Iuventutis ardenti inflammatus amore, anno 1805 opus edidit, quod inscribitur *La gioventù divota dell'angelico giovane S. Luigi Gonzaga,* quod opus subsequentibus editionibus renovavit. Confraternitatem a Sancto Rocho reiecit, cuius rector fuit. Plus triginta annos pueros instituit in illius oppidi ludis et, post restitutum Regnum Sardiniae est delegatus factus Reformationis scholarum praetoriae dicionis, quae sedem habebat in loco *La Morra.*

Anno 1809, omne superans periculum, cum fratre sacerdote Angelo potuit Pontifici Pio VII, Savone captivo, suam significare altam atque sinceram observantiam. Ecclesiae motus doloribus, vices deprecationum in paroecia constituit pro liberatione Pontificis ibique, coram Sanctissimo Sacramento, meditatus est de condenda Congregatione Sororum, quae per suam consecrationem a Domino pacem ac tranquillitatem Ecclesiae et Nationibus impetrarent. Anno igitur 1815 Congregationem Sororum Oblatarum a Sancto Aloisio Gonzaga condidit, quae approbationem dioecesanam obtinuit die 30 mensis Iulii anno 1819 et die 24 mensis Novembris anno 1826 regiam probationem.

Institutum, quod Conditor deditum voluit puellis erudiendis atque pauperibus orphanisque puellis iuvandis educandisque, anno 1839 Mortariam

(in Papiensi provincia sitam) se extendit et anno 1841 ad oppidum *Belgirate* (in Novariensi provincia positum). Institutum rexit ad verum progressum in tumultuosis quoque eventibus aetatis qua Itali se in libertatem vindicaverunt. In sanctitatis schola Conditoris nonnullae « Aloisinae » Servum Dei imitâtae sunt in virtutum exercitio, sicut liber testatur ab ipso Dei Servo vulgatus anno 1831, qui inscribitur *Ragguaglio della vita edificante di Suor M. Ignazia.*

Anno 1823, apud Ephebeum ecclesiasticum Taurinense, scholam frequentavit theologi Aloisii Guala; deinceps in praedicatione exercitationum spiritalium cooperatus est Oblatis a Maria Virgine, quorum Congregationi erat aggregatus. Amicus fuit et voluntarius discipulus Venerabilis Pii Brunonis Lanteri, cuius post mortem funebrem pronuntiavit laudationem.

Meritis vitam suam locupletavit constanter atque ardenter Dei gloriam quaerendo atque animarum salutem. Veluti donum pretiosum suam custodivit fidem. Firmiter fervorem provexit ac pietatem in christifidelibus per Dei Verbi auditionem, vitam sacramentalem et Beatae Mariae Virginis ac Sanctorum invocationem. Fides eius doctrinam concitavit et opera, quae id spectabant, ut aperte Ecclesiam, Summum Pontificem et catholicam disciplinam defenderent. In eius vita, ex quo gratiae se aperuit usque ad tranquillum transitum ad vitam aeternam, signa inveniri possunt obsequii, fiduciae pieni, erga Deum et erga « amabilem » eius Providentiam. Omnia ad supremum finem direxit. Ab omni terrena cura et cupiditate alienus, sciebat animis fiduciam addere Dei, appetitionem bonorum aeternorum spemque de eius immensa misericordia. Caritas eius ardens fuit, continua et strenua, semper deprecatione alta ac meditatione; fervidissimus amor in Iesum Eucharisticum eius vitae et industriae impulsus fuit. Ex Dei amore erga proximum caritas manavit, in omnibus exercita apostolicis inceptis, in excipiendis omnibus corde cum aperto et propenso, maxime iuvenibus, in adhibenda de aegrotis deque pauperibus cura. Peculiarem dedit operam vocationibus ecclesiasticis religiosisque excitandis, quarum quaedam clarae evaserunt. Notabilis fuit eius cum ceteris sacerdotibus necessitudo, in vera sacerdotali fraternitate posita. Prudentia quamlibet eius operam moderabatur, Dei voluntatem quaerentis etiam a viris sapientibus et doctis consilia petendo. Iustitiam explicavit diligenter cotidiana munia explendo et gravia officia ad administrationem pertinentia, quae ei concredita erant. Eius agendi ratio simplicitate semper atque sinceritate notata est. Subtilis iustitiae sensus eum impellebat ad Deo vitam vovendam iniuriis expiandis. Cum fortitudine difficultates superavit ac dissensiones gravesque infirmitates, quibus saepe afficiebatur, aequo animo toleravit. Eius victus ratio sobria fuit et parca. Iuvenes cum dignitate et modestia vivere docebat, animose vitae difficultates obire et Deo cotidianum suum dare laborem, eius salutis consilio cooperando. Christum imitans pauperes praeter ceteros dilexit, quibuscum parvum suum stipendium communicabat.

In castitate insignis fuit, haecque virtus eum movit rexit que in Institutis condendis Sancto Aloisio Gonzaga et Mariae Sanctissimae dedicatis.

Per totam vitam oboedientiam exercuit et, sacerdos, plena et absoluta effulsit fidelitate erga suos ecclesiasticos superiores, in quibus ipsam Iesu videbat personam. Propter humilitatem simpliciter et laetanter ceterorum aestimationem vitabat et admirationem, interdumque contumelias et indignitates accipiebat magnaque cum serenitate acerbam corporis deformitatem. Post vitam tanta sedulitate actam, ad mortem paratus, alium molestum longumque morbum « cum sancti patientia et hilaritate » tulit. Sororibus assidentibus, sacramentis corroboratus, in oppido *La Morra* animam efflavit die 11 mensis Februarii anno 1853.

Sanctitatis fama, quam sibi vivus pepererat, post mortem quoque duravit, sed canonizationis Causa solum iniri potuit anno 1959 per processus ordinarii informativi celebrationem apud episcopalem Curiam Albae Pompeiensis. Felici cum exitu die 10 mensis Novembris anno 1987 acta est sessio Consilii Historici et die 12 mensis Novembris anno 1991 Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris est habitus, cui praefuit Rev.mus D.nus Antonius Petti, Fidei Promotor Generalis. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Congregatione Ordinaria die 4 mensis Martii anno 1992 in Aedibus Apostolicis peracta, Causae Ponente Exc.mo D.no Angelo Palmas, Archiepiscopo titulari Vibianensi, professi sunt Servum Dei Ioannem Baptistam Rubino virtutes théologales, cardinales et adnexas heroum in modum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Ioannis Baptistae Rubino, Sacerdotis, Fundatoris Congregationis Sororum Oblatarum a S. Aloisio Gonzaga, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 13 mensis Iunii A. D. 1992.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

83 EDUARDUS NOWAK
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza:

Mercoledì, 2 **Ottobre** 1992, **S. E. il Signor** EGON **A.** KLEPSCH, **Presidente del Parlamento Europeo.**

Giovedì, 3 **Ottobre** 1992, **S. E. il Signor** CARLOS SAUL MENEM, **Presidente della Repubblica Argentina.**

Giovedì, 15 **Ottobre** 1992, **S. E. la Signora** KHALEDA ZIA, **Primo Ministro del Bangladesh.**

Venerdì, 23 **Ottobre** 1992, **S. E. la Signora** HANNA SUCHOKA, **Presidente del Consiglio dei Ministri della Repubblica di Polonia.**

Venerdì, 23 **Ottobre** 1992, **S. E. l'On.** SHIMON PERES, **Ministro degli Affari Esteri di Israele.**

Venerdì, 23 **Ottobre** 1992, **S. E. il Signor** SEYOUM MESFIN, **Ministro degli Affari Esteri del Governo di transizione di Etiopia.**

Da Venerdì 9 Ottobre a Mercoledì 14 Ottobre 1992, il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio a Santo Domingo nell'America Centrale.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

7 ottobre 1992. S. E. mons. Faustino Sainz Muñoz, Arcivescovo tit. di Novaliciana, *Pro-Nunzio Apostolico in Zaire.*

12 » » S. E. mons. Girolamo Prigione, Arcivescovo tit. di Lauriaco, *Nunzio Apostolico in Messico.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

3 luglio **1992;** I sac. Charles Acton, Adolphe Gesché, Ivan Golub, Joseph Obei Bonsu, Hermann Joseph Pottmeyer, Max Thurian, Laszlo Vanhyo; i padri Joseph Doré, P.S.S., Avery Dulles, SJ., Mario de Franca Miranda, S.I., Sebastiano Karottemprel, S.D.B., Luis Ladaria, S.I., Servais Pinckaers, O.P., Norbert Strotmann Hope, M.S.C., Tadahiko Iwashima, S.I. ed il sig. Gösta Hallonsten, *Membri della Commissione Teologica Internazionale.*

» » » S. E. mons. Christoph Schönborn, O.P., Vescovo tit. di Sutri; i sac. Barthélémy Adoukonou, Jan Ambaum, Giuseppe Colombo, Jean Corbon, Joachim Gnilka, Michael Ledwith, Enrique de Noronha Galyao; i padri Jean-Louis Brugues, O.P., Gilles Langevin, S.I., Francis Moloney, S.D.B., Stanislaw Nagy, S.C.I., Candido Pozo, S.I.; il sig. William May, *Membri della Commissione Teologica Internazionale « in aliud quinquennium ».*

27 » » Mons. Marcello Bordoni, *Consultore della Congregazione per la Dottrina della Fede.*

5 settembre » Mons. Rosario Colantonio, *Officiale del Tribunale di Appello del Vicariato di Boma.*

7 » » Don Pier Giorgio Marcuzzi, S.D.B.; i padri Peter Kaczynski, S.I., Edward Henrici, O.P., *Consultori della Congregazione per la Dottrina della Fede.*

29 » >> P. Peter Hans Kolvenbach, S.I., *Consultore della Congregazione per le Chiese Orientali « in aliud quinquennium ».*

30 » » Mons. Franco Santangelo, *Officiale del Tribunale Regionale del Lazio, per le cause di nullità di matrimonio.*

1 ottobre » S. E. mons. Alois Wagner, Arcivescovo tit. di Siccenna, *Osservatore Permanente della Santa Sede presso le Organizzazioni e gli Organismi delle Nazioni Unite per VAlimentazione e VAgricoltura (F.A.O., I.F.A.D., PAM. e CM.A.).*

8 » » Il prof. Fabrizio Bisconti, *Segretario Aggiunto della Pontificia Commissione di Archeologia Sacra.*

NECROLOGIO

27 settembre **1992.** Card. Jacques Martin, Diacono del S. Cuore di Cristo Re.

6 ottobre » Mons. Leonardo José Rodríguez **Ballon,** Arcivescovo em. di Arequipa *(Perú).*

10 » » Mons. Ignatius B. Ghattas, Eparca di Newton dei Greci Melkiti *(Stati Uniti d America).*

18 » » Mons. Giuseppe Bonfiglioli, Arcivescovo em. di Cagliari *(Italia).*

19 » » Mons. William A. Hart, Vescovo em. di *Dunkeld (Gran Bretagna).*

An. et vol. LXXXIV 5 Decembris 1992 N. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDJ&

COMMENTARIUM OFFICIALE

W r

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice VaJgja^a

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

EPISTULA APOSTOLICA

Christifidelibus totius Poloniae missa una cum Litteris a Summo Pontifice manu propria subsignatis quibus ibidem novae Provinciae ecclesiasticae ac dioeceses Latini ritus conduntur necnon earundem fines aptius disponuntur.*

LIST DO KOŚCIOŁA W POLSCE W ZMIĄZKU Z USTANOWIENIEM NOWEJ ORGANIZACJI KOŚCIELNEJ. **na** RĘCE EPISKOPATU POD PRZEWODNICTWEM KS. KARDYNAŁA JÓZEFA GLEMPA PRZEWODNICZĄCEGO KONFERENCJI BISKUPÓW I PRYMASA POLSKI

IOANNES PAULUS PP. II

« *Polonia cepit habere episcopum* » — takie słowa znajdujemy w najstarszych zapisach, pod rokiem 968. W dwa lata po Chrzcie przyjętym przez Mieszka z rodu Piastów, pierwszego historycznego władcą, Polska otrzymała po raz pierwszy biskupa. Był to zapewne biskup misyjny imieniem Jordan, siedzibą jego był prawdopodobnie Poznań, a zasięg biskupiej posługi szedł w parze z postępem ewangelizacji piastowskiej dziedziny.

Dla tego postępu przełomowym stał się rok 1000, po śmierci Świętego Wojciecha nad Bałtykiem. Przy relikwiach Męczennika spotkał się syn Mieszka Bolesław Chrobry z cesarzem Ottonem III i wysłannikami papieża Sylwestra II. Ustanowiono wówczas arcybiskupstwo w Gnieźnie oraz biskupstwa w Krakowie, Wrocławiu i Kołobrzegu. Państwo Piastów zostało związane z nową kościelną prowincją — metropolią gnieźnieńską,

* **Die 25 m. Martii a. 1992.**

niezależną od sąsiadującej od zachodu metropolii magdeburskiej, związaną natomiast bezpośrednio ze Stolicą Apostolską w Rzymie.

Okoliczność, że owa podstawowa organizacja hierarchiczna Kościoła w Polsce nastąpiła stosunkowo rychło po Chrzcie Mieszka, świadczy o tym, że państwo Piastów rozwijało się i konsolidowało, wchodząc w organizm ówczesnej Europy.

Dlatego tak doniosłe było dla Polski Tysiąclecie Chrztu, doniosłe będzie również tysiąclecie męczeństwa Świętego Wojciecha oraz ustanowienia metropolii i pierwszej organizacji hierarchicznej Kościoła na naszych ziemiach.

Ów dziejowy początek musimy mieć przed oczyma również i teraz, gdy na fundamentach tamtej podstawowej struktury dokonują się nowe przeobrażenia związane z Rokiem Pańskim 1992.

Przeobrażenia te pozostają w organicznym związku z Chrystusowym poleceniem skierowanym do Apostołów po zmartwychwstaniu: « Idźcie więc i nauczajcie wszystkie narody, udzielając im chrztu w imię Ojca i Syna, i Ducha Świętego ».[1] Słowa wypowiedziane w chwili, kiedy Chrystus odchodził do Ojca po wypełnieniu swej ziemskiej misji, nabrały pełnej mocy w dniu Pięćdziesiątnicy za sprawą Ducha Świętego. Od Niego przyjęli Apostołowie światło i męstwo przepowiadania Ewangelii. W dniu Pięćdziesiątnicy objawił się w Jerozolimie Kościół posłany do wszystkich narodów, przemawiający różnymi językami: Kościół powszechny, jeden w wielości osób i wspólnot, które odtąd będą go tworzyły w miarę, jak Dobra Nowina zbawienia będzie docierać do nowych ludzi i nowych ludów.

Sobór Watykański II skoncentrował swe magisterium na prawdzie o Kościele we wszystkich jego wymiarach i aspektach. Wnikając w to magisterium, znajdujemy pełny komentarz do życia Kościoła również w naszych dziejach od tysiąca z górą lat. Znajdujemy również podstawowe wyjaśnienie dla decyzji, jakie obecnie zostają podjęte w związku z organizacją Kościoła w Polsce u progu trzeciego tysiąclecia po Chrystusie. Organizacja ta ma na celu pełniejsze dostosowanie misji Kościoła — czyli wszechstronnie pojętej ewangelizacji — do warunków i wymagań, jakie stawiają czasy, w których żyjemy, i w których wypadnie żyć następnym pokoleniom na naszej ojczystej ziemi.

Sobór przypomina, że «w osobach biskupów, których pomocnikami są kapłani, obecny jest wśród nas Pan nasz Jezus Chrystus ».[2] Przeobrażenia,

[1] *Mt* 28, 19.

[2] Por. *Lumen gentium, 21,*

o jakich mówi niniejszy list, pragnę złączyć z gorącym życzeniem dla całego Kościoła w Polsce, ażeby przez ubogacenie biskupiej posługi Chrystus Pan bardziej stawał się obecny wśród społeczeństwa całej naszej Ojczyzny na różnych miejscach. Niech ta zbawcza Chrystusowa obecność wyzwoli nowe energie w całym Ludzie Bożym. Niech zwiąże bardziej jeszcze posługę kapłańską i życie zakonne z powołaniem świeckich we wszystkich stanach i zawodach.

« Kościół jest w Chrystusie niejako sakramentem, czyli znakiem i narzędziem wewnętrznego zjednoczenia z Bogiem i jedności całego rodzaju ludzkiego » — uczy Vaticanum II.[3] Niech ten sakrament Kościoła jeszcze pełniej się urzeczywistnia, « aby wszyscy ludzie, złączeni dziś ściślej więzami społecznymi, technicznymi i kulturalnymi, osiągnęli pełną jedność również w Chrystusie ».[4]

Zgodnie z doświadczeniem dziejów, składam tę decyzję — wspólnie z Wami, Synowie i Córki tej samej Ojczyzny — w ręce Jasnogórskiej Pani, Królowej Polski i Matki Kościoła. Tak jak była z Apostołami w dniu Pięćdziesiątnicy, w momencie narodzin Kościoła, tak niech będzie również z Kościołem w Polsce na dalszych etapach jego pielgrzymowania przez naszą ziemię do Domu Ojca.

Nova Polonicarum circumscriptionum ecclesiasticarum compositio.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Totus Tuus Poloniae populus, o Virgo Maria, Mater Dei et Mater Ecclesiae, quam in perdifficili peregrinatione stellam suam fidenter invocavit, hac die, qua Te Domini ancillam professa es, communitates ecclesiales innovatas in eodem submissionis spiritu libenter recipit. Nuper enim Venerabiles Fratres Conferentiae episcopalis Poloniae unanimi consensu obsecundare cupientes votis Concilii Oecumenici Vaticani II, quae attinent ad aptiorem circumscriptionum ecclesiasticarum compositionem, Apostoli-

[3] *Ibid.*, 1.
[4] *Ibid.*

eae Sedi proposuerunt, ut in Natione sua novae Provinciae ecclesiasticae conderentur ac dioeceses necnon earundem fines aptius disponerentur.

Quam ob rem, Venerabilis Frater Iosephus Kowalczyk, Archiepiscopus titulo Heracleensis, et in Polonia Apostolicus Nuntius, communi consilio agens cum Venerabilibus Fratribus illius Conferentiae episcopalis, eiusdemque actuosa fruens cooperatione, gradatim ac progredienti ratione opus suscepit novo ordine disponendi Provincias ecclesiasticas et dioeceses Polonicas. Quo in opere absolvendo hoc semper fuit propositum, ut in unaquaque dioecesi magis perspicua natura Ecclesiae pateret, atque episcopus apte et efficaciter omnia sua munera explere posset, prout religiosae, spirituales ac morales necessitates, necnon societatis et culturae mutationes, quae hodie fiunt, magis magisque postulant.

Nos vero, audita antea faventi sententia praefati Nuntii Apostolici, de consilio Secretariae Status, preces ad Nos admotas animarum saluti valde profuturas censuimus benigneque excipiendas esse putavimus.

Summa igitur Apostolica Nostra potestate usi, quae sequuntur, statuimus: Latini ritus Hierarchia in Polonia in posterum tredecim provinciis ecclesiasticis constabit, videlicet: I. Gnesnensi, II. Cracoviensi, III. Posnaniensi, IV. Varsaviensi, V. Vratislaviensi, VI. Premisliensi Latinorum, VII. Sedinensi-Caminensi, VIII. Gedanensi, IX. Varmiensi, X. Bialostocensi, XI. Czçstochoviensi, XII. Katovicensi, XIII. Lublinensi.

Insuper dioecesim Lodzensem, Sanctae Sedi immediate subiectam, ad fastigium archiepiscopalis Ecclesiae attollimus eique iura et privilegia conferimus quibus ceterae archiepiscopales Sedes, ad normam iuris communis, fruuntur. Praeterea singulatim haec decernimus:

I. Provincia Gnesnensis constituetur ex sede metropolitana Gnesnensi, necnon suffraganea dioecesi Vladislaviensi.

Archidioecesis autem Gnesnensis, quae prima exstitit in Polonia Sedes, cuius metropolitana ecclesia, Basilica, sub titulo Assumptionis Beatae Mariae Virginis in urbe Gniezno sita est, sequentes amplectetur decanatus: Gniezno I, Gniezno II, Bialosliwie, Bydgoszcz I, Bydgoszcz II, Bydgoszcz III, Bydgoszcz IV, Gniewkowo, Inowroclaw I, Inowroclaw II, Kcynia, Klecko, Kruszwica, Lobzenica, Miloslaw, Mogilno, Naklo, Pakosc, Pobiedziska, Rogowo, Strzelno, Szubin, Trzemeszno, Wagprowiec, Witkowo, Wrzesnia, Zlotniki Kujawskie, Znin; atque partem decanatus Fordon collocati intra fines urbis Bydgoszcz-Fordon (iam in dioecesi Culmensi sitam).

Memoratae suffraganeae dioecesi Vladislaviensi, cum ecclesia cathedrali sub titulo Assumptionis Beatae Mariae Virginis in urbe Wloclawek, assignabuntur decanatus: Wloclawek I, Wloclawek II, B^dkowo, Czernikowo,

Golina, Ir.bica, Kleczew, Kłodawa, Koło, Konin I, Konin II, Kowal, Lipno, Lubraniec, Nieszawa, Radziejów, Sieradz I, Sieradz II, Słupca, Sompolno, Szadek, Tuliszków, Turek, Uniejów, Warta, Zagórów.

II. Provincia Cracoviensis constituetur ex sede metropolitana Cracoviensi, necnon ex suffraganeis dioecesibus Kielcensi, Tarnoviensi, Bielscensi-Zyviecensi, noviter erecta.

Ad Cracoviensem archidioecesim, cum ecclesia metropolitana, Basilica, sub titulo S. Stanislai Episcopi et Martyris et S. Venceslai in urbe Kraków, spectabunt decanatus: Kraków-Mariacki, Kraków-Kazimierzowski, Kraków-Sw. Szczepan, Kraków-Najświętszy Salwator, Kraków-Podgórze, Kraków-Nowa Huta, Bolechowice, Chrzanów, Czernichów, Dobczyce, Jabłonka, Kalwaria, Krzeszowice, Maków Podhalański, Mszana Dolna, Myślenice, Niedzica, Niepołomice, Nowy Targ, Rabka, Skawina, Sucha Beskidzka, Trzebinia, Wadowice, Wieliczka, Zakopane, Zator.

Dioecesis Kielcensis, cum ecclesia cathedrali, Basilica, sub titulo Assumptionis Beatae Mariae Virginis in urbe Kielce, hos habebit decanatus: Bodzentyn, Busko, Chęciny, Chmielnik, Daleszyce, Jędrzejów, Kazimierz, Kielce-Potudnie, Kielce-Północ, Kielce-Śródmieście, Koniecpol, Koszyce, Lelów, Małogoszcz, Miechów, Nowy Korczyn, Piekoszów, Pilica (sed cum solis paroeciis: Dobraków, Kidów, Łany Wielkie, Wierbka, Żarnowiec), Pińczów, Proszowice, Sędziszów, Skalbmierz, Słomniki, Stopnica, Sułoszowa (sed cum solis paroeciis: Ibramowice, Minoga, Ojców, Skała, Smardzowice), Szczekociny, Wiślica, Włoszczowa, Wodzisław.

Dioecesis Tarnoviensis, cum ecclesia cathedrali, Basilica, sub titulo Nativitatis Beatae Mariae Virginis in urbe Tarnów, hos habebit decanatus: Biecz (sed cum solis paroeciis: Czermna, Olszyny, Ołpiny, Swoszowa, Szerzyny, Żurowa), Bobowa, Bochnia, Brzesko, Czchów, Dąbrowa Tarnowska, Dębica-Wschód, Dębica-Zachód, Gorlice-Południe (sed cum solis paroeciis: Bystra, Łosie, Szymbark, Uście Gorlickie, Wysowa), Gorlice-Północ (sed cum solis paroeciis: Kwiatonowice, Łużna, Moszczenica, Mszanka, Staszkówka, Turza, Wola Łużańska, Zagórzany), Grybów, Krościenko, Krynica, Limanowa, Lipnica, Łącko, Mielec-Południe, Mielec-Północ, Nowy Sącz-Południe, Nowy Sącz-Północ, Pilzno, Piwniczna, Radłów, Radomyśl, Ropczyce (sed cum solis paroeciis: Lubzina, Ostrów, Skrzyszów), Sędziszów (sed cum sola paroecia Ocieka), Stary Sącz, Szczucin, Tarnów-Centrum, Tarnów-Wschód, Tarnów-Zachód, Tuchów, Tymbark, Ujanowice, Uście Solne, Wojnicz, Zakliczyn.

Noviter instituta dioecesis Bielscensis-Zyviecensis, cum cathedrali ecclesia sub titulo S. Nicolai in urbe Bielsko-Biała et cum concathedrali sub

titulo Nativitatis Beatae Mariae Virginis in urbe Żywiec, amplectetur decanatus: Andrychów, Biała, Kety, Oświęcim, Żywiec I, Żywiec II (quos distrahimus ab archidioecesi Cracoviensi); Bielsko-Centrum, Bielsko-Zachód, Cieszyn, Czechowice, Istebna, Skoczów, Strumień, Wisła (quos distrahimus a dioecesi Katovicensi).

III. Provincia Posnaniensis componetur ex sede metropolitana Posnaniensi, necnon suffraganea noviter statuta dioecesi Calissiensi.

Ad archidioecesim Posnaniensem, quae ecclesiam metropolitanam, Basilicam, sub titulo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli in urbe Poznań habet, pertinebunt decanatus: Poznań I, Poznań II, Poznań III, Poznań IV, Poznań V, Poznań VI, Borek, Buk, Chodzież, Czarnków, Gostyń, Grodzisk Wielkopolski, Jutrosin, Kostrzyn, Kościan, Krobia, Krzywiń, Leszno I, Leszno II, Lwówek, Międzychód, Murowana Goślina, Nowe Miasto, Oborniki, Pniewy, Przemęt, Puszczykowo, Rawicz, Rogoźno, Stęszew, Szamotuły, Śmigiel, Śrem, Środa, Wolsztyn, Wronki, Zbąszyń.

Noviter constitutae dioecesi Calissiensi, cum ecclesia cathedrali sub titulo S. Nicolai in urbe Kalisz et cum concathedrali sub titulo S. Stanislai Episcopi in urbe Ostrów Wielkopolski, assignabuntur decanatus: Błaszki, Kalisz I, Kalisz II, Koźminek, Stawiszyn, Złoczew (ex dioecesi Vladislaviensi); Bralin, Kępno, Koźmin, Krotoszyn, Odolanów, Ołobok, Ostrów I, Ostrów II, Ostrzeszów (ex archidioecesi Posnaniensi); Czermin, Jarocin, Pleszew (ex archidioecesi Gnesnensi); Bolesławiec (sine paroecia Skomlin), Lututów (sine paroecia Naramice), Wieruszów (ex dioecesi Czestochoviensi); Syców (sine paroecia Poniatowice), Twardogóra, et tres paroeciae: Cieszków, Gądkowice, Trzebicko, de decanatu Milicz (Vratislaviensis archidioecesis); Wołczyn et duae paroeciae: Uszyce et Zdziechowice de decanatu Gorzów Śląski (Opoliensis dioecesis).

IV. Provincia vero Varsaviensis constabit ex sede metropolitana Varsaviensi, necnon suffraganeis dioecesibus Varsaviensi-Pragensi, Lovicensi, noviter erectis, atque Plocensi, Premisliensi ritus byzantini ucraini et Ordinariatu ad fideles ritus orientalis sine Ordinario proprio residentes in-Polonia.

Ad Varsaviensem archidioecesim, cum ecclesia metropolitana, Basilica, sub titulo S. Ioannis Baptistae in urbe Warszawa, spectabunt decanatus: Bielany, Mokotów, Ochota, Stare Miasto, Śródmieście, Ursynów, Wola, Żoliborz (in sola urbe); Błonie, Goszczyn, Grodzisk Mazowiecki, Grójec, Piaseczno, Pruszków, Tarczyn, Warka, et septem paroeciae: Górki Kampinowskie, Kazuń, Leoncin, Łomianki, Łomna, Secymin, Wiersze de decanatu Nowy Dwór Mazowiecki cuius sedes adiungitur dioecesi Varsaviensi-Pragensi.

Noviter condita sedes Varsaviensis-Pragensis, cum ecclesia cathedrali S. Floriani in urbe Warszawa-Praga et cum concathedrali sub titulo Matris Dei Victoriae in eadem urbe, hos habebit decanatus: Anin, Bródno, Grochów, Praga (in urbe); Jadów, Legionowo, Mińsk Mazowiecki, Otwock, Radzymin, Rembertów, Siennica, Stanisławów, Wołomin, et Nowy Dwór Mazowiecki sed cum solis paroeciis: Św. Michała Archanioła et Św. Ap. Piotra i Pawła (extra urbem); atque paroeciam Rybienko Leśne itemque pagos: Arciechów, Kania Polska, Myszyniec, Popielarze et Zegrze Południowe, de dioecesi Plocensi.

Ad noviter conditam dioecesim Lovicensem, cum ecclesia cathedrali, Collegiata, sub titulo Assumptionis Beatae Mariae Virginis, in urbe Łowicz, spectabunt decanatus: Biała Rawska, Brzozów, Krośniewice, Kutno, Lubochnia, Łowicz Kolegiata, Łowicz-Sw. Ducha, Mszczonów, Rawa Mazowiecka, Shierniewice, Sochaczew, Żychlin, Żyrardów (ex archidioecesi Varsaviensis Łączy ca, Tum, et quattuor paroeciae ex decanatu Stryków: Dmosin, Głowno, Głowno Osiny, Głowno Zabrzeźnia (ex dioecesi Lodzensi); atque paroeciae sequentes ex dioecesi Plocensi: Osmolin, Pacyna, Sanniki, Słubice, Zyck (ex decanatu Gąbin); Suserz et Trąbki (ex decanatu Gostynin).

Plocensis dioecesis, cum ecclesia cathedrali, Basilica, sub titulo Matris Dei Mazovieciensis venerandae in Mysterio Assumptionis in urbe Płock, ex hisce decanatibus efficietur: Płock, Bielsk, Bodzanów, Ciechanów, Dobrzyń nad Drwącą, Dobrzyń nad Wisłą, Gąbin (sed cum solis paroeciis: Ciechomice, Czermno, Dobrzyków, Gąbin, Korzeń, Troszyn); Gostynin (sed cum solis paroeciis: Duninów, Gostynin, Lucień, Soczewka, Sokołów, Solec, Szczawin); Maków Mazowiecki (cum paroeciis: Gołymin, Karniewo, Krasne, Maków Mazowiecki, Szwelice, Wągrzynowo); Mława, Nasielsk, Płońsk, Przasnysz (cum paroeciis: Bogate, Czernice, Dzierzgowo, Pawłowo, Przasnysz Św. Wojciech, Przasnysz Św. Stanisław Kostka, Rostkowo, Święte Miejsce, Wągra, Zielona Ciechanowska); Pułtusk (sine pagis: Kania Polska, Popielarze); Raciąż, Rypin, Sierpc, Strzegowo, Wyszogród, Zakroczym (sine pagis: Arciechów, Myszyniec et Zegrze); Żuromin itemque paroeciis sequentibus: Duczymin, Janowo, Krzynowłoga Mała, Krzynowłoga Wielka, Skierkowizna (ex decanatu Chorzele, qui dioecesi Łomżensi unitur),

V. Provincia vero Vratislaviensis componetur ex sede metropolitana Vratislaviensi, necnon noviter instituta suffraganea dioecesi Legnicensi.

Archidioecesis autem Vratislaviensis, cuius metropolitana ecclesia sub titulo S. Ioannis Baptistae in urbe Wrocław sita est, sequentes amplectetur decanatus: Borów, Brzeg-Południe, Brzeg-Północ, Bystrzyca Kłodzka, Dzierżoniów-Południe, Dzierżoniów-Północ, Góri Śląska, Jelcz-Laskowice,

Kamieniec-Ząbkowicki, Kąty Wrocławskie, Kłodzko, Malczyce (cum paroeciis sequentibus: Chomiąża, Lubiąż, Malczyce, Wilczków et Wrocisławice), Międzylesie, Milicz (cum solis paroeciis: Krośnice, Milicz, Pakosławsko, Sułów, Wierzchowice), Namysłów, Nowa Ruda, Oleśnica, Oława, Ołdrzychowice Kłodzkie, Polanica Zdrój, Prusice, Sobótka, Strzelin, Środa Śląska, Świdnica-Wschód, Swidnica-Zachód, Trzebnica, Wiązów, Włochy, Wołów, Wrocław-Katedra, Wrocław-Śródmieście, Wrocław-Południe, Wrocław-Północ I, Wrocław-Północ II, Wrocław-Wschód, Wrocław-Zachód, Wrocław-Zachód I, Ząbkowice śląskie, Ziębice. Insuper ad hanc archidioecesim pertinebunt paroeciae sequentes: Kostomłoty (ex decanatu Gościsław dioecesis Legnicensis); Poniatowice (ex decanatu Syców); Jemielno et Krzelów (ex decanatu Ścinawa dioecesis Legnicensis).

Legnicensis noviter erecta dioecesis, cum ecclesia cathedrali sub titulo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli in urbe Legnica, ex hisce decanatibus constituetur: Bolesławiec-Wschód, Bolesławiec-Zachód, Chocianów, Głuszyca, Gościsław (cum paroeciis: Buków, Gościsław, Imbramowice, Konary, Pichorowice, Piekary); Gryfów Śląski, Jawor, Jelenia Góra-Wschód, Jelenia Góra-Zachód, Kamienna Góra-Wschód, Kamienna Góra-Zachód, Legnica-Wschód, Legnica-Zachód, Leśna, Lubań Śląski, Lubin, Lubomierz, Mysłakowice, Polkowice, Strzegom, Ścinawa (cum paroeciis sequentibus: Chobienia, Olszany, Ścinawa, Tymowa, Wielowieś), Świebodzice, Świerzawa, Wałbrzych-Południe, Wałbrzych-Północ, Węgliniec, Zgorzelec, Złotoryja; praeterea ad hanc dioecesim Legnicensem pertinebunt paroeciae sequentes: Kawice, Kosiska et Ujazd Górny ex decanatu Malczyce qui manebit in archidioecesi Vratislaviensi.

VI. Noviter erecta Provincia Premisliensis Latinorum efficietur ex sede metropolitana Premisliensi Latinorum, necnon noviter institutis suffraganeis dioecesibus Zamosciensi-Lubaczoviensi et Rzeszoviensi.

Ad Premisliensem Latinorum archidioecesim, cum ecclesia metropolitana, Basilica, sub titulo S. Ioannis Baptistae et Assumptionis Beatae Mariae Virginis in urbe Przemyśl, spectabunt decanatus: Bircza, Błażowa, Brzozów, Dubiecko, Dukla, Dynów, Grabownica, Jaćmierz, Jarosław-Wschód, Jarosław-Zachód, Kańczuga, Krosno I, Krosno II, Krosno III, Lesko, Leżajsk, Lutowiska, Łańcut I, Łańcut II, Pruchnik, Przemyśl I, Przemyśl II, Przemyśl III, Przeworsk I, Przeworsk II, Radymno, Rymanów, Rzepedź, Sanok-Wschód, Sanok-Zachód, Sieniawa, Ustrzyki, Żołynia, Żurawica.

Suffraganeae noviter constitutae dioecesi Zamosciensi-Lubaczoviensi, cum ecclesia cathedrali, Collegiata, sub titulo Resurrectionis Domini et

S. Thomae in urbe Zamość et cum concathedrali sub titulo Beati Iacobi Strzemię in urbe Lubaczów, assignabuntur decanatus: Biłgoraj, Cieszanów, Hrubieszów, Józefów, Lubaczów, Narol, Szczebrzeszyn, Tarnogród, Tarnoszyn, Tomaszów Lubelski, Tyszowce, Uchanie, Zamość-Kolegiata, Zamość-Nowe Miasto.

Noviter statutae dioecesi Rzeszoviensi, cum ecclesia cathedrali sub titulo Cordis Iesu in urbe Rzeszów, attribuentur decanatus: Brzostek, Czudek, Frysztak, Głogów, Jasło-Wschód, Jasło-Zachód, Rzeszów I, Rzeszów II, Rzeszów III, Rzeszów IV, Sokołów, Strzyżów, Tyczyn, Żmigród (ex dioecesi Premisliensi Latinorum); Kolbuszowa, et triginta septem paroeciae ex dioecesi Tarnoviensi: Brzeziny, Chechły, Glinik, Łączki Kucharskie, Mała, Nawsie, Niedźwiada, Ropczyce, Wielopole Skrzyńskie (ex decanatu Ropczyce); Będziemyśl, Borek Wielki, Bystrzyca, Czarna Sędziszowska, Góra Ropczycka, Kamionka, Klęczany, Nockowa, Sędziszów Małopolski, Witkowice, Zagorzyce (ex decanatu Sędziszów); Biecz, Binarowa, Kryg, Libusza, Lipinki, Rożnowice, Wójtowa (ex decanatu Biecz); Gorlice-Sw. Andrzej Bobola, Kobylanka, Męcina Wielka (ex decanatu Gorlice-Północ); Gładyszów, Gorlice-Najświętszej Maryi Panny, Gorlice-Glinik Mariampolski, Małastów, Ropica Dolna, Sękowa, Smerekowiec (ex decanatu Gorlice-Południe).

VII. Noviter instituta Provincia Sedinensis-Caminensis efficietur ex sede metropolitana Sedinensi-Caminensi, necnon suffraganeis dioecesibus Viridimontanensi-Gorzoviensi et Coslinensi-Colubregana.

Archidioecesis Sedinensis-Caminensis, cum ecclesia metropolitana, Basilica, sub titulo S. Iacobi in urbe Szczecin et cum concathedrali S. Ioannis Baptistae in urbe Kamień Pomorski, complectetur decanatus: Banie, Barlinek, Cedynia, Chojna, Choszczno, Dębno, Drawno, Golczewo, Goleniów, Gryfice, Gryfino, Ińsko, Kamień Pomorski, Kołbacz, Łobez, Maszewo, Mieszkowice, Myślibórz, Nowogard, Police, Pyrzyce, Stargard Szczeciński, Szczecin-Dąbie, Szczecin-Południe, Szczecin-Północ, Szczecin-Wschód, Szczecin-Zachód, Świnoujście, Trzebiatów.

Dioecesis Viridimontanensis-Gorzoviensis (vetere nomine Gorzoviensis appellata), cum cathedrali ecclesia sub titulo Assumptionis Beatae Mariae Virginis in urbe Gorzów Wielkopolski et cum concathedrali S. Hedvigis in urbe Zielona Góra, habebit decanatus: Babimost, Drezdenko (cum solis paroeciis: Drezdenko, Trzebież, Niegosław et Rąpin), Głogów-Najświętszej Maryi Panny Królowej Polski, Głogów Św. Mikołaja, Gorzów-Chrystusa Króla, Gorzów-Najświętszej Maryi Panny Wniebowziętej, Gorzów Św. Trójcy, Gubin, Kostrzyn, Kożuchów, Krosno, Lubsko, Łęknica, Nowa Sól,

Pszczew, Rzepin, Sława, Strzelce Krajeńskie; Sulechów, Sulęcin, Świebodzin, Szprotawa, Wschowa, Zielona Góra-Św. Jadwigi, Zielona Góra-Narodzenia Najświętszej Maryi Panny, Żagań, Żary.

Dioecesis Coslinensis-Colubregana, cum cathedrali ecclesia sub titulo Immaculatae Conceptionis in urbe Koszalin et cum concathedrali Assumptionis Beatae Mariae Virginis in urbe Kołobrzeg, constituetur ex decanatibus: Barwice, Białogard, Czarne, Darłowo, Drawsko Pomorskie, Jastrowie, Kołobrzeg, Koszalin-Południe, Koszalin-Północ, Miastko, Mirosławiec, Polanów, Połczyn Zdrój, Sławno, Słupsk-Południe, Słupsk-Północ, Szczecinek, Świdwin, Wałcz, Złotów, iam ad dioecesim Coslinensem-Colubreganam pertinentibus; Piła, Trzcianka et paroeciis sequentibus: Dzierżążno Wielkie, Krzyż Wielkopolski, Wieleń nad Notecią, Żelichowo, ex decanatu Drezdenko (ex dioecesi Gorzoviensi).

VIII. Noviter condita Provincia Gedanensis constituetur sede metropolitana Gedanensi, necnon suffraganeis dioecesibus Pelplinensi et Thoruniensi, noviter erecta.

Archidioecesis Gedanensis, cum ecclesia metropolitana, Basilica, sub titulo Ss.mae Trinitatis in urbe Gdańsk-Oliwa, complectetur decanatus: Gdańsk-Śródmieście, Gdańsk-Dolne Miasto, Gdańsk-Oliwa, Gdańsk-Południe, Gdańsk-Przymorze, Gdańsk-Wrzeszcz, Gdańsk-Wyżyny, Pruszcz-Gdański, Sopot, Żuławy Steblewskie, iam adherentes huic dioecesi; Gdynia I, Gdynia II, Puck, Wejherowo I, Wejherowo II, Żarnowiec, Żuchowo (ex dioecesi Culmensi).

Dioecesis Pelplinensis (vetere nomine Culmensis appellata), cum cathedrali ecclesia, Basilica, sub titulo Assumptionis Beatae Mariae Virginis in urbe Pelplin, decanatus habebit: ex dioecesi Culmensi: Brusy, Chojnice, Czersk, Gniew, Kamień Krajeński, Kartuzy, Koronowo, Kościerzyna, Nowe, Osiek, Sierakowice, Skarszewy, Starogard Gdański, Świecie I, Świecie II, Tczew, Tuchola, Zabory, Zblewo; ex dioecesi Coslinensi-Colubregana: Bytów, Człuchów, Główczyce, Lębork, Łeba, Łupawa; ex archidioecesi Gnesnensi: Wierzchucin Królewski et partem decanatus Fordon extra urbem Bydgoszcz sitam.

Suffraganea noviter condita dioecesis Thoruniensis, cum ecclesia cathedrali, Basilica, sub titulo S. Ioannis Baptistae et S. Ioannis Evangelistae in urbe Toruń, habebit decanatus: ex dioecesi Culmensi: Bierzgłowo, Brodnica, Chełmno, Chełmża, Działdowo, Golub, Grudziądz, Lembarg, Lidzbark, Lubawa, Łasin, Nowe Miasto Lubawskie, Radzyń, Toruń I, Toruń II, Wąbrzeźno; ex archidioecesi Gnesnensi: Toruń-Podgórz.

IX. Noviter statuta Provincia Varmiensis constituetur sede metropolitana Varmiensi, necnon suffraganeis noviter erectis dioecesibus Elbingensi et Liccanensi.

Ad Varmiensem archidioecesim, cum ecclesia metropolitana, Basilica, sub titulo Assumptionis Beatae Mariae Virginis in urbe Frombork et cum concathedrali S. Iacobi Apostoli in urbe Olsztyn, spectabunt decanatus: Barczewo, Bartoszyce, Biskupiec Warmiński, Braniewo, Dobre Miasto, Górowo Iławieckie, Grunwald, Jeziorany, Kętrzyn, Lidzbark Warmiński, Mrągowo, Nidzica, Olsztyn-Gutkowo, Olsztyn-Jaroty, Olsztyn-Kormoran, Olsztyn-Sródmieście, Olsztyn-Zatorze, Orneta (sine paroecia Dobry), Ostróda (sine paroeciis: Miłomłyn, Samborowo, Szymonowo), Pieniężno, Reszel, Rozogi, Szczytno; et paroeciae Boguchwały, Florczaki, Łukta, Miłakowo (ex decanatu Morąg).

Noviter constituta dioecesis Elbingensis, cum cathedrali ecclesia sub titulo S. Nicolai in urbe Elbląg et cum concathedralibus una sub titulo S. Ioannis Evangelistae in urbe Kwidzyn, altera vero sub titulo S. Adalberti in urbe Prabuty, habebit decanatus: ex dioecesi Gedanensi: Nadmorski, Nowy Dwór Gdański, Nowy Staw et Malbork-Kałdowo; ex dioecesi Varmiensi: Dzierzgoń, Elbląg-Południe, Elbląg-Północ, Elbląg-Sródmieście, Iława, Kwidzyn, Malbork, Morąg (sed cum solis paroeciis: Chojnik, Jarnołtowo, Kalnik, Małdyty, Morąg, Słonecznik, Stróżyna, Wilanowo), Pasłęk, Suz, Sztum; insuper paroecias Dobry, ex decanatu Orneta; Miłomłyn, Samborowo et Szymonowo, ex decanatu Ostróda; Janowo, ex dioecesi Culmensi.

Noviter instituta dioecesis Liccanensis, cum cathedrali ecclesia sub titulo S. Adalberti in urbe Ełk et cum concathedralibus, una sub titulo Beatae Mariae Virginis Ecclesiae Matris in urbe Gołdap, altera vero sub titulo S. Alexandri in urbe Suwałki, habebit decanatus: Biała Piska, Ełk, Giżycko, Gołdap, Mikołajki Mazurskie, Olecko, Pisz, Węgorzewo (ex dioecesi Varmiensi); Augustów-Wschód, Augustów-Zachód, Sejny, Suwałki-Południe, Suwałki-Północ, et paroecias sequentes: Pruska /Wólka Karwowska/, Rajgród, Rydzewo ex decanatu Grajewo dioecesis Łomżensis.

X. Noviter instituta Provincia Bialostocensis constabit ex sede metropolitana Bialostocensi, necnon suffraganeis dioecesibus Łomżensi et Drohiczinensi.

Archidioecesis autem Bialostocensis, cuius metropolitana ecclesia, Basilica, sub titulo Assumptionis Beatae Mariae Virginis in urbe Białystok sita est, habebit sequentes decanatus: Białystok-Fołudnie, Białystok-Północ, Białystok-Zachód, Dąbrowa Białostocka, Knyszyn, Korycin, Krynki et Sokółka.

Dioecesi Łomżensi, cum ecclesia cathedrali sub titulo S. Michaelis Archangeli in urbe Łomża, attribuentur decanatus: Łomża-Wschód, Lomża-Zachód, Czvzew, Grajewo (exceptis paroeciis: Pruska /Wólka Karwowska/, Rajgród, Rydzewo), Jedwabne, Kobylin, Kolno, Łapy, Myszyniec, Ostrołęka-Południe, Ostrołęka-Północ, Ostrów Mazowiecka, Szczuczyn, Wysokie Mazowieckie, Zambrów; ex dioecesi Plocensi: Różan, Wyszków (sine paroecia Rybienko Leśne), itemque paroeciae sequentes: Brodowe Łąk.i, Chorzele, Olszewka, Parciaki, Zaręby (ex decanatu Chorzele); Gąsewo, Jaciążek, Krasnosielc, Płoniawy, Sypniewo (ex decanatu Maków Mazowiecki); Baranowo, Drążdżewo, Jednorożec (ex decanatu Przasnysz).

Amplificatae dioecesi Drohiczinensi, cum ecclesia cathedrali sub titulo Ss.mae Trinitatis in urbe Drohiczyn et cum concathedrali sub titulo Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis in urbe Sokołów Podlaski, assignabuntur decanatus: Bielsk Podlaski, Brańsk, Ciechanowiec et Drohiczyn, olim pertinentes ad dioecesim Drohiczinensem; Sokołów Podlaski, Sterdyń, Węgrów, Liw (cui erunt tantum paroeciae: Kąty, Korytnica Węgrowska Liw) et paroeciae Chłopków Łysów, Platerów, Rusków Sarnaki (ex decanatu Łosice), et Gnojno Horoszki Duże, Serpelice (ex decanatu Janów Podlaski) e dioecesi Siedlcensi distractae.

XI. Noviter statuta Provincia Czestochoviensis constabit ex sede metropolitana Czestochoviensi, necnon suffraganeis noviter constitutis dioecesibus Sosnoviensi et Radomensi.

Archidioecesis autem Czestochoviensis, cuius metropolitana ecclesia, Basilica, sub titulo S. Familiae in urbe Częstochowa sita est, comprehendet decanatus: Czestochowa-Św. Józefa, Czestochowa-Najświetszej Maryi Panny Jasnogórskiej, Częstochowa-Św. Wojciecha, Częstochowa-Św. Zygmunta, Czestochowa-Blachownia (excepto pago Herby Polskie), Brzeźnica, Działoszyn, Gidle, Gorzkowice Kłobuck, kłomnice Kodrąb, Koziegłowy Krzepice Mstów, Myszków, Olsztyn, Osjaków, Pajęczno, Poraj, Praszka Radomsko-Sw. Lamberta, Radomsko-Najśw. Serca Pana Jezusa, Rozprza, Sulmierzyce, Truskolasy, Wieluń-NMP Pocieszenia, Wieluń-Sw. Wojciecha Biskupa Męczennika, Zawiercie-Najświętszej Maryi Panny Królowej Polski, Zawiercie-Św. Apostołów Piotra i Pawła, Żarki; itemque paroecias Skomlin et Naramice (ex decanatibus Bolesławiec et Lututów qui adsignabuntur dioecesi Calissiensi).

Noviter instituta dioecesis Sosnoviensis, cum ecclesia cathedrali sub titulo Assumptionis Beatae Mariae Virginis in urbe Sosnowiec, connumerabit decanatus: Będzin, Czeladź, Dąbrowa Górnicza-Sw. Antoniego z Padwy, Dąbrowa Górnicza-Najświętszego Serca Pana Jezusa, Dąbrowa Górnicza-

Najświętszej Maryi Panny Anielskiej, Łazy, Sączów, Sosnowiec-Chrystusa Króla, Sosnowiec-Św. Jadwigi Śląskiej, Sosnowiec-Św. Tomasza Apostoła, sosnowiec-Wniebowzięcia Najświętszej Maryi Panny, Siewierz (ex dioecesi Czestochoviensi); Olkusz-Południe, Olkusz-Północ, Pilica (sed cum solis paroeciis: Dzwono-sierbowice, Giebło, Ogrodzieniec, Pilica-Biskupice, Pilica-Św. Jana chrzciciela, Ryczów, Strzegowa), Sułoszowa (sed cum solis paroeciis: Jerzmanowice, Przeginia, Sąspów, Sułoszowa, Zadroże) Wolbrom (ex dioecesi Kielcensi); Jaworzno (ex archidioecesi Cracoviensi).

Dioecesis Radomensis, noviter condita, cum cathedrali ecclesia sub titulo Praesidii Beatae Mariae Virginis in urbe Radom, decanatus habebit: Drzewica, Iłża, Jedlińsk, Końskie, Kozienice, Lipsko (sine pagis Kępa Solecka et Kępa Gostecka), Opoczno, Pionki, Przedbórz, Przytyk, Radom-Południe, Radom-Północ, Radom-Wschód, Radom-Zachód, Radoszyce, Sienno, skarżysko Kamienna, Skrzynno, Starachowice-Południe, Starachowice-Północ, Szydłowiec, Zwoleń, Żarnów.

XII. Noviter condita Provincia Katovicensis constituetur sede metropolitana Katovicensi, necnon suffraganeis dioecesibus Opoliensi et Glivicensi, noviter erecta.

Archidioecesis autem Katovicensis, cuius metropolitana ecclesia sub titulo Christi Regis in urbe Katowice sita est, comprehendet decanatus: Bieruń, Boguszowice, Chorzów, Gorzyce, Jastrzębie, Katowice-Centrum, Katowice-Południe, Katowice-Wschód, Knurów, Kochłowice, Leszczyny, Miedźna, Mikołów, Mysłowice, Orzesze, Pawłowice, Piekary (sed cum solis paroeciis: Brzeziny Śląskie, Józefka, Kamień, Kozowa Góra, Piekary Śląskie-Imienia Najświętszej Maryi Panny et Św. Bartłomieja Apostoła, Piekary Śląskie-Zmartwychwstania Pańskiego, Radzionków-Św. Stanisława Biskupa Męczennika, Radzionków-Św. Wojciecha, Rojca, Szarlej), Pogrzebień, Pszczyna, Pszów, Ruda Śląska, Rybnik-Centrum, Rybnik-Północ, Siemianowice, Świętochłowice, Tychy, Wodzisław, Żory.

Dioecesis Opoliensis, cum ecclesia cathedrali sub titulo Crucis Sanctae Exaltationis in urbe Opole, connumerabit decanatus: Biała, Branice, Dobrodzień, Głogówek, Głubczyce, Głuchołazy, Gorzów Śląski (sed cum solis paroeciis: Biskupice, Bodzanowice, Gorzów Śląski, Kościeliska, Kozłowice, sternalice), Gościecin, Grodków, Kamień Śląski, Kędzierzyn, Kietrz, Kluczbork, Koźle, Krapkowice, Leśnica, Łany, Niemodlin, Nysa, Olesno, Opole, Opole-Szczepanowice, Otmuchów, Ozimek, Paczków, Pietrowice Wielkie, Prószków, Prudnik, Racibórz, Siołkowice, Skoroszyce, Strzelce Opolskie, Toszek (sed cum solis paroeciis: Centawa, Kotulin, Płużnica Wielka), Tworków, Ujazd laski (sed cum solis paroeciis: Chechło, Jaryszów, Klucz,

Rudziniec, Ujazd Śląski), Zagwiżdzie, Zawadzkie (sed cum solis paroeciis: Kielcza, Kolonowskie, staniszcze Małe, staniszcze Wielkie, Zawadzkie, Zędowice), et paroeciam Racibórz-Markowice, ex decanatu Kuźnia Raciborska.

Noviter constituta dioecesis Glivicensis, cum ecclesia cathedrali sub titulo SS. Apostolorum Petri et Pauli in urbe Gliwice, decanatus habebit: ex dioecesi Opoliensi: Bytom, Bytom-Miechowice, Gliwice, Gliwice-Łabędy, Kuźnia Raciborska (excepta paroecia Racibórz-Markowice), Pyskowice, Toszek (sed cum solis paroeciis: Toszek, Sieroty, Świbie, Wielowieś, Wiśnicze, Wojska), Zabrze, Zabrze-Mikulczyce; itemque paroecias: Bojszów, Pławniowice, Poniszowice, Rudno, Taciszów (ex decanatu Ujazd); Koty, Krupski Młyn, Tworóg (ex decanatu Zawadzkie); ex dioecesi Katovicensi decanatus: Lubliniec, Sadów, Tarnowskie-Góry Centrum, Tarnowskie-Góry Zachód, Woźniki, itemque paroecias decanatus Piekary: Nowe Chechło, Świerklaniec, Orzech, Sucha Góra et pagum Herby Polskie ex dioecesi Czestochoviensi.

XIII. Noviter constituta Provincia ecclesiastica, quae Lublinensis appellabitur, constituetur ex Sede Lublinensi, uti Metropolitana, et dioecesibus Sandomiriensi et Siedlcensi, uti suffraganeis.

Ad Lublinensem archidioecesim, cum ecclesia metropolitana sub titulo S. Ioannis Baptistae et S. Ioannis Evangelistae in urbe Lublin, spectabunt decanatus: Bełżyce, Bychawa, Chełm-Wschód, Chełm-Zachód, Garbów, Konopnica, Krasnystaw-Wschód, Krasnystaw-Zachód, Kraśnik, Lubartów, Lublin-Południe, Lublin-Północ, Lublin-Śródmieście, Lublin-Wschód, Lublin-Zachód, Łęczna, Opole Lubelskie let pagi Kępa Solecka et Kępa Gostecka de dioecesi Sandomiriensi-Radomensi dempti), Piaski, Puławy, Świdnik, Turobin, Zakrzówek.

Sedes Sandomiriensis (vetere nomine Sandomiriensis-Radomensis appellata), cum ecclesia cathedrali, Basilica, sub titulo Nativitatis Beatae Mariae Virginis in urbe Sandomierz, habebit decanatus: Koprzywnica, Łagów, Opatów, Ostrowiec Świętokrzyski-Wschód, Ostrowiec Świętokrzyski-Zachód, Sandomierz, Staszów, Zawichost, de dioecesi Sandomiriensi-Radomensi demptos; Gorzyce Tarnobrzeskie, Nisko, Raniżów, Rudnik nad Sanem, Stalowa Wola, Tarnobrzeg-Południe et Tarnobrzeg-Północ, de dioecesi Premisliensi Latinorum; Janów Lubelski et Zaklików, ex dioecesi Lublinensi; Baranów, de dioecesi Tarnoviensi.

Ad Siedlcensem dioecesim, cum ecclesia cathedrali sub titulo Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis in urbe Siedlce, spectabunt decanatus: Adamów, Biała Podlaska, Domanice, Garwolin, Janów Podlaski

(exceptis paroeciis: Gnojno, Horoszki Duże, Serpelice), Łaskarzew, Łosice (exceptis paroeciis: Chłopków, Łysów, Platerów, Rusków, Sarnaki), Łuków, Międzyrzec, Parczew, Radzyń, Ryki, Siedlce Katedra, Siedlce, Terespol, Wisznice, Włodawa, Żelechów.

Ad Sedem archiepiscopalem Lodzensem, Sanctae Sedi immediate subiectam, cum ecclesia cathedrali, Basilica, sub titulo S. Stanislai Kostka in urbe Łódź, pertinebunt decanatus: Bełchatów, Brzeziny, Konstantynów, Kurowice, Łask, Łódź-Śródmieście I, Łódź-Śródmieście II, Łódź-Południe, Łódź-Północ, Łódź-Wschód, Łódź-Zachód, Ozorków, Pabianice, Piotrków-Wschód, Piotrków-Zachód, Poddębice, Stryków (sed cum solis paroeciis: Bratoszewice, Dobra, Koźle, Niesułków, Skoszewy, Stryków), Szczerców, Tomaszów Mazowiecki, Tuszyn, Widawa, Zelów, Zgierz.

Insuper per hanc Apostolicam Constitutionem unionem « aeque principaliter » inter archidioecesim Gnesnensem et Poshaniensem et unionem « ad personam » inter archidioecesim Gnesnensem et Varsaviensem dissolvimus, mandantes ut Primatis Poloniae titulus permaneat Venerabili Fratri Nostro Iosepho S.R.E. Cardinali Glemp, in praesens Archiepiscopo Metropolitae Varsaviensi, qua custodi reliquiarum S. Adalberti.

Decernimus quoque ut uniuscuiusque novae dioecesis Pastori in eius regimine validum tribuatur adiutorium, Consilium sive presbyterale sive pastorale Collegiumque Consultorum, ad normam iuris communis, quam primum, in unaquaque Ecclesia instituantur.

Circa vero Seminarii dioecesani constitutionem necnon candidatorum ad sacerdotium formationem, praescripta iuris communis serventur, prae oculis habitis normis et regulis a Congregatione de Institutione Catholica statutis.

Cum quidem fas erit, selecti seminarii alumni, philosophicis et theologicis disciplinis imbuendi necnon sacerdotes ad studia complenda Romam, apud Pontificium Collegium Polonorum, mittantur.

Quod autem attinet ad novae uniuscuiusque dioecesis regimen, administrationem bonorum, dioecesani Administratoris « sede vacante » electionem, fidelium iura et onera, aliaque id genus, quae sacri canones praescribunt adamussim serventur.

Simul ac harum dioecesium constitutio ad effectum deducta fuerit ilico sacerdotes dioecesi illi adscripti censeantur in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent: ceteri vero sacerdotes seminariique tirones illi dioecesi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habent domicilium.

Acta et documenta quae ad novam unamquamque dioecesim eiusque clericos, fideles et forte bona temporalia respiciunt, quam primum fieri

poterit, ad eam dioecesim mittantur ad quam, iuxta praedicta, eadem pertinebunt.

Haec quae praescripsimus perficienda committimus Venerabili Fratri Iosepho Kowalczyk, quem diximus, vel absente eo, illi, qui negotia curat Apostolicae Sedis in Polonia, necessarias et opportunas eisdem tribuentes facultates etiam delegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Iubemus denique singula et omnia hisce Apostolicis Litteris decreta plene sortiri vim suam tam nunc quam in posterum usque tempus, rebus quibusvis, etiam speciali mentione dignis, haudquaquam obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xxv mensis Martii, in Annuntiatione Domini, anno MCMXCII, Pontificatus Nostri quarto decimo.

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabilis Serva Dei Amiarita Nengapeta Maria Clementina in Beatorum catalogum refertur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Qui autem perseveraverit in finem, hic salvus erit » *(Mt* 10, 22).

Perinde ac Magister Divinus per acerbam crucis viam est in gloriam ingressus, ipsius sic profecto amici vitae percipient coronam si Dei verbo parentes eumque medios etiam inter dolores ac vexationes diligentes ad finem usque perstiterint. Fulgidum huius modi reddidit fidelitatis erga Deum perseverantiaeque in Christi adsectatione testimonium Soror Maria Clementina quoque, in saeculo Alfonsina Anuarita Nengapeta, quae quidem in fide spe caritate admodum constans nihil suum profundere dubitavit sanguinem vitamque iuvenilem dedere ut Dei custodiret legem et officia baptismo ac votis religiosis suscepta expleret.

Clara haec Ecclesiae filia parentibus enata paganis in oppido Matali est prope Zairis urbem Vambaensem anno, videtur, millesimo nongentesimo quadragesimo primo ac duobus post annis una cum matre et aliquibus sororibus suis Foedus Novum Dei Populi per baptismi sacramentum introivit ac brevi pascere se Eucharistico Pane incepit. Gratiae vero divinae semina fertile in illa solum reperientia copiosos ediderunt fructus. Apud locum Bafwabaka amplexata est religiosam Congregationem illius loci sub nomine Sacrae Familiae sororum, quarum discipula erat, atque anno millesimo nongentesimo quinquagesimo quinto vota religiosa nuncupavit quae magno animi studio numquam non adservavit. Peractis dein scholarum disciplinis laudabiliter muneribus est magistrae perfuncta et aedituae atque in culina auxiliatricis. Ipsam semper Virginem Mariam imitata secum decrevit ut omnibus in rebus « Domini famula » viveret; quam ob causam prompta omnino voluntate et simplici mentis adfectu voluntatem eius exsequebatur, orationem simul excolens et animi demissionem et sese donandi operam.

Aliis sane in exemplum caritatem factitabat in proximos, potissimum vero in sodales sorores, scholae discipulos et aegrotantes. Animo sic candido ab omnibusque libero huius terrae immodicis cupiditatibus et in Dei ministerium plane intento fratrumque commodum Maria Clementina sine ulla dubitatione viam percurrit christianae perfectionis, cum parata eodem tempore esset, tot aliis praeclaris praeeuntibus Evangelii Iesu testibus, ad vitam ex Christi amore devovendam. Haec laudabilis nimirum adiectio mentis utilis ei aliquando facta est, cum extremum caritatis testimonium reddendum fuit quod est martyrium ipsum. Id quod anno millesimo nongentesimo sexagesimo quarto accidit, quo tota natio Zairis cruentis concutiebatur intestinis seditionibus quibus non pauci perierunt Christiani. Saeviente ita odio et vi, die undetricesimo mensis Novembris eodem illo anno iuvenum manipulus ad Simbarum exercitum qui pertinebant sorores et novicias ipsasque postulantes apud Sorores Sacrae Familiae e Bafwabaka abduxit. At Soror Maria Clementina, quae tum extra domum religiosam versabatur, sese decrevit suis coniungere cum sororibus earumque particeps fieri fortunae. In locum Ibambi sunt delatae ubi noctem transegerunt. Praevidens quodam modo id quod erat eventurum Venerabilis Dei Serva socias hortabatur ut vigilantes precarentur. Vesperi die tricesimo Novembris Isirum devenerunt ubi militum praefectus omnibus consiliis rationibusque violare virginitatem conatus est Sororis Mariae Clementinae quae firmiter ac mordicus renitebatur se paratam potius esse ad monendum adseverans quam peccaret suamque proderet consecrationem. Blanditiae minae plagae nihil movere eam potuerunt ut firmo a suo recederet propo-

sito sanctitatem corporis ad extremum usque tuendi, videlicet Spiritus Sancti ipsius templi. Intempesta ea nocte igitur interempta manuballista est; verum prius rem suo condonavit interfectori quam gloriosum ingrederetur martyrum chorum. Illius dein fama percrebrescente martyrii ipse Isirensis-Niangaraensis Praesul, adnuente Apostolica Sede, initium fecit Causae canonizationis. Celebrati proin processus sunt canonici in urbibus Kisangani, Mechlinia-Bruxellis necnon Kinsasa validique sunt iure renuntiati decreto anno millesimo nongentesimo octogesimo altero divulgato. Pervestigationibus autem communibus feliciter tam a theologicis consultoribus quam a Patribus Cardinalibus Episcopisque Congregationis pro Causis Sanctorum exactis, Nostro in conspectu decretum prodiit die nono mensis Iunii anno millesimo nongentesimo octogesimo quarto quo Sororis Mariae Çlementinae fuisse germanum martyrium obitum ediximus. Beatificationis propterea ritum sollemnem festo die Assumptionis Beatissimae Mariae Virginis concelebratum iri anno millesimo nongentesimo octogesimo quinto nuntiavimus, cum salutationem Zairis populi pastoralem ageremus. Hodie igitur Kinsasae obeuntes Nos eandem illam liturgicam Deiparae Virginis commemorationem coram innumerabili quidem Episcoporum Zairis Fratrum et sacerdotum, religiosarum familiarum sodalium et fidelium multitudine, elata placuit voce hanc proclamare beatificationis formulam Mariae Clementinae Anuaritae Nengapetae:

« Pour répondre aux vœux de notre frère Urna Arakayo Amabe, Evêque dTsiro-Niangara, des autres frères Evêques du Zaïre, des membres du clergé, des membres des Instituts religieux, spécialement de la Congrégation de la Sainte Famille de Kisangani ainsi que de nombreux fidèles, après avoir consulté la Congrégation pour les causes des Saints, Nous concédons, de notre autorité apostolique, que la Vénérable Servante de Dieu, Anuarite Nengapeta Marie Clémentine, peut être désormais appelée Bienheureuse et qu'on pourra célébrer sa fête dans les lieux et selon les règles fixées par le droit, chaque année, le 1er décembre, jour anniversaire de sa naissance au ciel.

Au nom du Père, et du Fils, et du Saint-Esprit ».

Continuo autem post hanc Beatam caelitem extulimus magnaque exin pietate primi ipsi eam venerati sumus fidenterque praesidium invocavimus. Superest igitur ut has Apostolicas Litteras rei memorabilis testes perpetuas in lucem dari iubeamus et ea singula quae iis insint ad amussim religiose custodiri contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obsistentibus. Diuturnum enim Ecclesiae Matris experimentum dubitari non sinit quin, quo plura eaque recentiora etiam sanctimoniae christianae exempla suis praebuerit

imitanda fidelibus suisque vocibus illuminaverit, eo efficacius quidem omni aetate Christi Divini Conditoris eius evangelium possit ad cotidianos effectus deduci faciliusque ad praesentes adhiberi superandas difficultates.

Datum Kinsasae, sub anulo Piscatoris, die xv mensis Augusti, in Sollemnitate Assumptionis Beatae Mariae Virginis, anno MCMLXXXV, Pontificatus Nostri septimo.

68 AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 302.266

II

Venerabilis Dei Serva Laura Vicuña in Beatorum catalogum refertur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum... » (Ps 73, 26). Hoc Psalmistae desiderium, inexpugnabili nitens soliditate Dei potentiae, mirabiliter vim exprimit optatorum quibus iuvenilis animus Laurae Vicuña redundabat, quae nempe veritatibus divinis illuminata per catechesim susceptis sese omnino laeteque promptam reddidit ad gratiae divinae actionem, ut amore cresceret suique donandi studio usque ad extremum vitae sacrificium propter salvificum aliquod propositum plane nobilissimum.

In urbe orta est Sancti Iacobi Chiliae quinto die mensis Aprilis anno millesimo octingentesimo nonagésimo primo Iosephi Dominici ac Mercedis Pini filia primogenita; quo eodem anno apud paroeciale Sanctae Annae templum est lavacro salutari renata. Rerum politicarum conversiones patrem coegerunt ut ab urbe principe recederet ubi seditio popularis diffundebatur. Temuci in meridionali nationis parte inopinatus patris obitus tribus post annis Lauram una cum minore natu sorore orbavit. Postea parva familia se in Argentinam contulit ubi materfamilias, opere passim conquisito, in villa consedit cuiusdam agricolae filiasque suas novem annorum Lauram eiusque sex annorum sororem Filiabus concredit Mariae Auxiliatricis, quae eundem circiter locum aperuerant paulo ante ludum-ephebeum parvum in missione Patagónica « Junín de los Andes » appellata. Hic de-

cem annos nata primam Communionem accepit Laura; quo etiam tempore Deum oravit ut ducere sciret « amoris mortificationis sacrificii vitam »: cupiebat enim compensationem pretiumque solvere tot pro peccatoribus in primisque pro matre quae interea cum crudeli vilico consuetudinem inierat indigni amoris. In ephebei illius condicionibus Laurae animus spiritalibus doctrinis repletus alacrique vitae christianae officio se reclusit ac maturuit per intentam Dei amicitiam et voluntatem ipsi in omnibus satis faciendi ex fidelitate erga simplicia vitae cotidianae munia. Ex gratiae vita, quam sacramenta nutriunt, ipsa constans effecta sibique donorum conscia Spiritus Sancti per confirmationem Sacram perceptorum mordicus Laura adversata est invitamentis sibi a matris patrono oblatis ut villam ingrederetur intusque in animo voluntatem fovit sese Deo totam dedendi. Confessarii dein impetrata licentia, castitatis paupertatis oboedientiaeque privata nuncupavit vota ac paucis post mensibus omne quod suum maximi pretii habebat id Domino suo concredidit, suam hoc est iuvenilem vitam ut matris assequeretur conversionem: ei namque Evangelii pagina de bono Pastore praebebatur veluti appellatio cui resisti non potest. Hostia a Deo recepta est peractumque eius sacrificium vix duobus annis. Die enim vicesimo secundo anno millesimo nongentesimo quarto nondum tredecim nata annos mortua est plane morbo confecta, postquam secretum suum consilium matri exposuerat suae muneris vitae ab eaque impetraverat sollemni modo morum promissam commutationem. Cui pollicitationi stetit mater quoniam ipso Laurae funeris die cum Deo est conciliata atque sacramentorum virtute perseverare potuit in christiana vita.

Cum sanctimoniae persisteret fama, qua Dei Serva fruebatur, apud Curiam episcopalem Viedmensem anno millesimo nongentesimo quinquagesimo quinto initium causae canonizationis factum est omnibusque deinceps rite expletis, quae iure postulabantur, et inquisitionibus theologicis feliciter exactis Nobis coram die quinto mensis Iunii anno millesimo nongentesimo octogesimo sexto decretum prodiit quo Lauram Vicuña professi sumus virtutes théologales cardinales adnèxasque heroum in modum exercitavisse. Postmodum vero apud Curiam archiepiscopalem Sancti Iacobi Chiliae processus est canonicus institutus de asserta mira sanatione eadem in urbe anno millesimo nongentesimo quinquagesimo octavo patrata et eiusdem Venerabilis Dei Servae deprecationi tributa. A peritis proin Congregationis de Causis Sanctorum causa est ponderata, prius a Consilio Medicorum dein a theologis consultoribus ac postremo a Cardinalibus et Episcopis. Quibus cunctis prorsus adsentientibus Kalendis Augustis anno millesimo nongentesimo octogesimo octavo decretum foras edidimus super miro. Ritus autem

beatificationis constituimus ut proximi mensis Septembris tertio die Augustae Taurinorum celebraretur, cum ibidem visitationem Nostram pastoralem exsequeremur.

Hodie igitur praesidentes Nos sacris sollemnibus in Colle Sancti Ioannis Bosco ante interminatam ferme christifidelium multitudinem e familia maxime Salesiana, hanc ediximus formulam:

« Noi, accogliendo il desiderio dei nostro fratello Miguel Esteban Hesayne, vescovo di Viedma, di molti altri Fratelli nell'episcopato, e di molti fedeli, dopo avere avuto il parere della Congregazione per le Cause dei Santi, concediamo con la nostra Autorità Apostolica che la Venerabile Serva di Dio Laura Vicuña d'ora in poi sia chiamata Beata; e che si può celebrare la sua festa, nei luoghi e secondo le regole stabilite dal diritto, ogni anno nel giorno della sua nascita al cielo: il 22 gennaio. Nel nome del Padre e del Figlio e dello Spirito Santo ».

Consueta denique habita oratione de vita eius singillatim virtutibusque, novensilem Beatam primi Ipsi sumus venerati summaque pietate invocavimus. Litteras autem hasce Apostolicas volumus tam nunc quam in posterum firmas esse suosque plane sortiri effectus.

Datum Augustae Taurinorum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Septembris anno MCMLXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.

£8 AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

Loco EB Sigilli
In Secret. Status tab., n. 302.267

III

Sanctus Andreas Bobola, presbyter ac martyr, Patronus renuntiatur Provinciae ecclesiasticae Varsaviensis.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Totius Polonicae terrae christifideles sanctum Andream Bobola, presbyterum ac martyrem, per annorum decursum clara veneratione sunt prosecuti, clerus autem ac populus Provinciae ecclesiasticae Varsaviensis, in qua Beatus sacerdotalis aetatis partem sollerti ministerio tribuit, peculiari honore eum colunt, caelestium gratiarum copiam precantes sibi suisque.

Hac animarum utilitate permotus, Venerabilis Frater Noster Iosephus S.R.E. Cardinalis Glemp, Archiepiscopus Varsaviensis, una cum ceteris Episcopis Provinciae supra memoratae, communia vota excipiens, petiit ut sanctus Andreas Bobola, Societatis Iesu filius, Patronus istius Ecclesiae metropolitanae confirmaretur.

Quibus precibus libenti animo obsecundantes, Nos, e Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum sententia, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum vi, perpetuum in modum sanctum Andream Bobola, presbyterum ac martyrem, Patronum apud Deum totius Provinciae ecclesiasticae Varsaviensis renuntiamus, omnibus adiectis honoribus et congruis privilegiis liturgicis. Contrariis quibusvis non obstantibus.

Confidimus sane Nos fore ut fideles istius Provinciae ad S. Andream Bobola colendum magis magisque incitentur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xiv mensis Aprilis, anno MCMXCII, Pontificatus Nostri quarto decimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco 68 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 306.966

ALLOCUTIONES

I

Ad eos qui conventui de stirpium incremento et alimentorum aequatione interfuerunt coram admissos.*

Ladies and Gentlemen,

1. I extend t o each of you a cordial welcome. I greet you and I thank you for having accepted the invitation of the Pontifical Academy of Sciences to take part in a scientific discussion on a problem which is of great concern to society today: the relationship between the accelerated increase in world population and the availability of natural resources.

*** Die 22 m. Novembris a. 1991.**

The close connection between the world's resources and its inhabitants must be evaluated, as you have opportunely done, by also taking into account the présent imbalances in démographie distribution, in movements of migrants, in the allocation and consumption of resources.

The increase both of population and of available resources varies from place to place, to such an extent that différent parts of the world are presently experiencing and can be expected to expérience unequal trends.

The data emerging from your research and discussions will therefore prove important and very useful in enabling the Holy See to formulate and clarify—in accordance with its proper mission and responsibilities—appropriate guidelines and suggestions. The Academy's independence and scientific compétence enable it to provide a valuable service to the Church. The Church in turn can then make use of the Academy's analysis of reliable data in order to develop—in the field of her own compétence and autonomy—a carefully considered judgment of a religious and ethical nature.

2. Although the starting-point of your research is the current world situation, you have rightly chosen to look at the past as well. You have highlighted the causes which have produced the earth's présent situation and led to the notable growth of the world population in recent decades. You have then looked to the future, in order to make certain projections based on the connection between the dynamics of demography and the dynamics of available resources, particularly with regard to their impact on the environment.

It is a well-known fact that the availability of resources is obstructed by various social, economie and politicai factors, to the extent that some people fear that the point will even be reached when it will be impossible to feed ali the world's people. It is important, however, not to be guided by fear; instead, what is needed is a careful évaluation of the various aspects of the problem.

3. An analysis of the différent situations, points to a growing diversification with regard not only to basic natural resources, but more specifically to those resources capable of actually being used by man, through the application of his intelligence, enterprise and labour. Science and its relative applications have made new resources available and hold out the promise of alternative forms of energy. But, centres of scientific research are not evenly spread, and the propagation of skills and technologies is conditioned, and at times slowed down, by various factors which make the

practice of international solidarity difficult. Yet, such solidarity is the fundamental premise for full and balanced development.

What we are speaking of, then, is a problem of social Organization and henee also a politicai problem. Various aspects of life in society are involved here, from family rights to the régulation of land ownership, from social welfare to the Organization of labour, from public order to ways of establishing a consensus in society.

Human society is first and foremost a society of persons, whose inalienable rights must always be respected. No politicai authority, whether national or international, can ever propose, much less impose, a policy that is contrary to the good of persons and of families.[1]

4. There is a widespread opinion that population control is the easiest method of solving the underlying problem, given that a worldwide reorganization of the processes of production and a redistribution of resources would require an enormous amount of time and would immediately give rise to economie complications.

The Church is aware of the complexity of the problem. It is one that must be faced without delay; but account must also be taken of the differing regional situations, some pf which are the complete opposite of others: some countries show a massive population increase, while others are heading towards a dwindling, aging population. And often it is precisely the latter countries, with their high level of consumption, which are most responsible for the pollution of the environment.

The urgency of the situation must not lead into error in proposing ways of intervening. To apply methods which are not in accord with the true nature of man actually ends up by causing tragic harm. For this reason the Church, as an "expert in humanity",[2] upholds the principie of responsible parenthood and considers it her chief duty to draw urgent attention to the morality of the methods employed. These must always respect the person and the person's inalienable rights.

5. The increase or the forced decrease of population is partly the result of deficiencies in social institutions. Damage to the environment and the increasing scarcity of naturai resources are often the result of human errors. Despite the fact that the world produces enough food for everyone, hundreds of millions of people are suffering from hunger, while elsewhere enormous quantities of food go to waste.

[1] Cf. *Gaudium et spes,* 25-26; *Dignitatis humanae,* 3.

[2] Cf. Paul VI.

In view of these many différent mistaken human attitudes, it is necessary to address first of all the people who are responsible for them.

6. Population growth has to be faced not only by the exercise of a responsible parenthood which respects the divine law, but also by economic means which have a profound effect on social institutions. Particularly in the developing eountries, where young people represent a high percentage of the population, it is necessary to eliminate the grave shortage of adequate structures for ensuring éducation, the spread of culture and professional training. The condition of women must also be improved as an integral part of the modernization of society.

Thanks to advances in medicine which have reduced infant mortality and increased the average life expectancy, and thanks also to the development of technology, there has been a real change in living conditions. These new conditions must be met not only with scientific reasoning, but more importantly with recourse to ail available intellectual and spiritual énergies. People need to redisco ver the moral significance of respecting limits; they must grow and mature in the sensé of responsibility with regard to every aspect of life.[3]

By not taking steps in this direction, the human family could well fall victim to a devastating tyranny which would infringe upon a fundamental aspect of what it means to be human, namely giving life to new human beings and leading them to maturity.

It is the responsibility of the public authorities, within the limits of their legitímate compétence, to issue directives which reconcile the Containment of births and respect for the free and personal assumption of responsibility by individuáis.[4] A politicai programme which respects the nature of the human person can influence démographie developments, but it should be accompanied by a redistribution of economie resources among the Citizens. Otherwise such provisions can risk placing the heaviest bürden on the poorest and weakest sectors of society, thus adding injustice to injustice.

Man, "the only creature on earth whom God willed for its own sake",[5] is the subject of primordial rights and duties, which are antécédent to those deriving from social and politicai life.[6] The human person is "the origin, the

[3] Cf. *Mater et magistra,* 195; *Humanae vitae,* passim; *Gaudium et spes,* 51-52.

[4] Cf. *Gaudium et spes,* 87; *Populorum progressio,* 47.

[5] *Gaudium et spes,* 24.

[6] Cf. *Pacem in terris,* 5. 35.

subject and the purpose of all social institutions",[7] and for this reason authorities must keep in mind the limits of their own compétence. For her part, the Church invites the human family to plan its future, impelled not just by material concerns but also and especially by respect for the order which God has placed within création.

7. We all have precise duties towards future générations: this is an essential dimension of the problem, and it impels us to base our proposais on solid prospects regarding population growth and the availability of resources.

Ringraziamo Cristo Signore per il suo dimorare in noi. Questo è un mistero per i nostri cuori e per le nostre coscienze, che trova il suo fondamento nella promessa evangelica: « Se uno mi ama... il Padre mio lo amerà e noi verremo a lui e prenderemo dimora presso di lui

Ringraziamo il Cristo Signore per il suo dimorare in noi insieme al Padre.

Ringraziamo per il Consolatore che Egli ci ha promesso nel Cenacolo: « Lo Spirito Santo che il Padre manderà nel mio nome, Egli vi insegnerà ogni cosa ».[2]

Ringraziamo per il mistero della Santissima Trinità, che è l'unità della Divinità. Ringraziamo per il mistero della Trinità, che è diventato la divina « oikonomia » della storia della salvezza. Ringraziamo per lo Spirito di Verità, che il Padre ci manda costantemente per opera del Figlio, nel suo Nome, nella potenza del suo mistero pasquale. Ringraziamo per la divina Missione dello Spirito di Verità in noi e in mezzo a noi durante questo Sinodo, che è stato una particolare manifestazione del nostro servizio nei riguardi dell'Europa alla fine del secondo Millennio del cristianesimo e alle soglie del terzo.

2. Che cosa possiamo dire a quest'Europa? Che cosa possiamo dire se non ciò che diceva l'apostolo Paolo, colui che tra i primi è stato chiamato a visitare il nuovo Continente? Riprendendo le sue parole, desideriamo dire all'Europa *nell'Anno Domini 1991:* « l'amore di Cristo ci spinge ».[3]

Questa è la parola apostolica, fondamentale ed insieme sempre nuova, la parola di oggi e di domani. Cristo ci ha amato « sino alla fine ».[4] Nessun limite di tempo pone termine a questo amore. Nessun cambiamento di generazioni, civiltà o mentalità può '« disattualizzare » quest'amore.

* Die **14** m. Decembris a. **1991.**

[1] ***Qv* 14, 23.**

[2] ***Ibid.* 14, 26.**

[3] ***2 Cor* 5, 14.**

[4] Cf. ***Qv* 13, 1.**

Cristo « è morto per tutti »[5] ed è morto « perché quelli che vivono non vivano più per se stessi, ma per Colui che è morto e risuscitato per loro ».[6]

La Croce di Cristo ha forza redentrice: « È morto e risuscitato ». La morte di Cristo riconferma in primo luogo la verità sull'uomo, secondo cui egli è l'unica creatura nel mondo visibile che il Creatore ha voluto « per se stessa».[7] Nello stesso tempo questa morte salvifica svela fino in fondo un'altra dimensione della verità sull'uomo: cioè, che egli non può « ritrovarsi pienamente, se non attraverso un dono sincero di sé ».[8]

La Croce di Cristo iscrive, sempre di nuovo, questa verità nella storia dell'uomo, la iscrive nella coscienza umana. Sulla morte di Croce di Cristo è posto il sigillo irreversibile della risurrezione e della vita.

3. Così, dunque, « l'amore di Cristo ci spinge ». Esiste una spinta che attraversa la storia dell'uomo e che riguarda il suo collegamento con il mondo visibile, con il creato. Una tale spinta si manifesta in un progresso multiforme.

Ed esiste un'altra spinta, quella che proviene da Cristo, la spinta che nasce dal suo amore: « se uno è in Cristo, è una creatura nuova ».[9]

Come riconciliare « una creatura nuova » con il progresso terreno? Il Concilio Vaticano II ha ricordato che una tale riconciliazione costituisce la missione permanente della Chiesa; la sfida per tutti coloro che, guidati dallo Spirito Santo, diventano figli nel Figlio; la sfida per noi Pastori della Chiesa.

« E stato Dio, infatti, a riconciliare a sé il mondo in Cristo, non imputando agli uomini le loro colpe e affidando a noi la parola della riconciliazione ».[10]

In che modo dobbiamo fungere da ambasciatori per Cristo?[11] Come dobbiamo supplicare ed esortare la vecchia e sempre nuova Europa: « lasciatevi riconciliare con Dio »?[12] La risposta è nell'amore di Cristo che ci spinge.

4. Ringraziamo per il Sinodo che è stato per noi una nuova spinta all'amore.

Mentre chiudiamo i lavori compiuti nella nostra comunità sinodale, desideriamo ritornare alle Chiese delle nostre patrie **europèe** come *pöffäW-'*

[5] *2 Cor 5,* 15.

[6] *Ibid.*

[7] Cf. *Gaudium et spes,* 24.

[8] *Ibid.*

[9] *2 Cor* 5, 17.

[10] *Ibid.* 5, 19.

[11] Cf. *ibid.* 5, 20.

[12] Cf. *ibid.*

ri della pace di Cristo: « Vi lascio la pace, vi do la mia pace. Non come la dà il mondo, io la do a voi. Non sia turbato il vostro cuore e non abbia timore ».[13]

Questa nuova alleanza di pace è iscritta nel mistero dell'Eucaristia che stiamo per celebrare.

In questa Europa, che aspira alla sua unità, vi sono tante inquietudini. Vi sono tante minacce e tensioni attuali e potenziali, che spingono nel senso contrario a quello voluto da Cristo.

La Chiesa riuscirà a farsi promotrice di vera pace? Riuscirà a meritarsi la beatitudine destinata agli « Operatori di pace »? Sarà in grado di trasferire la riconciliazione, con la quale Dio ha riconciliato il mondo con se stesso, nelle dimensioni interumane e internazionali?

È, questa, una domanda chiave per il futuro dell'Europa e del mondo. Una domanda fondamentale anche per la missione della Chiesa.

5. Cristo dice: « lo Spirito Santo che il Padre manderà nel mio nome, Egli vi insegnerà ogni cosa e vi ricorderà tutto ciò che io vi ho detto ».[14]

Vi ricorderà...

La potenza dello Spirito e la parola salvifica di Cristo non hanno mai abbandonato gli uomini, di cui tanti sono diventati testimoni e martiri del nuovo secolo in questo antichissimo Continente.

E non abbandoneranno neppure noi!

Spinti dall'amore di Cristo, cammineremo per le strade del vecchio Continente per proclamare la Verità che ci fa liberi, invitando tutti a rinnovarsi interiormente nella santità e nella giustizia.

Cari Fratelli nell'episcopato, tornando alle vostre Comunità cristiane, non cessate di essere e di operare da veri « testimoni di Cristo che ci ha liberati ». Moltiplicate le vostre iniziative per porre in atto la nuova evangelizzazione dell'Europa. Siate uniti nella vostra testimonianza di fede: l'unità del continente europeo sarà occasione preziosa per le vostre Chiese, per proclamare il Regno di Cristo con « un cuor solo e un'anima sola ».[15]

Abbiamo incominciato i nostri lavori a Roma, nel nome di Cristo. Li concludiamo nel nome di Cristo, che « è lo stesso ieri, oggi e sempre ».[16]

Concludiamo oggi per incominciare di nuovo: nel nome di Cristo, che ci spinge!

Amen!

[13] *Qv* 15, 27.
[14] *Ibid.* 14, 26.
[15] *At* 4, 32.
[16] *Eb* 13, 8.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

i

CREMONEN.

DECRETUM

Canonizationis Ven. Servi Dei Francisci Spinelli, Sacerdotis, Fundatoris Instituti Sororum v. d. « Adoratrici dei S. Sacramento » (1853-1913).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilis Servus Dei Franciscus Spinelli Mediolani natus est die 14 mensis Aprilis anno 1853 et die 17 mensis Octobris anno 1875 sacrum presbyteratus Ordinem ab episcopo Bergomensi accepit. Ardenter et cum fructu pastorali ministerio se dedidit, praesertim praedicationi, institutioni religionis. Cum beata Gertrude Comensoli Congregationem religiosam instituit, quae propter internas difficultates in duas partes sui iuris divisa est, quarum altera rationem habuit cum Beata Comensoli, altera cum Venerabili Servo Dei, qui ita Conditor factus est Instituti Sororum Adoratricum a S. Sacramento, canonice approbati anno 1897 ab episcopo Cremonensi. Sanctus habitus obiit in oppido *Rivolta d Adda* patrio sermone appellato, die 6 mensis Februarii anno 1913.

Canonizationis Causa initium habuit anno 1928 per processus ordinarii informativi celebrationem, quem alii gradus secuti sunt iure statuti, donec, die 6 mensis Martii anno 1990, coram Summo Pontifice Ioanne Paulo II decretum promulgatum est super virtutibus.

Ad beatificationem obtinendam eiusdem Causae Actores ad Congregationem de Causis Sanctorum de coniecta mira sanatione rettulerunt, inter-

cessioni Servi Dei tributa, quae ad puellulam Augustinam Figaroli pertinebat, anno 1942 ortam. Haec, die 21 mensis Iunii anno 1947, domi ludens in ahenum aquae ferventis cecidit, quod in eam se deiecit, gravissimas exciens adustiones. Medicus familiae, ilico arcessitus, iussit eam in valetudinarium oppidi *Lovere* deduci (in Bergomensi provincia siti). Ibi, medicus qui illam curandam suscepit, condicionem gravem esse confirmavit, quandoquidem superficies usta maior erat tertia parte totius corporis. Therapia adhibita omnino impar fuit; quam ob rem puellulae condicio universa celeriter in peius versa est cum cyanosi, respiratione exigua, pulsu crebro, albuminuria. Subsequenti die condicio universa est adhuc deterior facta: apparuit enim ileum paralyticum simulque anuria cum affectione soporifera, quae mox est in coma mutata. Prognosis edicta est infausta quoad vitam. Die 23 mensis Iunii, iam moriens, Augustina est domum reducta. Illuc venerunt eam visitatum duae Sorores Adoratrices a S. Sacramento, quae invocaverunt Venerabilis Servi Dei Francisci Spinelli intercessionem ad obtinendam a Deo aegrotae sanationem. Post aliquot precationis horas, tertia et vicesima fere hora eiusdem diei (23 mensis Iunii) condiciones clinicae puellulae improviso se reiecerunt. Insequenti mane curans repperit patratam sanationem.

De casu, anno 1955, apud curiam episcopalem Cremonensem collecta sunt documenta per celebrationem processus apostolici super virtutibus, cuius auctoritas decreto die 22 mensis Iunii anno 1962 edito est agnita.

Die 9 mensis Ianuarii anno 1992 apud Congregationem de Causis Sanctorum Consilii Medicorum sessio est acta, quod est professum sanationem puellulae Augustinae subitaneam habendam esse, perfectam et inexplicabilem « quoad modum » pro huius temporis scientia. Die 6 mensis Martii anno 1992 actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris, cui praefuit Rev.mus Fidei Promotor Generalis, Antonius Petti; die 7 mensis Aprilis eiusdem anni, effecta est Congregatio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Em.mo Cardinali Iosepho Caprio. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum esset factum, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Francisco Spinelli, Sacerdote, Fundatore Instituti Sororum v. d. « Adoratrici dei S. Sacramento », videlicet de subitanea et perfecta sanatione puellulae Augustinae Figaroli a « grave malattia da ustione con evidente shock ipovólemico in soggetto con ustioni di 2° e 3? grado estese per circa il 40% della superficie corporea ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 2 mensis Iunii A. D. 1992.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

II

FLAVIOBRIGEN.

DECRETUM

Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Iosephae a Corde Iesu Sancho de Guerra, Fundatricis Congregationis Sororum Servar um Iesu (1842-1912).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilis Serva Dei Maria Iosepha a Corde Iesu (in saeculo: Maria Iosepha Sancho de Guerra) Victoriae in Hispania orta est die 7 mensis Septembris anno 1842. Post aliquot annos quibus sodalis fuit Instituti Servarum Mariae Ministrarum Infirmorum, auctoritatis ecclesiasticae permissu inde exiit et Flaviobrigae condidit Congregationem Sororum Servarum Iesu pro aegrorum assidentia, quae approbationem dioecesanam obtinuit anno 1874 et pontificiam anno 1886. Ad mortem usque munere iuncta est Antistitae Generalis, magnam adhibens curam ac prudentiam in suae reli-

giosae familiae administratione. Peculiari cum diligentia incubuit in Sororum sodalium formationem, quas verbis et exemplo docuit amorem in Deum et in proximum exercere, praesertim erga aegrotos ac pauperes. Suam coluit consecrationem constanti cum fervore et fidelitate erga vocationem et gratiam, christianas virtutes egregie explicans. Post longum acerbumque morbum in Domino obdormivit die 20 mensis Martii anno 1912, sancta habita.

Canonizationis Causa Flaviobrigae initium habuit anno 1951 per processus ordinarii informativi celebrationem. Rebus peractis omnibus iure statutis, die 7 mensis Septembris anno 1989 coram Summo Pontifice Ioanne Paulo II decretum est promulgatum, quo Serva Dei agnita est virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse heroum in modum.

Interea apud Ovetensem Curiam processus canonicus celebratus erat (anno 1976) de coniecta mira sanatione, intercessioni Venerabilis Servae Dei tributa, ad iuvenem Iosephum Aloisium Capella González pertinente. Hic nocte inter diem duodecimum et diem tertium decimum mensis Decembris anno 1970 in magno casu viario, qui Gigiae evenerat et in quo iuvenes quattuor mortui sunt, est traumate cranico encephalico correptus, fractura frontalis cum fossione, nasi ossuum fractura, fractura malae superioris cum faciei deformatione et amissione fere centum scripulorum cerebri substantiae. Statim adiutus et in polyclinicum valetudinarium deductus, est manu curatus sine anaesthesia, quandoquidem in cornate versabatur. Curatione ex manu perfecta, chirurgus qui eam erat exsecutus, infaustam declaravit prognosim et aperte affirmavit nullam esse spem iuvenem servandi. Inutilitate intellecta cuiuslibet humani interventus, iuvenis sauciati pater ad Deum confugere statuit per deprecationem Venerabilis Servae Dei Mariae Iosephae a Corde Iesu, cuius Congregatio polyclinicum valetudinarium regebat, in quo iuvenis iacebat. Soror quaedam ilico eiusdem Servae Dei reliquias in corpore posuit infirmi, et subsequenti die simul quattuor sacra novendialia inita sunt: unum in aegroti domo paterno et reliqua tria in unaquaque domorum, quas Sorores Servae Iesu Gigiae habent. Quattuor diebus transactis iuvenis sensibiliter convalescere coepit ac brevi perfecte et stabiliter sanatus est.

Congregatio de Causis Sanctorum, instrumentis acceptis inquisitionis canonicae Oveti celebratae, die 8 mensis Iunii anno 1990 decretum promulgavit de processus auctoritate et vi. Consilium Medicorum casum inspexit duabus in sessionibus: primum scilicet postridie calendas Maias anno 1991, deinde die 5 mensis Decembris eodem anno, sicque est elocutum: diagnosis: « trauma cranicum encephalicum apertum cum amissione substantiae cere-

bri in damnum laciniarum frontis »; prognosis: « infausta quoad vitam »; ratio sanationis: « celérrima, perfecta et mansura, etsi grave fuit cerebri vulnus (amissio materiae in damnum ambarum frontis laciniarum). Sanatio facta est sine demutationibus ad functiones spectantibus (psychicis et in agendo positis) ac sine demutationibus electro-encephalographicis. Haec sanatio inexplicabilis est pro huius aetatis scientia ». Die 7 mensis Februarii anno 1992 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, praesidente Fidei Promotore Generali Rev.do D.no Antonio Petti; postea, die 17 mensis Martii eiusdem anni, habita est Cardinalium et Episcoporum Congregatio Ordinaria, Causae Ponente Exc.mo Ottorino Petro Alberti, Archiepiscopo Calaritano. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Serva Dei Maria Iosepha a Corde Iesu Sancho de Guerra, Fundatrice Congregationis Sororum Servarum Iesu, videlicet de celérrima, perfecta ac mansura sanatione iuvenis Iosephi Aloisii Capella González a « trauma cranico cerebrale aperto con perdita di sostanza cerebrale a carico dei due lobi frontali ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 13 mensis Iunii A. D. 1992.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

III

GIENNEN.

DECRETUM

Canonizationis Servae Dei Monicae a Iesu (in saeculo: Basiliae Cornago Zapater), Monialis professae Ordinis Augustinianorum Recollectarum (1889-1964).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

«Venit Iesus et stetit in medio... Gavisi sunt discipuli, viso Domino» {*Io* **20, 19-20).**

Eodem gaudio quo discipuli, viso Redemptore a mortuis suscitato, gavisa est quodammodo etiam humilis simplexque Soror Monica a Iesu, quae lumine fidei illustrata et ardore infiammata caritatis, multimodis per vitae decursum est praesentiam et amorem Domini experta eique coniuncta, mirifice est fidelitatem testata erga suam religiosam consecrationem atque Dei gloriae animarumque salutis studium.

Dei Serva, decem filiorum tertio loco nata, die **17** mensis Maii anno **1889** orta est Monte Acuto, in Hispaniae parvo Navarro vico, ab Eusebio Cornago Soria et Maria Zapater Arbiol, probis agricolis sincerisque christianis, qui filiis inculcaverunt amorem in Eucharistiam inque Beatam Mariam Virginem ab Itinere, eorum pagi Patronam. Ad baptismalem fontem nomen ei **inciderunt** Basiliam et die **25** mensis Aprilis anno **1890** sacramentum accepit Confirmationis. A prima aetate cor eius a solo Iesu est detentum et ex quo die ad eucharisticam Mensam accessit, die nempe **16** mensis Maii anno **1901,** promptior et alacrior divinae gratiae respondit. Cum fervore Missae intererat seque Eucharistiae adorationi atque deprecationi dedebat, itemque caritati erga pauperes. Casta erat, iucunda in omnes, in domesticis negotiis industria pariterque in arte acu pingendi. Mature statuit se Deo consecrare in monasterio clausurae legi subiecto; quam ob rem anno **1908** ingressa est inter Augustinianas Recollectas in urbe Baeza, in-

tra fines Giennensis dioecesis. Cum familia ad solvendam dotem non esset, sicut tunc moris erat, admissa est tamquam « conversa », videlicet humilioribus Conventus laboribus addicta. Die 6 mensis Ianuarii anno 1910 simplicem professionem fecit, nomine capto Sorore Basilia a Sancta Monica, sed ab omnibus est appellata Soror Monica a Iesu; tribus post annis, anno 1913, sollemnem fecit professionem in Conventu oppidi *Marios,* ubi duos egerat annos assidendo pueris dedita. In Conventum reversa urbis *Baeza,* cum sedulitate atque serenitate muneribus se tradidit modestis exsequendis, quae ei concredita sunt: id est culinae, horti olitorii et magni gallinarii curae. In sua manens consecratione egregie regulam observavit et vota religiosa et plene ardenterque Dominum dilexit: animo enim proposuerat ut « Iesum amaret usque ad amorem monendum », utque « Iesum amaret semper ac sine exceptione ». Amore igitur mota, in intima vixit coniunctione cum Iesu per contemplationem, deprecationem, sacrificium et oboedientiam eius voluntati. Nocte quoque, cum brevissimum tempus dormiret, eius mens et cor defixa erant in meditatione divinarum perfectionum et in colloquio immorabantur, familiaritatis pleno et affectus, cum animae eius Sponso. Ad hanc familiaritatem arctiorem locupletioremque reddendam peculiares mysticae gratiae contulerunt, quas largiter accepit, crebrae visiones Iesu, Virginis Mariae et angeli custodis, quem « fratrem maiorem » vocabat, exstases et singularis passionis Domini, praesertim diebus Veneris, spiritus et corporis participatio. Haec accepit dona cum simplicitate fere puerili multaque cum humilitate, quandoquidem se misellam peccatricem habebat, conversionis indigentem et ab ea evangelica perfectione longinquam, quam persequi statuerat. Ideo diligentissima fuit in Christo imitando inque iis exercendis virtutibus, quae personarum consecratarum thesaurus sunt. Tota Iesu esse parata, eum unum amavit corde indiviso suamque impendit vitam in eius gloria regnoque quaerendis. Cotidianis negotiis minime neglectis, semper in deprecationem intenta erat et in contemplationem multumque temporis insumebat Eucharistiae adorandae. Diligens erat in regulae observantia et prompta ad oboedientiam erga superiores. Libenter vitae communi intererat atque in Sorores sodales semper benigna et comis fuit. In omni opere suo aequabilitatem ostendit ac prudentiam et in communitatem verum servitii spiritum.

Quo obsequentius in dies in Dei manibus esset instrumentum, se castigabat, corporis paenitentiam exercebat, cum patientia et fortitudine spiritus labores ferebat, diabólicos incursus, aegritudines, reprehensiones, indignitates et morbos. Etiam bello civili Hispanico saeviente, cum fuit ei Conventus relinquendus et apud familiam quandam habitandum, interio-

rem quietem patefecit et animi firmitudinem, quoniam suam collocaverat spem in Deo eiusque Providentia.

Amor in Iesum magnam ac assiduam de animarum salute curam in anima eius accendit; ideo pro peccatorum conversione iniuriisque Deo factis expiandis vitam suam devovit. Hac de re dixit: « Iesus vult me apud se pro animis rogare et multo afficitur solacio cum eum pro peccatoribus exoro ». Precabatur suosque dolores offerebat etiam pro Ecclesia, pro Romano Pontifice, pro missionariis, pro vocationibus et universo humano genere. Quamvis abscondita viveret in Conventus clausura nec a mundo conspici vellet, multi eius precationes petebant, auxilium, consilia: qui eam coram adire non poterat, illi scribebat, quae omnibus ipsa respondebat, etsi hoc ei magni laboris erat, si quidem litteras nesciebat. Hoc modo alacrem et beneficum explicavit apostolatum pro populo, qui eam magni ducebat ob non communes virtutes eius et mira charismata.

Vitae anno postremo eius valetudo deterior facta est gradatim eamque multi dolores afflixerunt: quos omnes cum tranquillitate tulit, eosdem Domino offerens pro animarum salute proque Ecclesiae bono. Pie a vita discessit die 14 mensis Iunii anno 1964, solida et ampla sanctitatis fama insignis; quae cum subsequentibus annis crevisset, episcopus Giennensis, Sanctae Sedis obtento permissu ad normam M. P. *Sanctitas clarior,* initium fecit canonizationis Causae. Processus cognitionalis celebratus est annis 1979-1981 estque ex iure probatus die 11 mensis Martii anno 1983. Mensis Novembris die 26, anno 1991, exitu cum prospero actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum super virtutibus, praesidente Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Congregatione Ordinaria in Aedibus Vaticanis habita die 17 mensis Martii anno 1992, Causae Ponente Em.mo D.no Cardinali Antonio Innocenti, professi sunt Servam Dei Monicam a Iesu virtutes théologales, cardinales et adnexas, heroum in modum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico,*

Servae Dei Monicae a Iesu (in saeculo: Basiliae Cornago Zapater), in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 13 mensis Iunii A. D. 1992.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. & S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

IV

MECHLINIEN.

DECRETUM

Canonizationis Ven. Servi Dei Damiani de Veuster, Sacerdotis Congregationis SS. Cordium Iesu et Mariae (Picpus) (1840-1889).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilis Servus Dei Damianus de Veuster (in saeculo: Iosephus) Ianuarii mensis die 3 natus est anno 1840 in oppido *Tremeloo,* intra fines dioecesis Mechliniensis in Belgio sito. Vocatione ad vitam consecratam animadversa, anno 1859 novitiatum est ingressus Congregationis Sacrorum Cordium Iesu et Mariae, et subsequenti anno religiosa vota nuncupavit. Anno 1863, etiam tum theologiae alumnus, superiorum permissu est ad insularum Havaianarum missiones profectus. Honoluli est sacerdos ordinatus die 21 mensis Maii anno 1864; postid sacrum exercuit ministerium in missione Punensi ac deinceps in Koalensi. Anno 1873 voluntarius iniit utilissimum in insula Molokaia apostolatum inter leprosos, ibique indefatigato pastorali opere atque singularis caritatis exemplo et commodorum contemptione Christi lucem diffudit. Sincero humilitatis spiritu eminuit et

oboedientia necnon fervida erga Eucharistiam ac Virginem Mariam pietate. Magna cum patientia acerbas tulit et iniustas indignitates pravasque interpretationes. Leprosus factus inter leprosos (anno 1885) totius mundi admirationem tamquam christianae caritatis heros excitavit, quam usque ad extremum sui sacrificium coluit. Est vita defunctus mensis Aprilis die 15 anno 1889 Kalavai in insula Molokaia, uti leprosorum apostolus veneratus.

Sanctitatis fama, quam sibi vivus pepererat, confirmata est et aucta post eius mortem; qua re canonizationis Causa inchoata est per processuum ordinariorum informativorum celebrationem et processuum apostolicorum, quorum auctoritas est decreto anno 1959 edito probata. Summus Pontifex Paulus VI, die 7 mensis Iulii anno 1977, Patrem Damianum de Veuster virtutes théologales, cardinales et adnexas heroum in modum exercuisse agnovit.

Ad optatam beatificationem consequendam Causae Actores ad Congregationem de Causis Sanctorum coniectam miram sanationem detulerunt intercessioni Venerabilis Servi Dei tributam. Casus pertinet ad Sororem Simpliciam Hue, religiosam professam Congregationis Sacrorum Cordium Iesu et Mariae; quae mense Februario anno 1895, per pituitae accessionem laborare coepit intestinorum molestiis, quarum propria erant dolor cavi iliaci, qui se ad umerum extendebat et ad inferiorem artum, manatio excrementorum haematicorum sanguinisque vivi fortibus cum doloribus. Morbo febris iuncta erat, anorexia ac dyspepsia. Victus pauco laete consistebat. Ob progredientis in deterius mutationem est ei Unctio Infirmorum subministrata. Brevis factus est profectus solum quoad febrim; deinde mense Iunio condicio in peiorem partem est versa et imminens timebatur decessus. Talis erat virium defectio, ut deambulatio tantummodo fieri posset baculi adminiculo. Therapia adhibita inefficax erat, siquidem in levanda symptomatologia dolorem afferente se continebat. Propter scientiae inanitatem, die 8 mensis Septembris aegrota novendialem supplicationem iniit in honorem Patris Damiani de Veuster, ut sanitatem a Deo obtineret. Vesperi diei 11 mensis Septembris, doloribus confecta et lassitudine, obdormivit; sequenti die, hora una et dimidia ante meridiem, expergefacta e somno, sensit se esse sanatam; etenim celeriter potuit e lectulo surgere et sine ulla difficultate in conclavi ambulavit; paulo posterius in aediculam descendit et postea in horto inambulavit; denique ad ientaculum cum Communitate ivit solitumque resumpsit cibum. Sanatio eodem die a curante spectata, subitanea fuit, perfecta, mansura et pro scientia inexplicabilis. Soror suas repetivit consuetas operas et post duos et triginta annos obiit sine ulla recidiva.

Postea necessaria collecta sunt instrumenta historica ad hunc casum spectantia. Die 26 mensis Aprilis anno 1991 promulgatum est decretum « de validitate Actorum ». Mensis Decembris insequentis die 5, secundo cum exitu, Consilium Medicorum Congregationis de Causis Sanctorum convenit. Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus actus est die 20 mensis Martii anno 1992, Fidei Promotore Generali praesidente, Rev.mo D.no Antonio Petti; postea, die 19 mensis Maii eiusdem anni, habita est Congregatio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Em.mo Cardinali Edmundo Casimiro Szoka. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Damiano de Veuster, Sacerdote Congregationis SS. Cordium Iesu et Mariae, videlicet de subitanea, perfecta ac duratura sanatione Sororis Simpliciae Hue a « grave rettocolite emorragica con cachessia secondaria ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 13 mensis Iunii A. D. 1992.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

V

PALENTINA

DECRETUM

Canonizationis Ven. Servi Dei Raphaelis Arnáiz Barón, fratis oblati Ordinis Cistercentium Reformatorum seu Strictions Observantiae (1911-1938).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilis Servus Dei Raphael Arnáiz Barón Burgi in Hispania ortus est die 9 mensis Aprilis anno 1911. Iuvenis ad studia, ad deprecationem, ad eucharisticam et marialem pietatem adque caritatis opera pro pauperibus se applicavit. Cum iamdiu animadverteret se fortiter trahi ad Ordinem Cistercensium Reformatorum seu Strictae Observantiae, mense Ianuario anno 1934 monasterium Sancti Isidori in oppido *Dueñas* situm ingressus est et paulo post novitiatum iniit tamquam choricus. Propter infirmam valetudinem saepe domum rediit, sed semper ad suum re versus est monasterium eo consilio, firmo profecto, ut in via perseveraret, cui se dederat. Cum non posset choricorum vitae austeritatem ferre, est inter oblatos acceptus. Caritatis, sacrificii, oboedientiae et humilitatis spiritu effulsit. Singulari cum tranquillitate longum toleravit morbum, laetus se Christi cruci coniungere et suos offerre dolores pro animarum bono proque Patriae pace, tunc bello civili versae. Sanctus habitus de vita decessit die 26 mensis Aprilis anno 1938.

Apud Curiam Palentinam anno 1962 inchoata est canonizationis Causa per processus ordinarii informativi celebrationem. Iis peractis, quae iure statuta sunt, coram Summo Pontifice Ioanne Paulo II, die 7 mensis Septembris anno 1989, est decretum promulgatum, quo agnitum est Servum Dei heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Ad beatificationem obtinendam Fratris Raphaelis Arnáiz Barón Causae Actores ad Congregationem de Causis Sanctorum de coniecta mira sanatione rettulerunt, anno 1962 patrata ac intercessioni eiusdem Venerabilis Ser-

vi Dei tributa et ad iuvenem discipulam Mariam Carmelitidem Arguelles Merino pertinente, undeviginti annos natam.

Haec, die 5 mensis Iulii anno 1982 Palentinae est calvae trauma passa, cum amborum capitis laterum fractura et continua animi amissione. Statim est in Palentinum polyclinicum valetudinarium deducta, unde, propter casus gravitatem, ilico est in Vallisoletanum valetudinarium translata. Ibi neurochirurgorum coetus eam laboriosae sectioni subiecit compressionem minuenti per fragmenti ossei asportationem et haustum haematomatis epiduralis. Infirmae condicio gradatim est aggravata: coma est etiam atque etiam altius factum et inspectiones diei 12 mensis Iulii ostendunt praesentiam thrombosis sinus in longitudinem porrecti superioris et cerebri oedema. Ortae sunt etiam e pulmonibus difficultates atque renum exiguitas acuta. Die 15 mensis Iulii prognosis infausta edicta est quoad vitam, ideoque est impedita facultas alteram peragendi sectionem. Animadversa scientiae inanitate, aegrotae mater magna cum fiducia sacrum novendiale iniit in honorem Servi Dei Raphaelis Arnáiz Barón, cuius reliquias poni iussit in cervicali lecti filiae, in conclavi redanimationis segregatae. Exinde condicio eius sensim meliori fieri coepit, usque ad sanitatem perfectam.

De hoc casu Palentiae celebratus est (annis 1987-1988) processus canonicus, cui additus est rogatorialis Vallisoletanus (anno 1987 celebratus), quorum auctoritas est decreto die 6 mensis Octobris anno 1989 editum probata. Consilium Medicorum Congregationis de Causis Sanctorum hanc sanationem duabus in sessionibus inquisivit; quarum in altera, die 31 mensis Octobris habita anno 1991, sic est elocutum: *Diagnosis:* «Grave calvae trauma cum amborum capitis laterum fractura et thrombosi sinus in longitudinem porrecti in tertio medio-posteriore cum processu in coma "praetergressum", gravius factum ob renum exiguitatem acutam et arteriarum pulmonumque corruptionem a Pseudomonas »; *Prognosis:* « Infausta quoad vitam et quoad valetudinem »; *Therapia:* « Chirurgica et redanimans apta »; *Sanationis ratio:* « Celérrima, perfecta et pro praesentibus scientiae cognitionibus inexplicabilis ».

Die 6 mensis Martii anno 1992 Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris actus est, cui praefuit Fidei Promotor Generalis, Rev.mus Antonius Petti; postea, die 7 mensis Aprilis eiusdem anni, habita est Cardinalium et Episcoporum Congregatio Ordinaria, Causae Ponente Em.mo Cardinali Antonio Innocenti. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandos, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Raphaele Arnáiz Barón, fratre oblato Ordinis Cistercensium Reformatorum seu Strictions Observantiae, videlicet de celérrima et perfecta sanatione iuvenis Mariae Carmelitidis Arguelles Merino a « grave trauma cranico con frattura biparietale e trombosi del seno longitudinale nel terzo medio-posteriore, con evoluzione in coma "dépassé", aggravato da insufficienza renale acuta e da infezione broncopolmonare da Pseudomonas ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 13 mensis Iunii A. D. 1992.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

VI

POSNANIEN.

DECRETUM

Canonizationis Servi Dei Stanislai a Iesu Maria Papczynski, Fundatoris Congregationis Clericorum Marianorum sub titulo Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae (1631-1701).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo; quia induit me vestimentis salutis, et indumento iustitiae circumdedit me, quasi sponsam ornatam monilibus suis » *(Is* 61, 10).

Haec verba, tamquam ore Genetricis Virginis Mariae in laudem Dei prolata, qui — praeservando Eam immunem « ab omni originalis culpae labe » — fecit Ei « magna, qui potens est », ab Ecclesia pro Missa sollemnitatis in Conceptione Immaculata Beatae Mariae Virginis adhibentur. Servus Dei Stanislaus a Iesu Maria Papczynski semper in hoc singulari privilegio Matris Dei magnam fiduciam bona caelestia acquirendi posuit, saepe exclamando: « Immaculata Virginis Mariae Conceptio, sit nobis salus et protectio ».

Quapropter etiam « Societatem Immaculatae Conceptionis » instituit, ad « cultum Immaculatae Conceptionis Electissimae Dei Matris Virginis » promovendum, quia — uti Summus Pontifex Ioannes Paulus II in festo Immaculatae Conceptionis anno 1986 asseruit — « circa Immaculatam Redemptoris Matrem omnes se congregant, qui in Christo spem collocaverant » et « Ea "salus populi" pro nobis esse non desinit » *(Insegnamenti di Giovanni Paolo II,* IX, 2, p. 1907). Verbis ad Virginem Immaculatam directis, Summus Pontifex — luctam cum diabolo revocando, quem Ea per suam Immaculatam Conceptionem penitus debellavit — dixit: « Per tuam Immaculatam Conceptionem spes est nobis data victoriae. Sub tuam protectionem confugimus... » *(L'Osservatore Romano,* 9-10 dicembre 1991, p. 5).

Maria Immaculata « in caelis corpore et anima iam glorificata, imago et initium est Ecclesiae in futuro saeculo consummandae » *(LG,* 68). Attamen Ecclesia « in Beatissima Virgine ad perfectionem iam pertingit, qua sine macula et ruga exsistit». Reliqui autem christifideles vocati sunt ad perfectionem seu sanctitatem acquirendam, et in hoc conatu « oculos suos ad Mariam attollunt, quae toti electorum communitati tamquam exemplar virtutum praefulget » *(ibid.,* 65). Nil mirum proinde quod « Maria, praecelsa filia Sion, universos filios suos, ubicumque et utcumque vivunt, adiuvat ad inveniendum in Christo viam ad domum Patris ducentem » (IOANNES PAULUS II, *Redemptoris Mater,* 47).

Quae veritas clare in vita Servi Dei Stanislai a Iesu Maria Papczynski ostenditur.

Servus Dei Stanislaus natus est in Polonia, in pago v. *Podegrodzie,* ad dioecesim olim Cracoviensem pertinente, die 18 Maii anno 1631, novissimus inter octo liberos, parentibus Thoma Papka vel Papiec et Sophia Tacikowska. Eodem die baptizatus, nomineque Ioannis donatus, primam educationem christianam a parentibus bene religione catholica formatis accepit.

A matre sua terrestri praecipue teneram pietatem erga B, Virginem Mariam didicit, cuius etiam ope primas difficultates in studiis superavit. Ludo litterarum frequentato, grados scholae mediae maxima ex parte in collegiis Iesuitarum peregit. Attamen anno scholastico 1649-50 eum erudierunt Patres Scholarum Piarum; a quibus etiam, Deo ita statuente et adiuvante, semen vocationis religiosae et sacerdotalis recepit. Mutato — secundum usum illius temporis — cognomine in Papczynski, quattuor adhuc annos in saeculo mansit, ulteriora studia prosequens facultatemque nuncupandi vota religiosa in Scholis Piis ad statum Instituti sine ullorum votorum nuncupatione anno 1646 reductis exspectans. Bimo cursu philosophiae absoluto, die 2 Iulii anno 1654 Novitiatum PP. Piaristarum in oppido v. *Podoliniec* situm ingressus est, nomen religiosum Stanislai a Iesu Maria sumens.

In hac schola virtutis primo anno adeo progressus est, ut initio alterius anni novitiatus pro studiis theologicis peragendis Varsaviam missus est. Ibi anno 1656 vota simplicia castitatis, paupertatis et oboedientiae nuncupavit, necnon post quattuor Ordines Minores Subdiaconatum recepit.

Anno 1661 Servus Dei Stanislaus diaconus et sacerdos ordinatus est. Sed iam antea in collegiis sui Instituti rhetoricam docere inceperat, ope libri a se in usum scholarum scripti omnimode suis alumnis « claram bene dicendi simul ac bene vivendi rationem » impertire curans. Ab anno 1663 Varsaviae mox egregiam famam non solum uti magister rhetoricae, sed etiam uti praedicator et confessarius nactus est, et inter suos paenitentes habuit Nuntium Apostolicum Antonium Pignatelli, qui postea Summum Pontificatum sub nomine Innocentii XII adeptus est. Cultus erga B. V. Mariam indefessus fautor, Illius confraternitatem in ecclesia Scholarum Piarum Varsaviae longe lateque propagavit.

Inter tot ac tantos fructuosos labores scholasticos et pastorales, P. Stanislaus etiam vitae religiosae sui Instituti valde deditus erat. Spiritu sui Fundatoris plenus, strenue pristinam observantiam regularem Scholarum Piarum necnon ius eligendi Superiores in Provincia fovere ac defendere conabatur. Cum aliquibus sodalibus, qui ei se ad haec proposita assequenda adiunxerant, sat acerbam tenacemque oppositionem aliquorum Superiorum eorumque omnium, qui propensi ad laxiora erant, expertus est. Vera caritate permotus, ad pacem in Provincia, ob hanc controversiam divisa, restituendam, dimissionem ab Instituto Scholarum Piarum anno 1669 petivit eamque vigore Brevis Apostolici die 11 Decembris anno 1670 obtinuit.

Eodem tempore, ob « divinam visionem », quae animo eius impressa fuerat, publice intentionem condendi Societatem « Clericorum Marianorum

Immaculatae Conceptionis » declaravit. Hanc novam familiam religiosam anno 1673 in dioecesi Posnaniensi instituit, praecipue ad cultum Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae promovendum. Sed iam anno 1676, huic fini peculiari alterum adiunxit, nempe suffragium animabus fidelium in purgatorio detentorum, praecipue militum et peste extinctorum. Quod clare exprimitur in « Norma Vitae », quam pro suo Instituto (canonice anno 1679 erecto) praescripsit.

Servus Dei Stanislaus etiam ab initio cum suis sociis Marianis parochos in laboribus ecclesiasticis humiliter adiuvare voluit, et hanc navitatem apostolicam strenue promovebat, quamvis in eremitica condicione eius Institutum vi adiunctorum initum esset. Rigore clausurae in secundo conventu ab Episcopo sublevato, inde iam maiore cum facilitate ardentem laborem pastoralem peregit, praecipue inter populum rudem, pauperem et parum ab aliis pastoribus excultum. Sed etiam aliis operibus misericordiae, tam corporalibus quam spiritualibus, valde deditus, personas ad se recurrentes a variis afflictionibus liberavit easque in suprema necessitate etiam mirabili modo, ut traditur, adiuvit; ideo eum viventem Sancti nomine appellarunt.

Excellens humilitate, paupertate, spiritu mortificationis aliisque virtutibus, suos religiosos verbo et exemplo ad apicem perfectionis ducere satagebat. Etiam pro christifidelibus in saeculo viventibus viam sanctitatis in libro « Templum Dei mysticum » exposuit.

Uti Superior Generalis et Pater Spiritualis, imprimis in Eremo Korabieviensi (hodie est pagus vocatus v. *Puszcza Marianska),* ab anno autem 1677 in parvo conventu ad Coenaculum Domini in Neoierosolyma (hodie vocata v. *Gòra Kalwaria),* varias inter difficultates Institutum suum usque ad mortem laudabiliter rexit. Pro eius maiore stabilitate anno 1699 approbationem apostolicam Congregationis Immaculatae Conceptionis obtinuit et ipse primus inter Marianos vota sollemnia Ordinis super Regulam X Virtutum B. Mariae Virginis nuncupavit. Mox postea, viribus strenuo labore apostolico et constanti mortificatione contractis, die 17 Septembris anno 1701 in sanctitatis opinione mortuus est.

Eius Causa Beatificationis inita est processu ordinaria auctoritate annis 1767-69 in Curia Varsaviensi instructo. Re Romae tractata, anno 1775 decretum « super scriptis » Servi Dei editum est. Attamen ob defectum documentorum et bonae cognitionis circumstantiarum vitae eius, Causa eodem anno intermissa est.

Postea, fama sanctitatis Servi Dei Stanislai manente, ob continua bella et persecutiones tam Ecclesiae quam nationis Polonae et Lituanae, defue-

runt condiciones necessariae ad Causam resumendam. Libertate anno 1918 a Polonia et Lituania recuperata, ob archiva dispersa et defectum temporis pro debita praeparatione, nec ante II bellum mundiale Mariani Causam resumere potuerunt. Sed anno 1953, potuit, ad crescentem instantiam Marianorum et christifidelium, eadem Causa resumi et labores praeparationis apparandae *Positionis* historicae super Introductione Causae et super virtutibus Servi Dei Stanislai inchoari.

Anno 1977 *Positio* typis edita et a Consultoribus Historicis examinata est. Anno 1981, die 6 Martii, Causa introducta est. Tunc annis 1981-1982 Varsaviae Processus *de non cultu* instructus est. Decreto « super validitate Processus » anno 1990 promulgato, *Positio super Virtutibus* examinata est. Die 22 mensis Ianuarii anno 1991, in Congressu Peculiari, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali, Consultores theologi Servum Dei virtutes in gradu heroico exercuisse affirmaverunt.

Die autem 17 mensis Martii anno 1992, Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria collecti, ponente Exc.mo Paulino Limongi, Archiepiscopo titulari Nicaeensi in Haemimonto, agnoverunt Servum Dei Stanislaum a Iesu Maria Papczynski heroum more virtutes théologales, cardinales et adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum libenter excipiens, mandavit ut decretum super heroicis Servi Dei virtutibus rite conscriberetur.

Quod cum factum esset, accitis hodierna die Cardinali infrascripto Praefecto atque Causae Ponente meque Antistite a Secretis, ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Stanislai a Iesu Maria Papczynski, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 13 mensis Iunii A. D. 1992.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

VII

SANCTI PAULI IN BRASILIA

DECRETUM

Canonizationis Servae Dei Antonillae a S. Michaele Archangelo (in saeculo: Mariae Conceptae Farani), Religiosae professae ex Instituto Passionistarum a S. Paulo a Cruce (1906-1963).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est. Et nolite iudicare et non iudicabimini; et nolite condemnare et non condemnabimini. Dimittite et dimittemini » *(Lc* 6, 36-37).

Fideliores Divini Magistri discipuli semper in vita sua nisi sunt haec praecepta ad effectum adducere, memores exempli eius, qui de Cruce suspensus dixit: « Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt » *(Lc* 23, 34). Etiam Antonilla a S. Michaele Archangelo veniam christianam variis in casibus exercuit, oculis in Crucifixo defixis, cui se singulari cum alacritate consecraverat.

Orta est Serva Dei Curitibae, in Paranensi Brasiliae Civitate, die 29 mensis Iulii anno 1906, a Iosepho Farani et Raphaela Milito, Itali qui ex Salernitano migraverant. Ob multiplices causas infantula nonnisi baptizata est die 19 mensis Martii anno 1907 et Maria Concepta vocata: sed postea eam parentes, sinceri et certi catholici, solida imbuerunt christiana educatione. Serenam in familia vixit pueritiam, quoniam in ea concordia et res prosperae erant, quas pater erat adeptus suam administrationem colendo. Sed anno 1913 pater celérrimo morbo mortuus est, viduam relinquens cum quattuor pueris, cum Maria Concepta septem erat annorum. Quorundam propinquorum artificia, nulla religione cohibitorum, ad veram miseriam familiam redegerunt, aerem viduae et filiorum indignationem moventia.

Vix decem annorum Servae Dei fuit ludus relinquendus ut suendi et acu pingendi arti se dederet, quo familiam adiuvaret. Deinde, a liberalibus adiuta benefactoribus studia recoluit atque anno 1920 est diploma ludi magistrae consecuta. Die 19 mensis Septembris anno 1921 primum Eucharistiam accepit magno animo venia data necessariis, qui eam familiamque laeserant.

Posteaquam aliquot annos docuerat in ludis, ab alumnis amata et a familiis atque ab auctoritatibus aestimata, Sorores Passionistas a S. Paulo a Cruce cognovit, quae paucis ante annis Institutum in Brasilia aperuerant, quod locum aptum esse animadvertit, ubi suum vitae consecratae studium persequeretur. Die 7 mensis Februarii anno 1926 Confirmationis excepit sacramentum, intus in animo proposito renovato se omnino Deo ac fratribus tradendi, quamvis separatione a familia valde afficeretur. Annum fere post postulatum Passionistarum in urbe Sancto Paulo in Brasilia intravit.

Vestem religiosam induit die 14 mensis Augusti anno 1927 nomine capto Antonilla a S. Michaele Archangelo, et professionem fecit priorem die 12 mensis Septembris anno 1928. In perpetuum cum Deo se coniunxit, cum Ecclesia et Congregatione, die 14 mensis Ianuarii anno 1932, per professionem perpetuam.

